N. 25.

Saxo

Wendus

CHRONICA SLAVORUM

HELMOLDI

Presbyteri Bosouiensis

et

ARNOLDI

Abbatis Lubecensis

HENRICUS BANGERTUS

é MSS. codicib. recensuit

et Notis illustravit.

Sumptibus Statÿ Weselÿ

LUBECÆ.

CIↃ IↃC LIX.



CHRONICA SLAVORUM

HELMOLDI,

Presbyteri Bosouienſis,

ET

ARNOLDI,

Abbatis Lubecenſis,

In quibus

RES SLAVICÆ & SAXONICÆ

fere à tempore Caroli Magni

usque ad OTTONEM IV.

ſeu, ad ann. CH. cIↄ ccIX.

exponuntur.

HENRICUS BANGERTUS.

è MSS. Codicibus recenſuit,

et Notis illuſtravit.



LUBECÆ,

Sumptibus STATII WESSELII,

Literis Jacobi Hinderlingii,

Anno MDCLIX.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS & PRUDENTISSIMIS
VIRIS,

DNIS

CONSULIBUS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,
ET
SECRETARIIS,

LIBERÆ AC IMPERIALIS LUBECÆ,

PATRONIS & EVERGETIS MEIS
ÆTERNUM DEVENERANDIS
SUBMISSE DEDICO

M. HENRICUS BANGERTUS.

NUllum ab immortali DEO, PATRES PATRIÆ, PATRONI SUMMI, tantum bonum mortalib9 tributũ esse, quin fastidiverint alii, alii perversè oderint, fateantur oportet, quicunq; mentis aciem per antiqua secula circumferunt. Jam olim Seneca dixit, excellentis ingenii atq; doctrinæ vir: *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi, turba est.* Nihil tam ingeniosè unquam excogitatum, nihil ad utilitatem communem adeo paratum, quod Aristarchorum effugiat censuram. Vix quisquam ita sibi parũ tribuit, ut de rebus supra vulgi sensum positis ferre sententiam non audeat. Ignavissimus quisq; confidentissimè judicat, & quicquid inscitia non capit, temeraria calumniatur. Scilicet juxta vetus verbum: ῥᾷον ἐστι μωμήσασθαι, ἢ μιμήσασθαι. Quid tandem ad vitam formandam historiâ utilius? quid ad res civiles rectè ordinandas conducibilius? quid feliciùs ingenium erudit? quid judicium exactiùs præparat, instruit, acuit? quid ad virtutes animis inserendas exemplis efficacius? ad exstirpanda vitia potentius. Hæc deditos sibi ad Reipublicæ, ad Ecclesiæ munia ritè & utiliter exsequenda idoneos reddit. Ut rectissimè civili prudentia nulli secund9 Polybi9 judicaverit. μηδεμίαν ἑτοιμοτέραν εἶναι τοῖς ἀνθρόποις διόρθωσιν τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης, *nullam esse* (uti Casaubon9 vertit) *mortalib9 ad proficiendum viam expeditiorem, rerum antè actarum scientiâ.* Et paucis interjectis, omnium consensu constare, ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐξ ἱστορίας μάθησιν. ἐνεργεστάτην ἢ καὶ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν; *historiæ conditionem* (sic idem interpretatur) *verissimã esse disciplinã, et veluti,*

gymnasticam præparationem ad res civiles : aliorum item casuum commonefactionem unam et illustrem esse magistram, quæ generosè fortunæ commutationes perferre doceat. Haut rarò reperias tamen, qui sequiùs de præclaro antiquitatis studio sentiant, aut omnino illud protervè criminētur. Contra quos dicturo deesse oratio non posset, si in præsens agere illud constituissem, & nisi tot ac tanti viri, Græci pariter & Latini, historiæ suas accuratissimè dixissent laudes, & exquisita encomia; quorum testimonio cordatis & verè sapientibus nihil est antiquius. Opposuerunt certè divini sese studii contemtoribus osoribusq́; magno agmine, idq́; ab omni vindicarunt injuria, quotquot ejus augustus decor in admirationem sui rapuit, tùm reipsa, tùm gravissimorum auctorum suffragio in ea sententia confirmatos, vitæ politicæ, & omnium actionum, quæ quidem prudentib9 probari queant, fidissimam esse ducem historiam, imò omnes totius Philosophiæ artes ex hujus Oceano fluviorum ac lacuum instar derivari. Itaq́; utilitatem ipsius cum pari conjunctam necessitate, & calamo & voce ubiq; inculcarunt. Nam ut quisq́; omni ævo veri & honesti fuit studiosissimus: sic antiquitatis etiam, rerumq́; ante se gestarum solertissimus indagator. Nec putandum est, sine supremi Numinis contigisse prudentia, & insigni beneficio, quòd unumquodq; seculum aliquot viros tulit, qui egregia hæc studia suo æstimarunt pretio, illaq́; non litterarum tantùm, sed terrarum orbis etiam summo bono præcipuè orta judicarunt. Absq́; his enim foret, quæ res non densissimis involutæ tenebris jacerent? quis ipsius mundi, & omnium, quæ intuemur, initia & progressus? quis generis humani primordia, summorum imperiorum constitutiones, Rerumpublicarum ortus, incrementa, res domi forisq́; fortiter gestas, fastigia, conversiones, declinationes, & deniq́; eversiones? quis illustrium familiarum origines, facta memorabilia, earundemq; sæpe interitus novisset? quis

quis porrò ſacros, tam Veteris, quàm Novi fœderis, codices ſatis penetraret? quis bellorum ſeriem, quæ Hebraicæ genti, à primo in Palæſtinam ingreſſu, usq; ad excidium ejusdem, multa & magna illata ſunt, ad oracula Prophetarum exquiſitiùs intelligenda, ordine diſponeret? quis maximos in eccleſia, in regnis, & in Rebus publicis eventus? quis viciſſitudines memoratu dignas aut pro ſe complecti animo, aut communicare dextrè cum aliis poſſet? quæcunq; ſive intra Eccleſiæ Chriſtianæ pomœria, ſive extra eadem, per omnes mundi ætates, in togata & bellica adminiſtratione, prudenter vel ſecus cogitata, ſuſcepta, aut geſta fuerunt, ea omnia hiſtoriæ campus ὡς ἐν πίνακι oculis clariſſimè ſubjicit. Sed ne Iliada poſt Homerum, de ſtudio, cujus plurimæ & ſummæ utilitates in omnes ſeſe ordines latiſſimè diffundunt, quodq; nullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui, & quo nemo prudens ac doctus carere poterit, plura jam dicere ſuperſedeo. Me quidem tùm hæc, tùm alia usq; adeo commoverunt, ut antiquitatis ſacræ & profanæ cognitionem ſemper fecerim maximi, ratus, ſi quam ei poſt labores ordinarios, & poſt illum cultum, quem cœleſti debemus Numini, horam poſſem impendere, eam non ſine fructu iri collocatum. Quòd verò judicarem, de Rebuspublicis hos inprimis, poſt earũ rectores, egregiè mereri, qui primum iſtarum ortum, progreſſus atq; incrementa è tenebris eruta in lucem protrahunt, atq; æternitati conſecrant, nec meã operam, & qualem qualem induſtriam Vobis, NOBILISSIMI VIRI, minùs gratam fore confiſus ſum, ſi in primos clariſſimæ atque optimè conſtitutæ Reipublicæ conditores accuratiùs inquirerem, quæ per tot ſecula, atq; etiam nunc, veſtra poſt DEum cura, & conſiliorum inde felicitate, quia nunquam non recta & tuta ſunt, caput & decus maritimarum urbium, aliarumq; quas

Hanſeaticarum inſignimus nomine, meritò cluet, & ubiq; gentium notiſſima eſt. Atqui nemo primas origines, proximaq́; originibus, adeoq́; primos ſexaginta Reipublicæ annos, nec non inſignes rerum mutationes, quæ per viciniam noſtram in Wagria, Holſatia & Mechlenburgica terra, tribus & amplius ſeculis acciderunt, nec priùs, nec diligentiùs quàm HELMOLDUS, quiq́; eum continuavit ARNOLDUS, in literas retulit, ut qui inter ipſa urbis cunabula, & quidem in Eccleſiaſtica dignitate vixerunt, & magnam partem eorum, quæ literis conſignarunt, uſurparunt oculis. Hos igitur duos præcipuos elegi, quos è MSS. codicib9, qui mihi commodè oblati erant, recenſerem, & Notis brevibus illuſtratos in lucem emitterem.

Ad quos autem iſti majori jure, quàm ad Vos, PATRES PATRIÆ, pertineant? quos operæ potiùs meæ Patronos ac judices adoptem? Veſtra Reſpublica eſt, cujus ortum, & primam quaſi infantiam hi Scriptores tradidere: ſub veſtro quoq; auſpicio Notæ in illos hæ meæ natæ ſunt. Vobis hi veteres hiſtorici debentur, qui, quantò hiſtoriarum exempla, quàm nuda cæterarum artium præcepta, jucundiùs docent, moventq; animos, tantò plus huic ſcientiæ generi præ alijs tribuitis. Vos, ex antiquis geſtarum rerum monumentis prudentia civili conſummatiſſimè comparata, quicquid ab alijs Rerumpublicarum Palinuris vel bene conſultum, vel conſtitutum utiliter, vel feliciter expeditum invenitur, ad ſingulare patriæ decus & emolumentum dextrè imitando refertis. Veſtris, præfiſcinè dixerim, Lubeca in hunc diem rectiſſimè conſultis, & regendi artib9, ad invidiam usq; floruit, & floret. Maxima laus, non nego, etiam Majorum eſt, qui illam tam præclarè fundatam, & ſalutaribus munitam legibus, Vobis reliquere: ſed haut ſcio, an ulla exſuperatura veſtram ſit, qui difficillimis his temporibus, inter me-

dias

dias bellorum flammas, salvam ac sospitem sistitis, cùm nihil negligenter, omnia cum dignitate, singula cum summa sollicitudine, universa prudenti circumspectione tractatis. Prima cura vestra, totum Reipublicæ corpus, ex Platonis monito, curare, videreq; nequid detrimenti illa capiat: altera ab ea, bonas fovere literas, & illis docendis aperire φροντιστήρια, quibus ad Ecclesiæ & Politiæ munia erudiantur civium filii. Scholam itaq; publicam, seminarium Reipublicæ, à Majoribus laudatè introductam, laude non minori conservatis, & magistros honestis stipendiis alitis. In quibus postquam & me, ante hosce sedecim annos Oldenburgo à Scholæ Recturatu evocatum, esse voluistis, summum vestrum erga me favorem expertus sum, & propensissimam voluntatem, ut leve existimem & infra meritum, quicquid de Vobis honorificè, & ad laudem magnificè grata mea me pietas excogitare, aut eloqui jusserit.

Quamobrem, ut vestris agnitis veriùs, quàm celebratis beneficiorum meritis, non par quidem redhostimentum, sed aliquam saltem ingenuæ mentis, quæ benefacta dignè agnoscit & æstimat, tesseram reponerem, amplissimo Nomini vestro hunc meum laborem consecrare volui, ac debui. Vos modò serena eum fronte, & cum illo antiquos simul hos Reipublicæ vestræ Scriptores, post tot secula ad Vos redeuntes, ut recipiatis, atq; me clientem vestrum, qui in venerandum eos conspectum vestrum reduco, solita complecti benevolentia pergatis, etiam atq; etiam rogo atq; obsecro. DEUM T. O. M. piis invicem solicitabo precibus, ut Vos universos & singulos, ad Reipublicæ clavum sedentes, Spiritus Sancti dotibus largiter instruat & exornet, atq; consilia tempestate hac turbulentissima ita dirigat, ac porrò secundet, ut ad sanctissimi Nominis sui gloriam, Reipublicæ laudatissimæ conservationem & augmentum, ad vestrum deniq; omnium nunquã intermorituram laudem unicè vergant & exeant. Valete. Dabam è Museo.

AD BENEVOLUM LECTOREM.

E ipsis Auctoribus, & de nostro in illis edendis consilio & opera paucis monendus es, amice Lector. Helmoldus *ea ætate, qua hæc nostra Lubeca condita est, id est, circa annū CH. cIↄ CXL. vixit & scripsit. Est enim unus ex illorum doctorum numero, qui ante annos quingentos,* Wagrios *nostros, avitæ superstitionis tenacissimos, ejusdemq; propugnatores acerrimos, non sine summa difficultate, & magnis vitæ suæ periculis, è Cimmeriis ignorantiæ atq; impietatis tenebris adsertos, ad cœlestis Evangelii lucem perduxerunt. Vixit autem in ea Holsatiæ parte, quæ versus mare Balthicum sita,* Wagria *tunc dicta fuit, cujus amplitudinem & limites ad l. I. c. 57. descripsimus. Hîc quòd apud Plönensem lacum in villa* Bosow *domunculam & templum haberet, Presbyter Bosoviensis appellatus est. Quod vel ideo moneo, ut illum minùs rectè hactenus Buzoviensem à nonnullis nominatum fuisse constet; ut in Notis ad l. I. c. 14. ostendimus. Tenebant istis temporibus hæc ad mare Balthicum loca Slavi, gentes amplissimæ, eædemq; à Christiana fide alienissimæ; quæ unde, & quomodo in hæc loca, antea Wandalis habitata, quondam penetrarint, & quamdiu illa tenuerint, ad l. I. c. 2. expositum est. Istorum inprimis Slavorum, qui in Mechlenburgico & Wagrico agro, in Marchionatu item Brandenburgensi hactenus consederant, quiq;* Helmoldi *ætate partim pia opera Episcoporum & monachorum ad fidem conversi, partim, qui Christiana sacra pertinacissimè adspernabantur, ex locis his* Henrici Leonis, *&* Alberti Ursi *armis ejecti sunt, historiam* Helmoldus *scribendam sibi sumpsit. Quam quidem ad rem, ut in Prooœmio testatur,* Geroldum, *ultimum Ecclesiæ Aldenburgensis in* Wagria, *eundemq; primum Ecclesiæ Lubecensis Episcopum, monitorem atq; auctorem habuit. Hujus ut comes itinerum, & fidelis συνεργὸς in* Wagriorum *gente convertenda extitit: sic ejusdem pios labores & pericula, ab agresti & infideli gente religiosissimo viro intentata, diligenter retulit. Diligentissimi Scriptoris historia vel eo nomine nobis Lubecensibus, & omnibus antiquitatis amantibus gratissima esse debet, quòd ille primus fuit, qui de* LUBECA *urbe, rebusq; Lucensibus aliquid in literarum monumenta referre aggressus est. Ut taceam nunc, neminem ante illum de Slavis, tam nostrorum locorum quondam incolis, quàm cæteris, qui per reliquas Romani Imperii provincias dispersi fuerunt, explicasse vel exquisitiùs vel luculentiùs, vel etiam religionis Christianæ in his locis initia tradidisse clariùs.*

Cùm Helmoldus *anno cIↄ CLXX. in fata concessisset,* Arnoldus *Chronicon ejus continuandum atq; perficiendum suscepit. Is Abbatis munere ad D. Johann. in ipsa Lubeca functus est; de cujus cœnobij fundatione lib. II. Arnoldi cap. 19. Ordinis Benedictini monachum fuisse, è lib. IV. cap. 13. videri possit. Meminit illius* Paulus Langius *Chronico Ci-*

eo Citizensi ad annum 1189. his verbis: secundùm Arnoldum Abbatem Lubecensem in Chronica sua Slavonica. Et ad ann. 1198. quemadmodum Arnoldus Abbas Lubecensis in Chronica sua Slavica testatur. Arnoldus, quas partes in Helmoldiano Chronico continuando susceperat, fide optima persecutus est, & Slavicam historiam, cui res Lubecenses, & alias in Imperio, nec non in Syria gestas, suis quasq; locis, diligenter inseruit, ad annum salutis Christianæ cIɔ CCIX. perduxit. Usus uterq; Auctor est dictionis genere barbaro, id est, tali, quale illud seculum, in quod illi inciderunt, ferebat. Quare frustra ab iis dictionis elegantiam et orationis concinnitatem requiras; cum in illis legendis non tam styli et elocutionis majestas, quàm rerum fideliter ab istis expositarum cognitio æquis rerum æstimatoribus spectanda sit. Delituerunt illi in Monachorum pulpitis usq; ad annum CH. cIɔ IɔLVI. Lecti tamen, et in frequenti usu, magnoq; in pretio habiti fuere apud istos, qui tunc de rebus Slavicis, aut Saxonicis aliquid commentari, aut in literas referre studerent. Sanè Hermannus Kornerus, Lubecensis, familiæ Dominicanæ monachus, qui usq; ad annum CH. 1435. suam perduxit historiam, cujusq; exemplum unum MS. membranaceum Lubecæ, et aliud Lunæburgi servatur, omnes fere Helmoldi et Arnoldi narrationes operi suo, sæpe vix vocula mutata, interposuit. Ita Auctor Anonymus Chronici Slavici, quod Erpoldus Lindenbrogius inter Scriptores rerum Septentrionalium edidit, non modò opera Helmoldi se profecisse fatetur, sed in plerisq; etiam narrationibus ipsa verba et contextum Helmoldi repetit. Krantzius etiam aliquoties integras historias ex Helmoldo in suos libros transscripsit: ut alios nunc silentii conopæo involvam, inprimis, qui posterioribus seculis vel de Saxonicis, vel Lubecensibus rebus conscribere aliquid tentarunt; quorum, de nostris potissimum rebus et nostra et Latina lingua, conscriptos libellos circumferri videmus. Primus Helmoldum luci dedit Sigismundus Schorckelius, anno, ut dixi, cIɔ Iɔ LVI. Sed quòd vir optimus in exemplar MS. majori ex parte mutilum incidisset, quodq; de Arnoldi historia tantùm priora novem haberet capita, ibi subsistendum illi fuit, id est, in anno 1172. quo Henricus Leo, tunc Lubecæ Dominus, ex Syria rediens Constantinopolin usq; pervenerat. Editio hæc anno 1573. iterata, aut certè cum epistola nuncupatoria, alio characteris seu typorum genere renovata, prodiit. Manum deinde Helmoldo, et qui illum continuavit, Arnoldo admovit anno cIɔ IɔXXC. clarissimus et de re literaria optimè meritus ille Polyhistor Reinerus Reineccius. Qui cum duos MSS. codices consecutus esset, alterum è bibliotheca Lubecensi, idq; opera Andreæ Pouchenii, tunc ibidem Superintendentis, alterum à Christiano Distelmeiero, horum, et inprimis Lubecensis libri beneficio ille edidit, quousq; hactenus hos Scriptores uno volumine editos habuimus. Distelmeieri liber multis modis, et rebus et verbis, imperfectus et mancus fuit, imò integra alicubi capita in illo desiderata sunt. Quare Reineccius Lubecensi Codice optimo potissimum usus, Helmoldum totum, Arnoldum etiam penè integrum dedit, videlicet usq; ad Comitia, quæ Otho IV. anno 1209. Aldenburgi in Misnia habuit. In eo enim loco cùm in Lubecensi MS. exemplari folia nonnulla à fine perierint, quæ jactura adhuc hodie in eodem conspicitur, finire ibidem editionem suam, in initio capitis XVIII. libri VII. coactus est. Quæ deerant quatuor capita, postea Lindenbrogius cum Rer. Septentr. Scriptoribus anno 1609. cum literato

rato

rato orbe communicavit. Sed co. rectiùs eadem deinde è MSS. Ranzoviano Henricus Meibomius Juliæ quondam Professor celeberrimus, exscripta seorsim vulgavit.

Quod ergo Helmoldum & Arnoldum hactenus una editione nondum integros prodiisse, & illa ipsa, quæ edita erant, multis in locis mutila, aut etiam corrupta viderem, operæ pretium facturum me putabam, si Scriptores illos, ad initia, & primar-rum incrementa urbis Lubecæ illustranda, mihi recensendos sumerem, Arnoldum integrum jam darem, & quæ depravata passim in utroq; Auctore essent, emendarem, præsertim cum etiam exemplaria ultimæ editionis rarissima superesse, & tamen à multis doctis viris maximoperè desiderari intelligerem. Utriusq; autem Scriptoris accuratiorem editionem adornare me posse sperabam, cui ceu virgula divina quatuor antiqui Codices MSS. opera Patronorum & amicorum obtigissent. Horum primus ille ipse Lubecensis nostras est, ex quo Reineccius suam editionem confecit. Alter membranaceus, à Nobilissimo Jureconsulto Martino Boekelio, Syndico Reipublicæ Lubecensis gravissimo, Patrono atq; amico meo æternùm suspiciendo, qui Viri in me affectus, & in juvandis studiis promptitudo, communicatus est. Tertium ex Stetinensi bibliotheca Iohannes Micrelius, SS.Th. Doct. & Polyhistor celeberrimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, mihi obtulit. Quartum deniq; bibliotheca aliqua Ranzoviana suppeditavit. Cum his Codicibus libros editos, & ipsos Codices inter sese, cura qua id fieri potuit, maxima, contuli, ita tamen, ut contextum editionis Reineccianæ nullibi mutaverim, nisi ubi apertissimum mendum inesset, aut vox in tribus, vel etiam quatuor MSS. codicibus occurreret, quæ loco magis convenire, quàm quæ edita antea erat, videretur. Ubi autem lacunæ in contextu occurrerent, & aliquid omissum esset, quod aut in omnibus, aut pluribus MSS. reperiretur, addere non dubitaverim. Quæ verò, & ex quibus MSS. libris singula adjecta sint, in Variis Lectionibus, calci libri additis, ad singulas paginas monui. Nam in Lectionibus his colligendis ita versatus sum, ut non omnes sine discrimine & delectu huc referre operæ putarim pretium, sed præcipuas tantum, quæ vel significantius vocabulum continerent, vel contextui alium sensum inferrent, omissis levioribus, ut cum particulæ etiam, quoq; : enim, etenim, namq; : quod, quia: ibi, ibidem: ut, quod: verò, autem: eram, fueram: venit, pervenit, & multa alia hujus generis in Codicibus inter se commutarentur, aut etiam in aliis minutis aliqua vocum diversitas occurreret, quæ ad sensum contextus vel declarandum, vel mutandum nihil, aut parum admodum faceret. Collegeram quidem fere superstitiosè ex singulis MSS. etiam minutissimas quasq; discrepantias. Sed cum re pensiculata intelligerem, parum in eâ re, si omnes hîc cumularentur, emolumenti fore, discrevi postea, quæ alicujus momenti esse videbantur. In his L. Lubecensem: B Boekelianum: S. Stetinensem: R. Ranzovianum codicem MS. Edd. Schorckelii & Reineccii Editiones: Ed. Reineccii solius significat.

Quòd etiam istius generis Scriptoribus in usu sit, res ipsas plerumq; sine annorum annotatione confusiùs narrare, singulorum capitum argumenta in paragraphos à me distincta sunt; qui capitibus præmissi: numeri etiam in margine additi, qui illis respondeant.

Res

Res etiam pleraſq; ad ſuos, quibus quæq; geſtæ ſunt, annos retuli, quòd inde narrationibus ipſis nonparum lucis accedere putarem. Notas *deniq; breves ad quadam in his libris loca, quæ explicatione indigere viſa, illuſtranda adjeci; in quibus ſæpe ſatis mihi fuit, Lectorem ad ipſos Auctores, qui idem argumentum pertractarunt, brevitatis ſtudio remittere.* *Textûs per capita diſtinctio ex MS. Lubecenſ. inprimis deſumta eſt. Numerus capitum à* Reineccio *additus eſt. Nam in MSS. libris nullus numerus adſcriptus reperitur. Error in illum numerum in Reineccii editione à Cap. XXXV. libri primi, usq; ad finem irrepſerat: & à Cap. XII. libri ſecundi Arnoldi, usq; ad libri iſtius finem. Errore hoc ſublato verum numerum capitibus reſtitui, addito tamen & erroneo illo numero, ut minùs turbentur illi, qui loca à Scriptoribus recentioribus paſſim ex Helmoldi & Arnoldi priorib. editionibus adducta, inquirere & conferre cum ipſis fontibus horum Auctorum cupiant. Neq; enim caput ullum in Helmoldo aut Arnoldo exſtat, quod non ſæpe vel integrum, vel aliqua ſui parte ab iſtis, qui aut de Eccleſiæ Chriſtianæ per illa tempora, in his potiſſimum locis, ſtatu, aut de rebus Slavicis & Saxonicis aliquid memoria dignum conſcripſerunt, uſurpatum ſit. In quibus omnibus ſi cordato & æquo* Lectori *minùs ſatisfecero, veniam libenter peto, et, ſi qua in re peccatum à me videatur, ut privatim et amicè monear, obnixè contendo. Quod eò faciliùs ab illis me impetraturum confido, qui meminerint, quicquid operæ huic editioni impenſum, id omne finitis ordinariis, quantumvis continuis laboribus, exantlandum fuiſſe.*

Clarissimo VIRO,

HENRICO BANGERTO, S.

Um ex Anglicanâ legatione, VIR CLARISSIME, quam Hanseatici fœderis nomine, haut minori cum periculo quàm molestiâ, hâc æstate sustinui, redux, hîc inter alia quædam negotia adhuc hæreo, eccé literas tuas; quibus ad finem properare Helmoldum nuncias, vix reditum meum, prelis calentibus, moraturum. Pergratæ quidem illæ, quòd exspectati pridem operis nuncium ferebant; gratiores autem futuræ, si vel confectô planè itinere domi oblatæ mihi, vel maturiùs saltèm redditæ fuissent in ipsâ legatione, vel ipse deniquè potuissem reditum accelerare magis. Cogitabam etenim, (quod ignorare te nolim) si quid honoris adjicere posset calamus meus, commendatitia ac velut genethliacâ quadam, eâquè prolixiori epistolâ non tam adniti parturienti tibi, quàm orbi eruditorum ostendere, quantâ tibi industriâ, quantis laboribus inter ordinarias operas constiterit partus iste, quid deniqué editione ejus præstiteris, & quàm nihil ferè in eo præter publicum bonum inspectaveris, Vir idem & elegantissimè doctus & optimus simul. Cujus rei testem fortè nec commodiorem habere alium, qui solus propè omnium impensas abs te huic operæ & ingenij & studii vires noverim; nec fideliorem possis, qui Te ob insignem eruditionem animiquè candorem & amavi semper & magnifeci. Sed nec meæ sive gratulationis sive commendationis gratia invidendus erat seculo, nec latere diutius debebat fœtus, suapte maturitate exitum parans, qui, quamprimùm se orbi conspiciendum præberet, nativâ suâ pulchritudine exsurrectu-

recturus erat, alienæ laudis parum indigens. Ipse quidem jam olim, sicut nosti, sedulò egi tecum, interpellavi, monui, ursi, ne diutiꝰ premeres opus: ast rejectus semper, quòd ut mihi, aut cuivis æquo judici satisfecisse videri posses, tibi attamen ipsi nondum satisfactum diceres. Itaq; adhibitâ indies accuratiori limâ, ita politum atquè affabrè exasciatum nunc demum prodit opus, ut citra manifestam invidiam, nemò quisquam invenerit, quod vel reprehendere nunc meritò vel desiderare amplius possit. Tu verò, Clarissime Vir, quantum & ingenii facilitate, & doctrinæ copiâ, & judicij elegantiâ superes literatorum vulgus, & ostendis pariter & quàm pronum tibi sit tàm historiam scribere, quàm emendare, documentum præbes, optimè de utroquè sentientibus, luculentum. Fieri etenim haud potest, quin exquisitè scribat, qui de scriptis aliorum rectè & accuratè judicat. Perquam multos sanè reperias tum veteris ævi, tum nostræ ætatis historicos, qui, cum nulli rei minus sint idonei, ad historias scribendas tamen se applicant, pruritu inanis gloriæ magis aut ineptæ æmulationis, quàm simplici veritatis, juvandæquè rei literariæ publicive ullius emolumenti studiô. Et hi quidem si nec præsentes rebꝰ gestis adfuere, nec relationibus fide dignis instructi, tantò fœdius historiæ dignitatē prostituunt, quantò à gestorum veritate aberrant longiùs. Evenit quippe, ut ne hi quidem, qui ipsarum rerum usum habent, vel rectè semper de iisdem judicent, vel quæ aliundè communicata, satis expendant, justove ordine disponant. Thucydides quidem ideo laudatur, quod bello, paci, consiliisquè cunctis adfuerit ipse, & dux & consultor. Cæsar, quod suo jussu, suâ manu pleraq; gesserit:

 serit:

ſerit; Livius quod Imperij Romani deſcriptiones, à legatis undiq; ex provinciis miſſas inſpexerit, indeq; ſuæ hiſtoriæ non minimam fidem conciliaverit. Sed nec Thucydidi veriſimile eſt, rebus gerendis occupato, vel ocii vel ſtudii tantum ſuperfuiſſe, quantum ad ſcribendam æquali diligentiâ hiſtoriam ſufficit; nec Cæsarem piguiſſet refigere, (Aſinio Pollioni ſi credimus) commentarios ſuos, modò ſupervixiſſet. Livius autem, (ut Patavinitatem omittam) quoties in ipſa hiſtoriæ narratione peccaverit, jam pridem accuratioribus philologis annotatum eſt, & memini ex eruditiſſimo Heinſio audiviſſe quondam, obſervatos ſibi aliquot Livinianarum hallucinationum centones. Quantò magis labi eos oportet, qui nec pacis unquam bellivè uſum habuere, nec in ſcenâ iſtâ perſonam egêre ullam, nec publicis tabulis relatuve fide digno, excepêre quicquam; ſed audita, viſa, lecta nullo judicio conſarcinant, ſuæq; gentis amore, vel innata ambitione jactantiâq; ſtrues potius narrationum, quam hiſtoriam condunt. Nec tamen præciſè hiſtoriam â nemine rectè ſcribi dixerim, niſi qui rebus ipſis admotus, quæ ſcribenda ſunt vel ſpectaverit ipſe, vel egerit. Nam & Fabium, veterem hiſtoricum, Senatorem quamvis Romanum inq; clariſſima Reipublicæ luce verſatum, à Polybio attamen notatum invenimus, quod nulla parte commendabilē ſcripſerit hiſtoriam, pleroſq; ſaltem lectores nominis & dignitatis autoritate fefellerit. Cæterum quæ in hiſtoriæ conditore maximè expetuntur, duo ſunt præcipua: Fides & Judicium. Fidem integram eſſe oportet; eritq;, ſi nec odio nec partium ſtudiô nec rerum ignorantiâ obfuſcetur animus. Iudicium autem eſſe convenit rectum & perſpicuum; eritq; tale, ſi in deligendo providum

vidum, in disponendo benè ordinatum. Jam hæc uti ad scribendam historiam requiruntur, ita non minori curâ in recensenda opus est, quæ ab alio scripta sit. In quo CRISIS HISTORICA spectatur, res æquè utilis & necessaria, ac ipsa veritas, sive sacra spectes sive profana; ut inter doctos meritò censeri non debeat, èam si quis tanquam umbratilem, atq; inutile studium vellicet. Porrò ad officium ejus pertinet: primùm noscere genium autoris, tàm ex stili quàm ex ipsius narrationis contextu: deinde emendare, si quid vel corruperit ætas, vel adulteraverit temeraria librariorum manus: postremò illustrare facemq; addere, si quid obscuriùs aut non cuivis lectori obvium dictum appareat. In quam partem prodest tum ad verborum genuinum intellectum emendatioremq; structuram, conferre varias editiones, tam expressas typis quàm manu scriptas; ad rerum autem veritatem stabiliendam plures simul vel ejusdem ætatis vel posteriorum temporum historicos consulere; deniq; & temporis & personarum, totiusq; adeò rei gestæ accuratam rationem habere. Ad quæ omnia proinde & summâ curâ & delicatis auribus & recto insuper judicio opus est.

Singula hæc cum in Helmoldo præstiteris tuo, VIR CLARISSIME, dubiũ non est, quin officium in recensendo eo susceptum expleveris: incertumq; jam nobis relinquis, plusne sibi ad vitã famamq; contulerit ipse olim, an tuâ operâ atq; industriâ acceperit. Nam quod vixerit aliquando, ex se habet; nunc quod redivivus in lucem denuo prodeat, tui est beneficii. Ego quidẽ, si redire ad corporis sui habitaculum hujusq; vitæ usurã anima Helmoldina posset, pro ea, quam ipsa historia ostendit, sinceritate, & gratias acturam maximas & adeò se tibi mancipio daturam

turam ultrò eſſe, nullus dubito. Verùm ſicut utrumq; illi denegat naturæ lex, ita mancipatum tibi Helmoldum, lubentibus piis ejus manibus, addicit eruditorum omnis ordinis ſententia; gratitudinis uberioris vicem ſupplebit, dubio procul, inclytus Reip: noſtræ Senatus. Mihi ea eſt ſententia, nec falli animum puto, aut nunquam inventuram, aut in Te virum reperiſſe Lubecam, qui rerum ſuarum monumenta, & ampliſſima quidem & memoratu digna, poſteritati tranſcribenda poſſit demandare, poſtquam quantum in hiſtoriâ valeas, Helmoldus nunc tuus unus inſtar omnium ſatis ſuperq́: teſtatur. Vale vir amiciſſime, & bono literario diu bene age. Dabam Antvverpiæ, prid. Nonar. Septembr.

Ann. cIↃ IↃcLIX.

MARTINUS BÖEKEL, D.
Reip. Lubecenſis Syndicus etc.

AD CLARISSIMUM VIRUM,
HENRICUM BANGERTUM,
Gymnaſii Lubecenſis Prorectorem
BENE MERENTEM.

FAs eſto, BANGERTE, tuos celebrare labores
Carmine, quantumvis ſit mea Muſa rudis.
Teſtis amoris ades, quo propendemus in artes
Egregias, ſineret dummodò cura fori.
Crede mihi, ſtudiorum per genus omne volarem,
Si foret haut cuivis ſerva locanda manus.
Nunc variè, & ſemper, nec non diſtringor ubiq;,
Nilq́; die tota ſum minùs atq; meus.
Quid faciam? fatum quo tramite ducit, eundum eſt,
Contentumq́; ſua vivere ſorte decet.
Otia non deſes quoq; tu conſumis, Amice,
Nec tibi fòrs fruſtra tempora cara fluunt.
Te Schola quotidiè totum ſibi vindicat; atq;
Poſcit in hac operam noſtra juventa tuam.
Ardua ſollicitum nunquam non munia reddunt,
Quis neget? & patriæ commoda multa paras,
Dum figuli formas animos & fingis ad inſtar.
Seu ſibi templa velint, curia ſive viros,
Aurea ſive novos medicina requirat alumnos,
Germina Socratico deficiant ve gregi,
Suppeditas plena nobis promisq́; pharetra.
Provenit inde quidem gloria magna tibi,
Et meritò: dimenſa tamen digeſtaq́; tractas,
Et certum, quod agas, quælibet hora vehit.

Quod ſuperat ſpatii ſtudiis impendis avarus,
Intactumq; nihil linquere gnavus amas.
Sunt bene nota tibi Synagogica dogmata: Græci
(Hi patres Sophiæ!) quod docuere, tenes.
Perlectus Cicero, Tacitus, Seneca, atq; Secundus
Plinius, aut quotquot terra Latina tulit.
Hiſtoriam calles quoq;, diffuſiſſima quanta eſt,
Et numeras digitis ſingula ſecla tuis.
Inſtituis veluti juvenes, ſic ſcribis adultis,
Et doctore queunt te ſapuiſſe viri.
Comprobat HELMOLDUS ſatis hæc, auctore Lubeca
Quo gaudet multùm, barbarus ille licet.
Danda etenim venia eſt vitii, quod traxit ab ævo,
Scribere quo purè neſcius orbis erat.
Sat facit officium hiſtorici bene: pandere novit
In chartis ut qui non niſi vera ſuis.
Quicquid deeſt linguæ, tu ſollertiſſimus addis,
Quippe tua ſplendens veſte theatra ſubit.
Helluo librorum ſexcenta volumina volvis,
Additum ut HELMOLDO ſit maneatq; decus.
At manet æquus honos te: nam poſt ſecula vives
Tot, quot & HELMOLDUS poſt ſua fata viget.

Ita amico meo conjunctiſſimo
vaticinor

Johannes Francke/ J. U. D.
Illmæ Sax. Princip. Conſil. & Rev. Capit. Razeb. nec non Ordd. Sax. Synd.

HEL-

HELMOLDI, PRESBYTERI BOSOVIENSIS,

CHRONIC. SLAVORUM LIBER I.

Reverendis Dominis ac Patribus, Sanctæ Lubecensis Ecclesiæ Canonicis, Helmoldus, Ecclesiæ, quæ est in Buzu, indignus servus, debitæ obedientiæ voluntariam exhibitionem.

RETractaui in longa meditatione, quid operis acceptarem, quo matri meæ, sanctæ Lubecensi Ecclesiæ, aliquem famulatus mei honorem impenderem, sed nihil aptius occurit animo, quàm ut ad laudem ipsius scribam conversionem Slavicæ gentis, quorum scilicet regum sive prædicatorum industria, Christiana religio his in partibus primùm plantata, & postmodò restaurata fuerit. Hortatur me ad id studium scriptorum, qui ante nos sunt, imitabilis devotio, quorum pleriq; propter magnum scribendi studium, dum omnibus negotiorum tumultibus renunciarunt, ut in secreto contemplationis otio inuenire possent viam sapientiæ, præferentes eam auro obryzo, & cunctis opibus preciosis: qui etiam extendentes aciem ingenii ad invisibilia DEI, & ipsis arcanis approximare cupientes, plerunq; supra vires laborare nisi sunt. Alii autem, quorum conatus non fuit tanti, consistentes in suæ dispositionis meta, auxerunt & ipsi de simplicitate sua arcana scripturarum, multaq; ab ipsa constitutione mundi

de

de regibus & Prophetis & variis bellorum eventib9 commentantes, ſuper virtutibus laudem, vitiis verò deteſtationem ſuis præconiis addiderunt. In hujus enim ſeculi tenebroſa caligine ſi deſit lucerna ſcripturarum, cæca ſunt omnia. Arguenda igitur eſt modernorum inſolentia, qui de abyſſo judiciorum DEI multa, ſicut olim, ita & nunc, emanare videntes, obturaverunt venas eloquentiæ ſuæ, averſi in lubricas hujus vitæ vanitates. Ego autem in eorum laudem, qui Slavorum provinciam diverſis ætatibus manu, lingua, plerique etiam in ſanguinis effuſione illuſtrarunt, operis hujus paginam dicandam arbitror: quorum gloria non erit obſtruenda ſilentio: quia poſt excidium Aldenburgenſis Eccleſiæ Lubecenſium inclytam civitatem, Domino favente, ad hunc decoris apicem provexeunt, ut inter omnes Slavorum optimatiſſimas civitates hæc jam caput extulerit, tam rerum opulentia, quàm religione divina. Porrò aliis omiſſis, quæ noſtra ætate geſta ſunt, quæ aut longæuis viris referentibus percepi, aut occulta cognitione didici, ſtatui Domino propicio cum fide perſcribere, tanto ſanè effuſius, quanto uberius ſuppeditat ſcribenda geſtarum noſtro tempore rerum magnitudo. Nec ad hoc opus temeritas impulſat, ſed præceptoris mei venerabilis, Geroldi Epiſcopi, adduxit perſuaſio, qui primus Lubecenſem Eccleſiam fecit inſignem cathedra ſimul & clero.

CAP. I.

1. Slavi habitarunt ad mare Balthicum.
2. Slavi Orientales sunt Russi: Poloni: Prussi: Bohemi: Carinthij: Sorabi.
3. Hi omnes, exceptis Prußis, Helmoldi ætate, Christianam fidem receperant.
4. Russi jam dudum Christo nomen dederant.
5. Prussorum mores: divitiæ: superstitio.
6. Hungari bella Imperio Romano intulerunt, videlic. ab anno 900. ad ann: 955.
7. Carinthij divini cultus sunt studiosi.
8. Bohemi sunt bellicosi, & religionis divinæ amantes.
9. Poloni & Bohemi Imperio Rom. sunt vectigales.
10. - - - in bello sunt rapaces.

OPeræprecium existimo in conscriptionis hujus introitu aliqua de Slavorum provinciis, natura, moribus, historico prælibare compendio, quantis scilicet ante conversionis gratiam, errorum nexibus implicitifuerint, ut per quantitatem morbi facilius agnoscatur efficacia divini remedij. Slavorum ergo populi multi sunt, habitantes in littore Baltici maris. Sinus hujus maris ab occidentali oceano Orientem versus porrigitur, appellatus ideo Balticus eo quòd in modum balthei longo tractu per Scythicas regiones tendatur usque in Græciam. Idémque mare barbarum, seu pelagus Scythicum vocatur, à gentibus, quas alluit, barbaris. Hoc mare multæ circumsedent nationes. Dani siquidem, ac Sveones, quos Northmannos vocamus, septentrionale littus, & omnes in eo obtinent insulas. At littus Australe, Slavorum incolunt nationes, quorum ab Oriente primi sunt Ruzi, deinde Poloni, habentes à septentrione Pruzos, ab Austro Bojemos, & eos qui dicuntur Morahi sive Carinthi, atque Sorabi. Quod si adjeceris Ungariam in partem Slavoniæ, ut quidam volunt, quia nec habitu nec lingua discrepat, eousq; latitudo Slavicæ linguæ succrescit, ut penè careat æstimatione. Omnes hæ nationes, præter Pruzos, Christianitatis titulo decorantur. Diu enim est ex quo Ruzia credidit. Russia autem vocatur à Danis, Ostrogard, eo quòd in Oriente positus, omnibus abundet bonis. Hæc etiam Chunigard dicitur, eo quod ibi sedes Hunorum primo fuerit. Hujus metropolis, civitas est Chue. Quibus autem doctoribus ad fidem venerint, minimè compertum habeo, nisi quòd in omnibus observantiis suis, Græcos magis quàm Latinos imitari videntur.

1 (opposite "OPeræprecium … aliqua de")
2 (opposite "Dani siquidem, ac Sveones")
3 (opposite "Omnes hæ nationes, præter Pruzos, Christianita-")
4 (opposite "Russia autem")

Nam Rucenum mare, brevi in Græciam transmittit. Pruzi necdum 5

lumen fidei cognoverunt, homines multis naturalibus bonis præditi, humanissimi erga necessitatem patientes, qui etiam obviam tendunt his, qui in mari periclitantur, vel qui à piratis infestantur, & subveniunt eis. Aurum & argentum pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis, quarum odor lethiferum nostro orbi superbiæ venenum propinavit. Et illi quidem uti stercora hæc habent, ad nostram credo damnationem, qui ad marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quos nos appellamus Faldones, illi offerunt tam preciosos martures. Multa poterant dici de hoc populo laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cujus prædicatores immaniter persequuntur. Apud illos martyrio coronatus est illustris Boemiæ Episcopus, Adelbertus. Usque hodie profectò inter illos, cùm cætera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu. Carnes jumentorum pro cibo sumunt, quorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur. Homines hi cerulei, facie rubea & criniti. Præterea inaccessi plaudibus, nullum inter se dominum pa-
6 ti volunt. Ungarica gens validissima quondam, & in armis strenua, ipsi etiam Romano Imperio formidolosa. Nam post Hunorum atque Danorum strages, tertia Ungarorum desævit irruptio, omnia finitima regna vastans atque collidens. Collecto enim immenso exercitu, bellica manu omni Bavaria sive Svevia potiti sunt: Præterea loca Rheno contigua depopulati sunt: Saxoniam quoque usque ad oceanum Britannicum igni atque cruore compleverunt. Quantis autem Imperatorum laboribus & Christiani exercitus dispendio subnervati fuerint, & divinis legibus subacti, multo-
7 rum habet notitia, & publicè loquuntur historiæ. Carinthi confines sunt Bavaris, homines divino cultui dediti, nec est ulla gens honestior, & in cultu
8 Dei, & sacerdotum veneratione devotior. Boemia habet regem, & viros bellicosos, plena est Ecclesiis, & religione divina. In duos disterminatur
9 episcopatus, Pragensem, & Olomucensem. Polonia, magna Slavorum provincia, cujus terminum in Ruziæ regnum dicunt connecti. Et dividitur in octo Episcopatus. Quondam habuit regem, nunc autem ducibus guberna-
10 tur. Servit & ipsa, sicut Boemia, sub tributo Imperatoriæ majestati. Est autem Polonis atque Boemis eadem armorum facies, & bellandi consuetudo. Quoties enim ad externa bella vocantur, fortes quidem sunt in congressu, sed in rapinis & mortibus crudelissimi: non monasteriis, non Ecclesiis, aut cœmiteriis parcunt. Sed nec alia ratione extraneis bellis implicantur, nisi conditionibus admissis, ut substantiæ, quas sacrorum locorum tuitio vallaverit,

laverit, direptionibus publicentur. Unde etiam contingit, ut propter aviditatem prædarum, amicissimis sæpe abutantur ut hostibus, ob quod rarissimè ad quaslibet bellorum necessitates adsciscuntur. Hæc de Boemis atq; Polonis, & cæteris orientalibus Slavis dicta sufficiant.

Balticus) nō à baltheo, sed à Balte, (**dem Belt**) hoc mare dici, *Krantzius Wand. lib. II. c. 17.* disputat; quæ sententia verior est.

In Græciam) Rein. Reineccius hîc σφάλμα Geographicum notat, & Krantzius *loco adducto & c. 20.* Helmoldum hoc nomine reprehendit. Sed observandum, istius ætatis scriptores etiam Russos vocasse Græcos, Russiam verò Græciam. Constat id ex Adamo Bremensi, qui *l. II. c. 13.* scribit, Chiven, Russiæ metropolin, clarissimum decus Græciæ esse. Hæc est, quæ paulò pòst *Auctori nostro* Chue dicitur. *Adamus* addit, naves à Barbaris in Græciciam, i.e. Russiam mitti, *lib. IV. c. 46.* Ratio communis appellationis inde esse videtur, quòd Russi non modò Græcorum literis, earumq; appellationibus maximam partem utantur, sed etiam quòd religionem ab illis suam acceperint. Vide *Adamum Olear. Itin. Pers. part. I. p. 174.* Quid? quod ipsa Taurica chersonesus, & totus iste tractus circa paludem Mæotidem, incolas habet Græcos, & imperium Græcorum Trapezuntinorum, qui huc usq; suam ibi & lingvam Græcam & religionem retinent, & Tartari Precopenses hodie appellantur. *Michalon Lituanus de morib. Tartaror. p. 191.*

Hoc mare.) Secutus hîc Auctor est Eginhartum in vita Caroli M. *p. 6.*

Diu enim) Quo tempore Russi religionem Græcorum susceperint, non usq; adeo certum. *Sigismundus Liber Baro in Herberstein rerum Muscovitic. commentariis p. 3.* narrat, Olham, quam Igor, Dux Russorum, viduam reliquerat, post res præclarè gestas, in Græciam profectam, & sub rege Joanne Constantinopolitano baptismum suscepisse. Postea scribit, *p. 5.* Vuolidemerum, Rusfiæ monarcham, missis Constantinopolin Oratoribus ad Basilium & Constantinum reg..., si Annam sororem, uxorem sibi darent, se fidem Christi cum omnibus Rusfis suis fuscepturum promisisse. Juxtà hanc narrationem Russos circa annum Christi 870. Græcorum religionem suscepisse oportet. *Epitome genealogiæ Moscoviæ Ducis* refert ad ann. 988. Adde *Paul. Jovium de legatione Moscovit. p. 126. Sigismundus Baro* post *p. 19.* narrat, Russos in Annalibus suis gloriari, longè ante Vuolidemerum Rusfiam ab ipso Andrea Apostolo ad fidem conversam & baptisatam esse. Vide & *Joann. Fabrum de Moscovitar. religione, p. 133.* Ruthenos fidem Christianam Graecorum ritu anno 942. sub Olha & Vuolodimero suscepisse notat *Alexander Guaning* in Moscoviae descriptione, *c. 2. p. 171.* Et paulò pòst capite eodem subiicit, Ruthenos jactare, se operâ Andreae Apostoli ad fidem Christianam adductos. *Cedrenus* etiam auctor est, Russorum classem anno 860. multos transfugas & captivos secum Constantinopoli abduxisse, atq; ab istis postea religionem Christianam ipsos edoctos, & paucis pòst annis universam Russorum gentem baptisatam esse.

Martur.) Fit illa ex pelle animalculi *martes* dicti. Est antem mustelæ genus, nobili pelle insignis. Unde *Martialis*: Venator capta marte superbꝰ adest, *l. X. epigr. 37*. Ubi tamen *Cl. Salmasius* pro *marte*, *mæle* in libris veteribus legi contendit, *Plin. Exercitat. in Solin. p. 1009*. De pellibus harum & Zebellinorum *Paul. Iov. de legat. Moscov. p. 123*.

Apud illos) Ditmarus, primus Episcopus Pragensis fuit; qui cum anno CHR. 969. 2. Ian. mortuus esset, Voytichius, Comitis Bohemiæ, Slavonici, filius, à Boleslao pio, Bohemorum Duce, 19. Febr. ei surrogatus est. Hic cùm Alberti I. Archiepiscopi Magdeburgensis discipulus fuisset, Albertus eum propter morum sanctitatem & discendi ardorem tam tenero est prosecutus amore, ut ei suum nomen imponeret. *Paul. Lang. Monach. Chron. Citicensi p. 761*. Missus ad Imperatorem, tunc in Italia rebus detentum, Veronæ 2. Iunii est confirmatus, & 11. Iunii à Willigiso, Præsule Moguntino, consecratus. Vir divinæ religionis propagandæ studiosissimus Româ rediens, quò, ut Episcopatu se abdicaret, profectus fuerat, Stephanum, Hungarorum Regem, ad Christi fidem convertit, eumq; cum aulicis nonnullis baptismi lavacro tinxit. Reversus in Bohemiam, & Slavorum atroces insidias expertus, in Poloniam descendit, & gentem, quæ nuper etiam Evangelium amplexa erat, in fide confirmavit. Cùm inde tandem etiam in Prussiam se contulisset, ut efferam gentem Christo adduceret, ab infidelibus anno Chr. 995. occisus est, ut narrat *Marian. Scotus l. III. æt. 6. ad h. ann.* Alii scribunt, ipsum hoc anno primùm in Poloniam venisse, sequenti anno 996. ad Prussos transiisse, & anno 997. 23. April. ab idololatris prope oppidum Fischhausen palo alligatum & septem hastis trajectum esse. Reliquias ipsius Boleslaus Dux Poloniæ, devictis postea Prussis in Poloniam transtulit & Gnisnæ sepeliit. Vide infra *c. 15. n. 1. & Martinum Boregk in descriptione Bohemiæ, in Boleslao Pio, p. 57. & seqq.*

Hunorum) Bellum contra Hunnos, sive Avares Carolus animosiùs quàm cætera, & longè majori apparatu administravit. Octo annis gestum bellum est: immensi thesauri Hunnis erepti: hostes multis præliis fusi. *Eginhart. in vita Caroli. Regino ad ann. 791. Annal. Fuldens. ad ann. 796.*

Ungarorũ) Quemadmodum Nordmanni jam integros LXX. annos Saxoniam, Galliam & Angliam cædibus, rapinis atq; incendiis vastaverant, ab anno Chr. 820. ad ann. 891. quo Arnolphus Imperator ipsorum nonaginta millia, & Reges duos Sigfridum & Godfridum occidit, uno tantùm homine ex suis desiderato (*Annales Fuldenses hoc anno*): ita, his repulsis, Hungari surgunt, & anno Chr. 901. Bavariam, Sveciam, & Franciam longè lateq; vastare incipiunt. *Abbas Ursperg. h. a.* Anno 906. cum Vandalis & Obotritis Saxoniam depopulantur. *Lambert. Schaffnab. h. a.* Anno seq. Ludovicus Imperator ex trium dierum prælio inferior discedit: Luitpoldus (Leopoldus) Austriæ Dux cadit: Bavari magna cæde ab ipsis afficiuntur: *Regino h. a.* Anno 908. Saxoniam & Thuringiam, & anno seq. totam Germanniam miserrimum in modum vastunt. Cæteras illorum gravissimas in Germaniam irruptiones, usq; ad ann. 955. quo ab Ottone Magno gravi prælio fere ad internecionem deleti sunt, describunt Auctores jam laudati. Vide & *infra cap. VIII.*

CA-

CAPUT II.

1. Slavi cæteri, Winithi Auctoris ætate dicti fuere.
2. Horum primi Pomerani.
3. Oderæ & Albis, amnium, origo & cursus.
4. Winetæ magnitudo, commercia &c.
5. Heruli: Helveldi: Leubusij: Wilini: Stoderani.
6. Tollensi: Rhedarij.
7. Rethre urbs, & Radegastus, idolum.
8. Circipani: Kissini.
9. Lingones: Warnavi.
10. Obotriti: Polabi: Wagrij.
11. Femarienses.
12. Rügiani.
13. Hæ gentes omnes idololatræ & piratæ, vicinis graves.

UBi ergo Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimam Slavorum 1
provinciam, eorũ qui antiquitꝰ Wandali, nunc autẽ Winithi sive Winuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, quorum sedes portenduntur usq; ad Odoram. Est autem Odora ditissimus amnis Slavicæ regionis, & oritur in profundissimo saltu Marahorum, qui sunt ab oriente Boemiæ, ubi & Albia sortitur principium. Nec longis ab inuicem distant spaciis, sed diverso currunt meatu. Albia enim in occasum ruens, primo impetu Boemos alluit cum Sorabis, medio cursu Slavos dirimit à Saxonibus, novissimo Hammenburgensem dividens parochiam à Bremensi, victor Oceanum ingreditur Britannicum. Alter fluvius, id est, Odora, vergens in Boream, transit per medios Winulorum populos, dividens Pomeranos à Wilzis: in cujus ostio, 4 qua Balticum alluit pelagus, quondam fuit nobilissima civitas Vinneta, præstans celeberrimam stationem barbaris & Græcis, qui sunt in circuitu. De cujus præconio urbis, quia magna quædam, & vix credibilia recitantur, libet aliqua commemorare, digna relatu. Fuit sanè maxima omnium quas Europa claudit civitatum, quam incolunt Slavi cum aliis gentibus permixtis, Græcis & Barbaris. Nam & aduenæ Saxones parem cohabitandi licentiam acceperunt, si tantum Christianitatis titulum ibi commorantes non publicassent. Omnes enim usq; ad excidium ejusdem urbis, paganicis ritib. oberrarunt. Cæterum moribus & hospitalitate, nulla gens honestior aut benignior potuit inveniri. Civitas illa mercibus omnium nationum locuples, nihil non habuit jucundi aut rari. Hanc civitatem opulentissimam, quidam Danorum rex, maxima classe stipatus, funditus evertisse refertur. Præsto sunt adhuc antiquæ illius civitatis monumenta. Ibi cernitur Neptunus triplicis naturæ. Tribus enim fretis alluitur illa insula, quorum ajunt unum viridissi-

mæ esse speciei, alterum subalbidæ, tertium motu furibundo, perpetuis
sævit tempestatibus.
5 Sunt & alii Slavorum populi, qui inter Albiam & Odoram degunt, lon-
goq; sinu ad Austrum portenduntur, sicut Heruli, vel Heveldi, qui sunt juxta
Habolam fluvium, & Doxam, Leubuzi, & Wilini, Stoderani, cum multis
6 aliis. Post Odoræ igitur lenem meatum, & varios Pomeranorum populos,
ad occidentalem plagam occurrit Winulorum provincia, eorum qui Tho-
7 lenzi sive Redarii dicuntur. Civitas eorum vulgatissima Rethre, sedes ido-
latriæ. Templum ibi magnum constructum dæmonibus, quorum Princeps
est Redegast. Simulacrum ejus auro, lectus ejus ostro paratus. Civitas ipsa
novem habet portas, undiq; lacu profundo inclusas. Pons ligneus transitum
præbet, per quem tantum sacrificantibus, aut responsa petentib. via conce-
8 ditur. Deinde venitur ad Circipanos & Kyzinos, quos à Tholenzis & Rede-
ris separat flumen Panis, & civitas Dimine. Kyzini & Circipani, cis Panim,
Tholenzi & Redari, trans Panim habitant. Hi quatuor populi à fortitudi-
9 ne Wilzi sive Lutici appellantur. Ultra illos sunt Linguones, & Warnavi.
Hos seqvuntur Obotriti, civitas eorum Miklinburgk. Inde versus nos, Po-
10 labi, civitas eorum Racisburg. Inde transitur fluvius Travena, in nostram
Wagirensem provinciam. Civitas hujus provinciæ quondam fuit Alden-
11 burg maritima. Sunt & insulæ Baltici maris, quæ incoluntur à Slavis, qua-
rum una Vemere vocatur. Hæc opposita est Wagiris, ita ut videri possit
12 Aldenburg. Altera insula longè major est, contra Wilzos posita, quam in-
colunt Rani, qui & Rugiani, gens fortissima Slavorum, qui soli habent re-
gem, extra quorum sententiam nihil agi de publicis rebus fas est, adeò me-
tuuntur propter familiaritatem Deorum, vel potius Dæmonum, quos ma-
jori præ cæteris cultura venerantur. Hi ergo sunt Winulorum populi, dif-
13 fusi per regiones & provincias & insulas maris. Omne enim hoc hominum
genus, idololatriæ cultui deditum, vagum semper & mobile, piraticas exer-
centes prædas, ex una parte Danis, ex altera Saxonibus infestum. Sæpius
ergo multisq; modis, magnorum Imperatorum atq; sacerdotum solertia ten-
tatum est, si gentes istæ rebelles & incredulæ possent aliquatenus ad agni-
tionem divini nominis & credulitatis gratiam adduci.

Wandali) Wādali illi antiqui, & Winithi hîc Auctori iidem sunt. Sed nec alii historici Wandalos, Winithos VVinedos, & Slavos satis diligenter distinguunt, fere pro una & eadem gente habentes. Sunt contrà, qui illos discernunt, & alios Wandalos, alios autem Winithos fuisse docent. Horum sententiâ, loca hæc nostra ad mare Balthicum ter suos mutarunt incolas. Nam primùm quidem illa VVandali tenuerunt: post illos Venedi, seu VVendi, qui Auctori nostro VVinithi: & his oppressis, præcipuè in Mechlenburgo & VVagria, novissimè Saxones. Inscripsit Hel-

mol-

moldus librum suum Chronica Slavorum. Nos igitur historiam populorum, qui hæc loca unquam inhabitarũt, breviter delineata exhibebimus, ut appareat, quinam Slavi isti fuerint, quos Auctor noster celebrat, quiq; veterem nostram Lubecam condiderunt, &, quamdiu illa stetit, incoluerunt. Absolvemus rem nonnullis capitibus:

I. Wandali sunt indigenæ, & primi horum locorum incolæ. Hos primò omnium oram Balthici maris longè lateq; tenuisse, veterum scriptorum testimoniis constat. *Plinius* Vindelos, seu Vandalos, gentem Germanam facit, & illos in Burgundiones, Varinos, Carinos & Guttones distribuit, *lib. IV. cap. 14.* Hæ autem nationes ista ætate omnes ad mare nostrum habitavere. Et Burgundiones quidem Poloniam: Varini (à Varno amne ita dicti) Mechlenburgum: Carini Pomeraniam occidentalem: Guttones autem Pomerelliam Regiomontum usq; incoluisse putantur. Et quidem primos generis auctores huc non ita diu post diluvium intrasse, nonnulli ex historia filiorum & nepotum Noæ conjectant. Ex Askenasis enim familia, qui Japhetum avum habuit, Svevum Principem ortum ajunt, qui omnem tractum maris Balthici ab Albi, ad extremam usq; Europam tenuerit. Hujus filium Vandalum præcipuè terras inter Travam & Vistulam amnes coluisse, & antiquis illis VVandalis nomẽ imposuisse. VVandali igitur harum terrarum indigenæ seu aborigines fuisse cẽsendi sunt; quorum primi conditores, ex quo mortalium genus terras post aquarum eluvionem habitare iterum cœpit, eas ingressi sint, quiq; multis postea seculis istas retinuerint. Magnæ fuerunt res his VVandalis gestæ, ut nec exteris, iisq; antiquis scriptoribus ignotæ illae fuerint: multò notiores futuræ, nisi literarum secreta viri pariter ac fœminæ inter ipsos ignorassent, sed scriptores domestici res illorum maximas, domi militiæq; feliciter gestas, ab exteris autem propter invidiam non pro dignitate commemoratas, ab oblivionis injuria vindicassent. *Krantzius* antiqui scriptoris testimonio VVandalorum regem Scalcum, cum Helgone, Daniæ Rege, qui ante natum Christum anno circiter Ioc. regnavit, bellum gessisse asserit. *Wandal. lib. I. c. 7.* Hi VVandali (quos Saxo Grammaticus Slavos vocat) irruptiones in Daniam Frothone III. imperante, qui anno 37. ante Christum natum regni gubernaculis admotus est, fecerunt; in quos Frotho expeditione per Ericum Ducem suum suscepta Regem illorum Sturnicum interfecit. *Saxo lib. V. p. 84.* Hi Sivardum I. Regem Daniæ circa annum Chr. 344. aliquot præliis in Iutia superatum, Scania & Iutia exueruut. *Saxo l. IIX. p. 154.* Hi Jarmericum, Sivardi filium, juvenem adhuc ceperunt. Hi Daniam frequentissimè depopulati sunt. *Saxo ibid.* Gens bellicosissima non continere se suis limitibus potuit, sed subinde illos egressa non Danorum regnum tantùm, sed & potentissimi Romani populi provincias incursionibus vexavit. Hinc VVandalos in Pannonia ab Imperatore M. Antonino extinctos Julius Capitolinus *in vita ipsius* commemorat, *p. 29.* Idem *in vita Probi Imperatoris* VVandalos per totum pene orbem pedibus & navigando vagatos, nec parum molestiæ Romanæ intulisse gloriæ memoriæ prodidit, *p. 240.* VVandalorum magnam coloniam circa Constantini M. tempora VVismari Regis auspiciis, ab oceano versus meridiem profectam *Jornandes de rebus Geticis c. 22.* scriptum reliquit.

II. Wandali fuerunt Germani. Wandalos hos nõ Sarmatas aut Scythas, sed Germanos

manos fuiſſe, primùm antiquorum auctorum teſtimonio liquet: deinde lingua eorum Germanica, quâ uſi fuere, probat. Ex quo ſcriptoribus antiquis Germani innotuerunt, Wandali in illis numerati ſunt. *Plinius*, qui Veſpaſiani tempore claruit, cùm quinq; genera Germanorum recenſet, Wandalos inter eos primos facit, lib. IV. c. 14. Plinio ut æqualis, ita ὁμόψηφος in hoc argumento *Tacitus*, hiſtoriæ ſcriptor verus atq; acutus, uti Marſos, Gambrivios & Suevos, ita & Wandalos antiquiſſimos Germaniæ populos facit, eamq; appellationem iſtis quoq; temporibus ita fuiſſe vetuſtam indicat, ut unum ex ipſius Dei *Tuiſconis* filiis Wandalum appellatum eſſe tradiderint. Accedit, quod Methodius martyr epiſtolam, à Wandalis ad Conſtantinum Imperatorem ſcriptam, produxerit, quâ illi ſe Germanos eſſe publicè profeſſi ſunt, uti commemorant *Franciſc. Irenicus Exegeſ. Germ. l. I, c. 33. & Mich. Beuth. Animad. hiſtor. lib. I. p. 15.* Lingvâ etiã eadẽ cum cæteris Germanis uſos eſſe difertè teſtatur *Procopius, lib. 1.* Idem nõ tantùm ex Nominibus propriis, ſed etiam appellativis & verbis, quorum amplos duos indices *H. Grotius* confecit, & Hiſtoriæ Gotthorum & Vandalorum *p. 574* inſeruit, clariſſimè conſtat; ad quos lectorem remittimus. Adde *Philipp. Clüver. Germ. Antiq. lib. III. c. 46.* Uti verò fieri aſſolet, ut populorum appellationes propriæ à diverſarum linguarum & ætatum ſcriptoribus, exteris præſertim, una atq; altera litera immutentur: ita hi populi diverſis auctoribus, Vandali, Vandalij, Vandeli, Vandili, Vanduli, Vindili, Vinili, Vinuli, Winili, Winuli, Græcis ut *Zoſimo, lib. I. p. 37.* Βάνδιλοι, nonnullis Οὐάνδαλοι, ut *Eutropio, lib. IIX.* dicũtur. Adde *Hug. Grotij Prolegomena hiſtoriæ Gotthor. p. 23.*

III. Wandali crebris ſuis expeditionibus terras ſuas incolis denudarunt. Quietis impatiens populus, & ad arma ſtrenuus non contineri avito ſolo potuit. Sicut enim omnib9 Germanicæ nationis populis pigrum & iners videbatur, ſudore acquirere, quod poſſis ſangvine parare: ſic VVandali ſummam laudem ſemper in armis quæſivere. Quoties enim omnis Germania in fœdus contra Romanos aut ante Chriſtum natum, aut poſtea, ut contra Julium Cæſarem, Domitianum, M. Antonium, Valentinianum & cæteros coiret, VVandalos magno nnmero interfuiſſe certum eſt. Nec unquam VVandali à Gothicis expeditionibus, quas bellicoſiſſima gens ſuſcepit frequentiſſimas, excludendi ſunt, cùm VVandali illorum pars fuerint. *Procopius l. I. Hiſtor. Vandal. p. 5.* Sive igitur Gotthi verſus Orientem moventes Conſtantinopolitanos Imperatores urſerunt, ſive verſus meridiem ſuperato Danubio, aut Albi & Rheno, occidentales Imperii Romani partes lacerarunt, VVandalia ſuos, qvibus abundabat, ſtrenuos & quieſcere neſcientes milites, magno numero addidit. Quin ipſi VVandalorum Reges ante & poſt Chriſtũ natum creberrimè in Romanorum provincias maximos ductarunt exercitus. In bello Marcomanuico, quod anno Chr. 174. contra Marc. Antoninum apparatu maximo omnium Germaniæ nationum gerebatur, quodq; tantum erat, quantum poſt hominum memoriam nullum ferme ſuſceptum fuerat, adeo ut Punicis conferretur, VVandali cum egregio exercitu aderant, ut *Eutropius l. IIX. in Marc. Antonino. p. 116.* annotavit. Inſignis autem inprimis & memorabilis eſt expeditio,

tio, quam Wifmarus, Rex illorum potentissimus, ætate Cõstantini M. cum innumerabili suorũ multitudine suscepit. Cui versus Austrum profecto Ceberic9 Ostrogotthorum Rex, occurrit, eumq; gravissimo prælio, quo multa Wandalorum millia fusa, superavit. Verùm omniũ maxima ea fuit expeditio, quam Rhadagaisus (vel Rhadagastus) Rex anno Chr. 404. suscepit. Is enim Gotthos, in quibus VVandali, Sarmatas atq; Germanos evocans, ut ad ducenta millia armatorum, (*Zosimus* quadringenta millia habet *l. V. in Arcad. & Honos pag. 803.*) conficeret, & Romam captam ac prædæ propositam pollicens, si se sequantur, omnem illam multitudinem in Italiam perduxit; ubi media pars exercitus in prælio à Stilicone perempta est: reliqui morbis & inedia omnes extincti sunt *Isidorus Hispalens. Chron. Gothor. Era 443. Sigon. de occid. Imperio l. X. anno 404. 405. ex Orosio.* Rhadagasto perempto nondum quiescẽdum sibi VVandali rati novam atq; ingentem expeditionem anno Chr. 410. sub Caroco Rege ineũt, & Alanis, Suevis, Quadis, Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Alemannis & Saxonibus in belli societatem assumtis, cum trecentis, vel ut nõnulli scriptum reliquerunt, quadringentis millibus in Galliam transeunt; ann. tertio Hispanias invadunt; inde Duce Genserico in Africam trajiciunt, ibiq; regno condito usq; ad Justiniani tempora subsistunt. Alias complures populi Wandalici ex paterno solo emigrationes taceo, quòd illæ ab Historicis diligeter satis descriptæ reperiantur.

IV. Venedi (Winithi, (die Wenden) succedunt Vandalis. Cùm igitur alii atq; alii numerosissimos ex Germania, præsertim à Balthico litore in Romanorum provincias eduxissent exercitus, non poterat aliter evenire, quàm ut regiones vacuæ atq; desertæ, aut ab exiguis tantum incolarum cœtibus habitatæ, advenas alios arcere haut possent. Nudatæ itaq; incolis inter Vistulam præsertim & Albim terræ & desertæ, fertiles autem & copia rerum ac commeatu omni abundantes facilè peregrinos hospites invitabant. Erant enim illæ, uti diximus, crebris Vandalorum, Herulorum cæterarumq; nationum expeditionibus ita colonis exhaustæ, ut occupari nullo negocio à numerosa gente, ex vicinis locis egressa, possent. Eratq; ideo proclivius, quod nullæ Germanorum populis, ut *Tacitus* loquitur, urbes habitarentur, & ne quidem inter se junctas paterentur sedes, sed colerent discreti ac diversi: vicos locarent non connexis & cohærentibus ædificiis. Habebat præterea gens in more positum, ut, quoties in bellum prodibat, uxores & liberos secum traheret, qui tanquam in proximo pignora, sanctissimi cuiq; testes essent. *Tacitus*, & *Paulus Warnefrid. l. II. de gest. Longobard. c. 7.* Certè acies quasdam à fœminis eorum, inclinatas jam & labantes, restitutas esse, idem auctor commemorat. Colebat tunc inter cœteras gentes Sarmaticas amplissima Venedorũ natio, per Livoniam, Russiam & finitimas terras immensis spatiis diffusa. Quod vel inde liquet, cùm à septemtrionibus Finnos, à meridie Bastarnas, longè lateq; inter se dissitos, Tacito teste, attigerint. Hi populi Græcis & Latinis scriptoribus Venedi, Venedæ, Vinidi & Vinidæ, *Jornandi* etiam *cap. 23.* Veneti & Slavi appellantur, nõnullis Slavini; unde *Theophylacto Simocattæ* Σκλαβηνοὶ dicti, *l. I. c. 7.* & alibi. Quas sedes ergo Vandali potissimùm, & alii nõnulli ad sinum Codanum & mare Balticum populi colonis maximã parte evacuarunt, has vicini Sarmatæ, & horum prima & maxima pars, teste Ptolomæo *l. 3. c. 5.* Venedi ex Livonia, & Russia, & vicinis

terris progressi cupidè intraverunt, & omnem hanc oram maris Balthici à Vistula ad Albim primùm complevere, seq; cum superstitibus Wandalis, quorum multitudinem non contemnendam in multis locis relictam esse dubitari non potest, ità permiscuerunt, ut facile in habitu & moribus gens genti conformaretur. Et quia Vandalorum sedes occupaverant, nomen quoq; illorum in eosdem, ut vulgo Wandali dicerentur, transiisse deprehendimus: sicut alios etiam populos illarum gentium nominibus appellatos legimus, in quarum sedes ipsi successere. Hos Venedos Ptolomæus jam sua ætate, i. e. circa ann. Chr. 170. totum sinum Venedicum, qui hodie Finnicus & Curiensis dicitur, occupasse, & eidem mari nomen dedisse testatur. Tacitus, qui circa annum salutis 70. scripsit, Venedos eos vocat, & inter Fennos & Bastarnas, ut diximus, collocat. Plinius, ejusdem ævi scriptor clarissimus, terras illas ad Vistulam usq; fluvium à Sarmatis, Venetis, Scyris & Hirris sua ætate habitatas memoriæ tradidit, *Natur. hist. l. IV. c. 13* Hanc Venedorum in Wandalorum sedes successionem gravissimo suo viri in omni antiquitate versatissimi testimonio asserunt. In quibus *Andreas Athamerus Comment. in Taciti Germ. p. 103. & seq. Beatus Rhenan. rer. German. fine libri 1. p. 83. & 84. Et lib. 2. p. 93. Bernhardus Latomus in Chron. Mechlenb. MS. f. 9. & seq. Bilibaldus Birckeymerus Comment. in Tacit. p. 94. Casparus Peucerus in continuat. Chronici Carionis l. IV. p. 2. 22. 28. Caspar Danckwerth in descript. Ducat. Slesvic. & Holsat. part. I. c. 5. & 7. part. III. c. 4. & 5. Cyriacus Spangenberg. in Chron. Quernfurt. lib. I. c. 14. David Chytræus in Vandalia, p. 1. 2. Hermann. Conring. de finib. Imperii Germanici l. I. c. 2. et 16. Hugo Grotius Prolegomen. in Hist. Goth. p. 26. Joachimus Vadianus de Colleg. German. l. II. p. 91. Joachimus Vagetius in Geograph. p. 146. Johannes Lampad. Mellificio histor. parte III. p. 20. Johannes Matthias à Sudetis de Orig. Bohem. & Slavorum. F. 2. Johannes Micrel. Syntagm. Historiar. Mundi lib. I. sect. 2. Et toto l. II. Pomeraniæ. Ludovicus Persona IC. in Oratione Witeberg. habitâ anno 1602. Marcus Velserus rer. Boicar. lib. II. p. 138. et. 141. Item lib. III. ann. 595. p. 202. Martinus Boregk in descript. Bohemiæ. p. 3. Martinus Cromerus Chronic. Poloniæ lib. I. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Martinus Crusius Annal. Svevic. part. I. l. 1. c. 1. & l. X. c. 9. Michael Beutherus Animadvers. historicar. cap. 1. p. 10. & seq. Et Commentario in Taciti Germaniam cap. 11. p. 51. & cap. 22. p. 210. Petrus Albinus Chron. Misnensi Tit. 4. p. 53. & Tit. 6. toto. Petrus Lindeberg. Chron. Rostoch. l. I. c. 2. Philippus Clüverius German. Antiq. lib. III. cap. 44. Philippus Melanchthon in Chron. Carion. lib. I. p. 43. & lib. III. p. 245. Item Commentario in Taciti German. p. 45. Et in Oratione de regione & gente Mysorum, pag. 218. Reiner. Reinecc. Proœmio in Helmoldum, & Append. prima ad eundem. Sigismund. Schorckel. Epist. nuncupatoria Helmoldo præfixa.*

An au-

An autem hi Venedi iidem ſint cum illis, qui Ἐνετοὶ *Homero Iliad.2.v.852.* & Herodoto in Terpſichore pag. 151. eidem in Clio, pag. 41. *Apollonio* Ἐνετήϊοι *in Argonaut.l.II.v.358 : Livio* Heneti dicuntur, item unde primùm prodierint, an ex Sarmatia Aſiatica, an ex Paphlagonia, an verò aliunde, nunc nos non inquirimus. Sufficit nobis, graviſſimorum auctorum conſenſu conſtare ad litus Livonicum & Pruſſiacum partem eorum populorum, qui Venedi vel Heneti dicebantur, hæſiſſe, cùm Wandali crebris expeditionibus terras ſuas ita denudarent, ut novis advenis eas occupandi poteſtatem facerent.

Non igitur Venedi cum Wandalis confundendi; quod nonnulli perperam fecere. Illi enim Sarmatæ, hi Germani fuerunt, natione, loco, linguâ & moribus ab illis diſcreti. Cùm verò Venedi non uno tempore, ſed paulatim, nec cum impetu & magnis exercitibus, ſed parte una populi poſt alteram introducta, in Wandalorum ſedes ſubintraverint, ideo nec tempus adventus illorum definiri certò poteſt. Imperante Valentiniano III. poſt Wandalorum diſceſſum immigrationis hujus initium factum veriſimile eſt. Progreſſi in Germaniam, inprimis in Pomeraniam & Mechlenburgum effuſi longè lateq; dominari cœperunt. Tum verò nova planè rerum facies in Wandalia orta eſt, omniaq;, abolitis prioribus vocabulis, novis vocari cœperunt. Hæc nova locorum & populorum nomina tanquam in tabella adiicere hîc placuit, quod ea ab auctore noſtro & aliis mediæ ætatis ſcriptoribus frequenter repetantur:

I. Pomerani - - - -	hodie Pomerani.
II. Lebuſij, Stoderani & VVilini - -	Berlinenſes: Brandenburgenſes.
III. Brizani - - - -	Prignitzenſes: Perlebergenſes.
IV. Havelani (Helveldi & Hevelli) ad Havelum fl.	Havelbergenſes.
V. Sidini - - - - -	Stetinenſes.
VVilsſi, qui & Lutitii & Velatabi, quatuor generum ſunt:	
VI. Circipani, qui cis Penim fl.	VVolgaſtenſes: Sundenſes: Deminenſes, VVilsnacenſes.
VII. Kiſſini, - - - - - -	Gützovienſes: Gryphisvvaldenſes.
IIX. Rhedarii, Ridarii, Riaduri. - - -	Stolpenſes: Anclamenſes.
IX. Tollenſi, qui ad Tollen See, - - -	Neubrandenburgenſes.
X. VVarnavi, Varini, Heruli, VVerli, & κατ' ἐξοχὴν VVendi:	Roſtochienſes: Bützovienſes: Guſtrovienſes.
XI. Obotriti - - - - - -	Mechlenburgenſes: Suerinenſes.
XII. Polabi, Polavi - - - -	Raceburgenſes.
XIII. VVagrii - - - - -	Lubecenſes: Aldenburgenſes.
XIV. Rani - - - - -	Rúgiani.
XV. Lingones, Lini - - -	Luneburgenſes.
XVI. Sorabi, Serbi, - - -	Serveſtani: Luſati: Miſnẽſes: Lipſienſes.
Huc referendi	
XVII. Uchri, Ucri, - - - -	Incolæ Marchiæ Ucranæ.
XIIX. Dalemincii, - - - - -	Pars Miſnenſium.

Hos omnes Helmoldus sua ætate, circa ann. Chr. 1148. & *Adamus Bremensis*, annis centum ipso superior Winulos & Winithos, i.e. Wendos, item Slavos appellant. Prolixè de his nominibus *Petrus Albinus Chron. Misnensi, p. 386. seq.*

V. Venedi vires sumunt: nova regna condunt, & contra Reges & Imperatores Romanos bella gerunt. Innumera hæc multitudo in Vandalorum sedes inundans majores brevi tempore sumebat vires ex mutuis Francorum, Suevorum, Saxonum & Thuringorum, quibus isti se atterebant, bellis domesticis. Nec parum roboris inde illis natum, quod anno Chr. 449. Angli, magna pars Germanorum, à mari Balthico, Hengisto Duce, ad Britanniam incolendam emigrassent. *Will. Malmesbur. lib. I. cap. 1. Krantz. Sax. l. I. c. 20. Wand. l. I. c. 33.* His rebus effectum est, ut Venedi intra breve spatium in novis sedibus magis magisq; confirmati plerisq; vicinis jam fierent formidabiles, & terris ad mare Balthicum non contenti, non modò Europæ partem maximam occuparent, per Lusatiam, Moraviam & Bohemiam, & in Illyricum usq; se diffundentes, sed etiam nova regna conderent. Nam circa annum Chr. 550. Lechus Slavus Poloniâ occupata regnum in ea constituit. Nec ita diu pòst Zechus Dux ex eadem gente, Bohemiæ regnum auspicatus est. Saxones, quia viciniores, frequentius illorum incursibus ita vexati fuere, ut, cùm Longobardi anno 567. in Italiam cum familiis integris transirent, hi se illis jungerent. Quorum tamen supercilium fastidientes, post annos XII. ad antiquam patriam reversi sunt, pugnatum quidem contra illos sæpius est; sed ipsi aut victores ex prælio discesserunt, aut victi, paulò pòst fortius insurrexerunt. Quanquam & Thassilo, Bavarorum Dux, anno Chr. 595. magna de iis in Bohemia potiretur victoria, tamen ipsi reparato exercitu, Cagano, Avarum Duci, se jungentes, cum eodem vicinas terras fœdè depopulati sunt. Elati igitur prosperis rerum successibus inquietissimi homines, & optimis, iisdemq; amplissimis terris non acquiescentes, longiùs etiam seculo octavo & sequentibus in Romani Imperii fines progredi summis viribus tentarunt. Hinc verò perpetua & molestissima bella singuli Imperatores Romani, Reges Germaniæ & Duces Saxoniæ à Carolo M. usq; ad Fridericum Barbarossam & Henricum Leonem ultra annos trecentos contra prædatricem istam gessere gentem. Uti enim in patrio solo prædis assueti fuerant, & quicquid inter Peucinos Fennosq; sylvarum ac montium erigitur, latrociniis pererraverant: sic nunc hoc unum agebant, ut Francos, Thuringos & Saxones perpetuis bellis fatigarent, & Romani Imperii provincias partim occuparent, partim fœdè lacerarent. Nec desiere unquam, ex quo tantopere potentia illorum aucta est, insultare Imperatoribus, & Ducibus Saxoniæ, donec tandem ex Wagria & Mechlenburgica terra per Henricum Leonem sublati, partim præliis occisi, partim ultra Oderam submoti: ex Marchionatu autem Brandenburgico per Albertum Ursum exterminati, & Saxones in eorum loca reducti sunt, uti auctor noster infra commemorat. Poloniam verò, Pomeraniam, Silesiam, Lusatiam, Moraviam & Venedorum marchiam, cæterasq; terras quas occupaverant, tanta virtute tutati sunt, ut nullis armis expelli postea inde potuerint. Unde adhuc Slavonica lingua latissimè patet, atq; in multas propagines diffusa est, videl. in Rutenicam, Polonicam, Boemicam, Illyricam, Dalmaticam, Windicam, & alias minorum gentium

linguas

linguas. *Aub. Miræus de statu Relig. Christ. l. I. c. 42. Paul. Merula Cosmogr. part. 2. l. I. c. 9.*

Ex quibus omnibus conficitur, primùm quidem, Slavos illos, quorum historiam Helmoldus scripsit, non Wandalos, sed Wendos esse: deinde, Slavorum nomine, ipsum præcipuè Obotritos, VVagrios & Polabos intelligere, qui cùm nullâ ratione adigi possent, ut Christi religionem susciperent, per Henricum Leonem domiti atq; ejecti sunt. Quanquam enim omnes illæ nationes origine Venedicæ essent, quæ in terras VVandalorum successissent, tamen subsequentibus seculis usus obtinuit, ut soli Obotritorum & VVagriorum Reguli seu Principes, κατ᾽ ἐξοχὴν VVendi (Herren von Wenden) dicerentur.

VI. Saxones in Mechlenburgo, Wagria & Raceburgensi terra in loca Venedorum introducuntur. Quomodo Henricus Leo, Dux Saxoniæ, & Albertus Ursus, Marchio Brandenburgensis, duarum sororum filii, & Magni, Ducis Saxoniæ, nepotes, Slavis ex VVagria, Mechlenburgo, Raceburgensi comitatu & Marchionatu Brandenburgico ejectis Saxones in terras illas revocaverint, prolixè narrat noster infra *cap. 57. & 88.* quo hujus capitis expositionem rejicimus.

Marahorum.) Sunt Slavi in Moravia. Horum Regulum Rasticem Ludovicus Rex Germaniæ anno 860. capit & excæcat. *Regino ad h. annum. Sigebert. Gemblac. ann. 859.*

Vinneta) VVineta, VVinitorum metropolis, ab ipsis populis nomen hoc sortita. *Krantz. Wandal. l. II. cap. 20. Philipp. Melanchth. Orat. de Johanne Bugenhagio* putat, Venetam nominatam fuisse, idq; ab Henetis, *Tom. III. Orat. p. 775.* A nostro auctore etiam VVinneta dicitur, *infra c. 15.*

Hanc.) intestinis dissidiis interiisse narrat *Krantzius ibid.* Cùm enim variæ rationes, quæ eam habitabant, de primatu, ut amat fieri, contenderent, & Gothi Haraldum Svediæ & Hemmingium Daniæ Reges, ætate Caroli M. in societatem belli evocarent, venisse illos quidem, sed junctis armis urbem expugnasse, militibus diripiendam permisisse & solo æquasse. Verùm ultimum exitium Vinetæ aquarum inundatio attulit. Est enim illa tota mari absorpta, apparentq; ejus rudeRadera sat manifesta, cùm mare tranquillum est. *Joann. Micrel. l. II. Pom. c. 15.*

Rethre.) Rethre, vel Rheda, gentis metropolis, ab Ottone M. Imperatore, & Gerone, Marchione Brandenburgensi cum Radegasto idolo, circa ann. 579. eversa est. Slavi tunc ita attriti, ut toto Imperatoris tempore movere nihil possent, sed & in obsequio Cæsaris, & in fide Christiana persisterent. *Georg. Fabric. Orig. Sax. & Rer. memorab. h. anno.*

VVagirensf.) Etymon VVagriæ inquirentem adi *Casp. Danckwerth. in Descript. Holsat. part. III. c. 5.*

CAPUT. III.

1. *Carolus M. Saxonibus ad fidem convertendis magnum impendit studium.*

2. *Saxones & Thuringi Francis ante Carolum vectigales fuerant.*

3. *Saxones XXXIII. annis à Carolo domiti.*
4. *Carolus X. millia Saxonum in Galliam transfert, anno CH. 804.*
5. *Cæteri Saxones cum Widekindo fidem Christ. recipiunt.*
6. *Carolus Saxonibus domitis tributa omnia remittit.*
7. *Sacerdotibus solùm decimas solvi jubet.*
8. *Saxonia in octo Episcopatus divisa est.*
9. *Slavi etiam à Carolo domantur.*
10. *Carolus Slavos & Danos Episcopo Hamburgensi subijcere in animo habet.*
11. *Carolus contra Godefridum, Daniæ Regem, movet. 810.*
12. *Henningus fit Rex Daniæ. Eidora terminus Daniæ constituitur, 811*
13. *Carolus moritur - - - 814*
14. *Carolus collabascente Orientis Imperio in Occidente Imperium instauraverat.*

1 INter omnes ergo strenuos Christianæ fidei propagatores, qui pro fidei suæ merito laudabilem adepti sunt principatum, gloriosissimus semper elucet Carolus, vir omnium scriptorum præconiis attollendus, & in fronte statuendus eorum, qui pro Deo in partibus aquilonis laboraverunt. Ipse enim Saxonum gentem ferocissimam, atq; rebellem, ferro perdomuit,
2 & Christianis legibus subegit. Saxones autem, & Thuringi, itemq; cæteræ quæ juxta Rhenum sunt nationes, ex antiquo Francis tributariæ leguntur.
3 Quibus deinde à regno eorum deficientibus, Pipinus, genitor Caroli, bellum intulit, quod tamen filius majore fœlicitate peregit. Longo ergo tempore bellum adversus Saxones profligatum est, quod magna utrinq; animositate, majori tamen Saxonum quàm Francorum damno per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat quidem citius finiri, si Saxonum pertinacia hoc pateretur, qui libertatem armis tueri malentes, Francorum ter-
4 minos usq; ad Rhenum vastabant. Nullis itaque ferè annis à bello vacantibus, tandem Saxones ita profligati leguntur, ut ex his, qui utrasq; ripas Albiæ incolunt, decem millia hominum cum mulieribus & parvulis in Fran-
5 ciam translati sint. Et hic annus est diuturni Saxonum belli tricesimus tertius, quem Francorum historici ponunt memorabilem, scilicet Caroli Imperatoris tricesimum septimum, quo Widikindus rebellionis incentor, deposita tyrannide, imperio subjectus, baptizatusq; est ipse cum aliis Saxo-
6 num magnatibus: & tunc demum Saxonia in provinciam redacta est. Hac itaq; in bellis victoria potitus fortissimus Carolus, non in se, sed in Domino Deo exercituum confisus est, fortia gesta sua, gratiæ ipsius adjumentis attribuens. Qui etiam magna usus industria, Saxonum populos, licet malè meritos, statuit supernæ mercedis intuitu omni debito censu absolvere, atq;

priſtinæ libertati condonare, ne fortè ſervitiis aut tributis prægravati, ad re-
bellionis neceſſitatem, & paganiſmi errores impellerentur. Porrò ea con- 7
ditio à rege propoſita, & ab ipſis ſuſcepta eſt, ut abjecto Dæmonum cultu,
Chriſtianæ fidei Sacramenta ſuſciperent, eſſentq; tributarii & ſubjugales Do-
mini Dei, omnium jumentorum ſuorum & fructuum culturæ ſeu nutrituræ
ſuæ decimas ſacerdotibus legaliter offerentes, & Francis adunati, unus cum
eis populus efficerentur. Diviſa eſt igitur Saxonia in octo Epiſcopatus, & 8
digniſſimis paſtoribus ſubjecta, qui ad imbuendas rudes in fide animas ver-
bo & exemplo ſufficerent. Quibus etiam hujus vitæ ſtipendia memoratus
Cæſar multo honore, plena denique munificentia providit. Perfectum eſt
ergo in Saxonia novellæ plantationis opus, & pleno vigore conſtabilitum.
Sed & Freſonum agreſtes illo tempore receperunt Chriſtianæ fidei gratiam.
Et tunc igitur præparatum eſt iter prædicatoribus verbi Dei trans Albiam,
exieruntque angeli veloces annunciare Evangelium pacis in univerſam la-
titudinem Aquilonis. Quo tempore, cum Slavorum quoq; gentes Franco- 9
rum imperio ſubjicerentur, fertur Carolus Hammenburg, civitatem Nordal-
bingorum, conſtructa ibidem Eccleſia, Heridago cuidam ſancto viro, quem
loci Epiſcopum deſignavit, regendam commiſiſſe, proponens eandem Ham- 10
menburgenſem Eccleſiam, cunctis Slavorum Danorúmque gentibus me-
tropolim ſtatuere. In qua re ad perfectum ducenda, & mors Heridagi Pres- 11
byteri, & occupatio bellorum Carolum imperatorem, ne deſiderata comple-
ret, præpedivit. Idem enim victorioſiſſimus Princeps, qui omnia Europæ
regna ſubegerat, noviſſimum cum Danis bellum ſuſcepiſſe narratur. Nam
Dani, & cæteri qui trans Daniam ſunt populi, ab hiſtoricis Francorum Nort-
manni vocantur: Quorum Rex Godefridus, jam antea Freſis, itèmque Nor-
dalbingis, Obotritis, & aliis Slavorum populis tributo ſubactis, ipſi Carolo
bellum minatus eſt. Hæc diſſenſio maximè voluntatem Imperatoris de
Hammenburg retardavit. Tandem extincto cœlitus Godefrido, Henning 12
ei ſucceſſit, patruelis ejus, qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egdo-
ram fluvium accepit regni terminum. Nec multo pòſt Carolus præſenti 13
vita deceſſit, vir tam in divinis quàm in humanis rebus probatiſſimus, pri-
músque qui de Francorum regno ad imperium meruit provehi. Nam Cæ- 14
ſarea dignitas, quæ poſt Conſtantinum in Græcia, urbe ſcilicet Conſtantino-
poli, multis ætatibus laudabiliter viguit, deficientibus inibi regalis proſa-
piæ viris, adeò concidiſſe dinoſcitur, ut reſpub. cui in primitivo vigore, in-
ſimul tres conſules vel dictatores, vel Cæſares vix ſufficiebant, muliebri tan-
dem conditione gubernaretur. Conſurgentibus ergo undique adverſus
imperium

imperium rebellibus, cùm omnia penè Europæ regna ab Imperio defecissent, ipsa quoq; mater orbis Roma, finitimis bellis attereretur, nec esset defensor, placuit Apostolicæ sedi, solenne sanctorum adunari concilium, & de generali necessitate commune participare consilium. Omnium ergo votis, omnium laudatione, insignis Francorum rex Carolus, corona Rom. imperij sublimatus est, eo quòd ipse, fidei merito, & potestatis gloria nec non bellorum victorijs neminem in orbe videretur habere consortem. Atque in hunc modum Cæsareum nomen, de Græcia translatum est in Franciam.

Saxones) Sunt verba *Eginharti in vita Caroli M. p. 4.* Unde descripsit illa *Adamus Bremensis*, ut profitetur ipse *l. I. c. 7.* Ex Adamo porrò noster transcripsit. In eo diversitas est, quod nonnulli bello Saxonico, Caroli auspiciis gesto, triginta tres annos, cœteri triginta tantùm assignent. *Eginhartus* loco adducto, *Poeta Anonymus de reb. gest. Caroli M.* & ipse *Adam. Bremens. l. I. c. 12.* ad ann. 803. habent cum Auctore nostro XXXIII. annos. At idem *Adam. l. I. c. 7.* adducens verba Eginharti, ex annis XXXIII. facit annos XXX. Ita *Robertus Gaguinus* illos post ejus belli initium anno trigesimo superatos scribit *l. IV. c. 1.* *Witichindus* narrat, Carolum tandem trigesimo imperii sui anno obtinuisse, ut Saxones ad veram viam ducerentur, *Annal. l. I. p. 6.*

decem mill.) Sunt hæc ejusdem *Eginharti, p. 5.*

in Franciam) Septennium duravit hoc exilium. *Privil. I. Eccl. Hamburg.*

Caroli) Imperatoriam dignitatem jam in quartum annum Carolus gesserat. At Gallorum regnum inde à morte Pipini patris annos septem & triginta administraverat. Referri autem solet translatio hæc ad annum CH. 804.

& Francis) Sunt verba *Adami Brem. l. I. c. 7.*

octo) *Chronicon antiqvum Mindense*, ab *Henrico Meibomio*, academiæ Juliæ quondam Professore celeberrimo, primum è tenebris erutum, narrat decem Episcopatus per Saxoniam à Carolo esse fundatos.

I.	Osnabrugensem, anno	772.
II.	Ostervvicensem, seu Halberstadensem	776.
III	Bremensem	779.
IV.	Mindensem	780.
V.	Herstellensem, seu Padelbornensem	784.
VI.	Bardevvicensem, seu Verdensem	786.
VII.	Seiderensem, seu Magdeburgensem	784.
IIX.	Monasteriensem	784.
IX.	Hildensheimensem	796.
X.	Hamburgensem	798.

Qui

Qui octo cum Auctore nostro numerant, ut *Paulus Langius in Chron. Citizensis initio*, Magdeburgensem & Hamburgensem omittunt.

Slavorum.) Obotriti Slavi jamdudum Francis fœdere juncti fuerant. His cùm propterea Willsi Slavi essent infensissimi, eosq; assidua incursione lacesserent, Carolus eis anno 789. bellum intulit. Militabant tunc in Caroli exercitu etiam Saxones, quanquam ficta obedientia, & Obotriti cum Principe suo Witzane, quorum gratia hæc expeditio præcipuè suscepta erat. *Eginhartus p. 6. Regino anno 789.*

Godefrid.) Vide *Joh. Isac. Pontan. rer. Dan. l. IV. ann. 809.*

Tandem) *Eginhartus* ipsum à proprio satellite interfectum commemorat, *p. 1.*

Henning) Hemming, Danicis scriptoribus dictus.

Nec) Ubi regnasset annos septem & quadraginta, Obiit anno salutis 814. V. Febr. ætatis 71. Imperii 14. *Eginhart. ibid. Johannes Turpinus de gest. Caroli M. c. 32. Annal. Fuldens.*

Annus mortus notatus his versiculis est, in *Chron. Mind. p. 101.*

Post Christum CCC. D. jungas, & superadde
Decem cum quatuor Carolus Rex moriebatur.

Corona.) Ter Imperatorem diademate redimiri tradunt Pontificii juris enarratores. Primum Aquisgrani, de quo *Guntherus in Ligurino, lib. I. p. 289.*

Hoc ubi prima loco veluti cunabula regni
Carolus esse volens, magno cum Francia regi
Utraq; serviret, primam gestare coronam
Jussit, & in sacra reges ibi sede locari.

Deinde Mediolani: tandem Romæ. Adde *Jacob. Spigel. Schol. in Ligurin.*

CAPUT IV.

1. *Ludovicus I. patri succedit, in cultu divino promovendo sedulus* 814.
2. *Episcopi inter Imperii Romani Principes lecti.* - - - 834.
3. *Ludovicus Anscarium facit Episcopum Hamburgensem.* - 834.
4. *Slavis, Danis & cæteris populis septentrionalibus Evangelium annunciatum est.*
5. *Post Ludovici obitum bellum inter filios de regno ortum, cursum Evangelii apud Slavos sufflaminavit.*
6. *Facta pace totum Caroli M. regnum in quatuor partes dividitur.* - - - - - 842.

Postquam ergo Carolus Francorum Rex, & Romanorum Imperator Augustus, cum magno bonorum fructu ad cœlos emigravit, Ludovicus filius ejus, successit ei in regnum. Qui paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate, qua pater ejus, erga cultum domus Dei, & omnem clerum usus est, amplissimas regni divitias ad decorem & gloriam Ecclesiæ 1

2 intorquens, intantum, ut Episcopos, qui propter animarum regimen Princi-
3 pes sunt cœli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret regni. Hic ubi su-
per Hammenburg patris sui comperit votum, communicato statim sapien-
tum consilio, sanctissimum virum Anscarium, quem etiam aliquando ad Da-
nos & Svedos prædicatorem direxerat, Hammenburgensi Ecclesiæ ordinari
fecit Archiepiscopum, statuens eandem civitatem metropolin universis bo-
realibus, ut legatio verbi Dei exinde uberius pullularet in omnes barbaras
4 nationes. Quod & factum est. Nam Hammenburgensis Ecclesiæ pontificum
instantia, disseminatum est verbum Dei in omnes Slavorum, Danorum, sive
Nortmannorum populos, & dissolutum est gelidum illud frigus Aquilonis
à calore verbi Dei. Multis itaq; diebus sive annis, maximisq; doctorum la-
5 boribus, in gentibus his desudatum est. Tanta enim fuit opacitas errorum,
& difficultas sylvescentis idololatriæ, ut nec subito, nec facile potuisset evin-
ci. Sed & bellorum variæ tempestates, post obitum piissimi Ludovici latius
emergentes, vocationem gentium non modicè retardarunt. Illo siquidem
ex hac luce subtracto, orta sunt intestina bella, quatuor scilicet filiis ejus
propter Principatum contendentibus. Multa itaque inter fratres orta est
discordia, bellúmque maximum, in quo, ut historici testantur, omnes Fran-
6 corum gentes consumptæ sunt. Tandem mediante Papa Sergio, discordia
sedata est, regnumque divisum est in quatuor partes, ita, ut Lotharius major
natu, cum Italia Romam, Lotharingiam, cum Burgundia possideret: Ludo-
vicus Rhenum cum Germania, Carolus Galliam, Pipinus Aquitaniam.

Svedos,) *Svedi* & *Svedia* noster, interdum & *Sveones*, ut infra *c. V, n. 4. cap. VII. n. 1.* scribit. Qui *Tacito* Sviones, aliis Sueones, postea Suedi, seu Sueti & Suetici dicti: terra ipsa Suetia. Quod ergo hodie Suecia & Sueci scribitur, id ab errore barbari seculi fluxit, quo elementum T sequente I & alia vocali sic extulerunt. Deinde ut pronunciabant, sic scribere etiam cœperunt. Rectè ergò & *Adamus Brem.* scribit Suedi, *l. IV. p. 66.*

post obit.) Obiit XII. Kal. Jul. anno 840. *Ratpertus Monach. S. Galli, c. 7.*

bellumq;) Prælium commissum anno 841. VII. Kal. Jul. *Ratpertus: Regino: Henr. Meibom. in Notis ad Witechind. p. 51.*

in quat.) Alii trium tantùm partium meminere, & Aquitaniam Carolo etiam cessisse scribunt. Ita enim *Witichindus Corbciens.* Ottoni M. æqualis: Carolo Aquitaniæ & Wascanorum cessere regiones, terminum habens ab occidente Barcinonam Hispaniæ urbem: ab Aquilone Britannicum mare: & ad meridiem juga Alpium: ad orientem verò Mosam fluvium. Inter Mosam verò fluvium & Rhenum Lothario regnum cessit. Lothovvico antem à Rheno usq; ad fines Illyrici & Pannoniæ ad Oram, alii Oderam,

quoq;

quoq; fluvium & terminos Danorum imperium erat.*lib.I.p.9.* Adde*Reginon. anno 842. Chronicon Laurishamense,p. 65.* Cæteros adduxit *Hermannus Conring. in De finibus Imperij Germanici,l.I.c.3.* Diversitas inde est, quod Carolus Aquitaniam & Wasconiam, quæ Pipino cesserant, illo pulso, & in monasterium detruso, sibi postea usurparit. *Continuator Bedæ l.II.c.1.*

CAPUT. V.

EA ergo tempestate, qua germana discordia maximos bellorum motus, 1
& diminutionem scisso imperio parturivit, multos ad rebellionem opportunitas temporis adduxit. Inter quos primi vel præcipui Danorum populi,viribus & armis præpotentes, prius quidem Slavos,itémque Fresones tributis subjiciunt. Dehinc classe piratica per Rhenum subvecti,Coloniam obsederunt: per Albiam Hammenburg funditus exciderunt. Inclyta civitas,& recens Ecclesiæ structura,tota incendio disperiit. Quin & Nordalbingorum provincia, & quicquid flumini contiguum fuit, barbarorum direptionibus cessit. Saxonia magno terrore concussa est. Sanctus autem Anscarius Hammenburgensis Archiepiscopus, & cæteri prædicatores in Slaviam sive Daniam destinati, magno persecutionis fervore sedibus suit pulsi sunt, & usquequaque dispersi. Ludovicus ergo, cui Germaniam cessisse suprà 2
dictum est,glorioso genitori suo nomine & pietate per omnia similis, defectum Hammenburgensis Ecclesiæ taliter resarcire studuit, ut Bremensis sedes, quæ tunc defuncto pastore vacabat, Hammenburgensi Ecclesiæ adjiceretur,essentque de cætero non duæ Parochiæ, sed una. Quia enim utraque civitas propter piratarum incursus plena fuit periculis, utile fuit unam alterius ope levari,atque foveri mutuo. Accepto ergo super hac re Apostolicæ sedis mandato, ad effectum perducta sunt omnia quæ fuerant animo pii Principis digesta. Unitaque estEcclesia Bremensis Hammenburgensi,& recepit sanctus Anscarius utramque regendam,factúmque est unum ovile, & unus pastor. Post non multum verò temporis, furore Danorum aliquantulum sopito, cœperunt reædificari diruta Hammenburgensis urbis, &

3 Nordalbingorum populi ad proprias sedes reversi sunt. Pontifex quoque Anscarius Cæsaris legatione functus, regem Danorum frequenter adiit, ubi pro commodis utriusque regni, & pacis stabilitate strenuè agens, multam apud regem, licet gentilem, familiaritatis gratiam, pro fidei suæ reverentia, consecutus est, cui etiam Rex facultatem attribuit, Ecclesiam statuendi in Sleswich, & Ripe, præbita prius licentia, ne quis volentes baptizari, & Chri-
4 stianis legibus uti, impediret. Nec mora, Sacerdotes ad hæc explenda directi sunt. Procedentibus itaque sensim divinæ gratiæ incrementis in gente Danorum, cœpit memoratus Pontifex magno desiderio assurgere ad Sueonum conversionem. Hoc iter arduum per seipsum aggressus, petiit literas & nuncium Regis Danorum, profectúsque cum multis navali itinere pervenit ad Byrcam principalem Svediæ civitatem, ubi multo favore & lætitia exceptus est fidelium, quos ipse quondam ante pontificatus honorem, illò prædicator directus, Christo acquisierat: obtinuitque apud Regem, ut volentibus Christianitatis assumere titulum, libera pateret facultas. Data ergo in Svedia Episcopo, & Sacerdotibus, qui vice sua divinas res, & populi salutem curarent, & singulos ad fidei perseverantiam adhortatus, reversus est ad
5 propriam sedem. Ab eo ergo tempore jactum semen verbi Dei, in populis Danorum atque Sveonum, uberius fructificare cœpit. Quamvis enim in eisdem gentibus multi postmodum tyranni surrexerint, qui crudelitatē suam non solùm in Christicolas suæ gentis, sed etiam in exteras nationes extenderint, datur tamen intelligi, Christianitatis titulum, post primum fundationis suæ tempus, in Dania sive Suedia, eousque convaluisse, ut etsi persecutionum procellis impellentibus aliquando titubaverit, nunquam tamen penitus exciderit.

defectum) Ludovicus Imperator
——— sedes uniri sanxit & urbes,
Hammenburgensem supplens subdendo Bremensem.
Gualdo Monach. Corbeiens. in vita S. Anscharij c. 48.

Byrcam) Vide eundem *Gualdonem c. 56. & seqq.*

CAPUT VI.

1. Episcopatus Hamburgensis limites.
2. Slavi præfractè fidem Christianam aversantur.
3. Monachi Corbeienses Rugianos convertunt, templo ibi condito. 878.

4. Rugia-

4. Rugiani postea ex Sancto-Vito faciunt Suantevitum. | *5. Suanteviti cultus.*

INter omnes autem borealium nationum populos, sola Slavorum provincia remansit cæteris durior, atque ad credendum tardior. Sunt autem multi, ut suprà dictum est, Slavorum populi, quorum hi qui dicuntur Winuli sive Winithi, magna ex parte respiciunt Hammenburgensem Parochiam. Nam præter honorem metropolitanæ sedis, qua omnes nationes sive regna complectitur aquilonis, habet utique Hammenburgensis Ecclesia præscriptos terminos suæ parochiæ, ultimam scilicet partem Saxoniæ, quæ est trans Albiam, & dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Tethmarsos, Holsatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kycini, Circipani, & usque ad flumen Panim & urbem Dimin. Ibi est limes Hammenburgensis Parochiæ. Non 2 caret ergo admiratione, quòd dignissimi præsules, & Evangelici prædicatores, Anscarius, Reimbertus, & sextus in ordine, Unni, quorum in conversione gentium ingens claruit studium, Slavorum curam tantopere dissimulaverint, ut nec per se, nec per ministros, aliquem in eis fructum fecisse legantur. Effecit hoc, ut æstimo, populi hujus incredibilis duritia, non autem prædicatorum torpor, quibus animus circa vocationem gentium adeò fuit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pepercerint. Tradit enim 3 veterum antiqua relatio, quòd temporibus Ludovici secundi, egressi fuerint de Corueia Monachi sanctitate insignes, qui Slavorum salutem sitientes, impenderunt seipsos ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratisq; multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani, sive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum, & sedes idololatriæ. Prædicantes itaq; verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam insulam lucrati sunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi, & in commemorationem sancti Viti, qui est Patronus Corvejæ. Post- 4 quam autem, permittente Deo, mutatis rebus; Rani à fide defecerunt, statim pulsis Sacerdotibus atque Christicolis, religionem verterunt in superstitionem. Nam sanctum Vitum, quem nos martyrem ac servum Christi confitemur, ipsi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Nec est aliqua barbaries sub cœlo, quæ Christicolas ac sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur, cui et- 5 iam templum ac simulacrum amplissimo cultu dedicaverunt, illi

 primatum

primatum deitatis ſpecialiter attribuentes. De omnibus quoque provinciis Slavorum illic reſponſa petuntur, & ſacrificiorum exhibentur annuæ ſolutiones. Sed nec mercatoribus, qui fortè ad illas ſedes appulerint, patet ulla facultas vendendi vel emendi, niſi prius de mercibus ſuis deo ipſorum precioſa quæque libaverint, & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem ſuum non minus quàm regem venerantur. Ab eo ergo tempore, quo primò fidei renunciaverunt, hæc ſuperſtitio apud Ranos perſeverat vſque in hodiernum diem.

Viti) De initiis cœnobii Corbeienſis: item quomodo S. Vitus martyrio coronatus, Româ in Galliam, inde in Saxoniam delatus ſit, lege apud *Witichind. Corbeienſ. l. I. p. 2. & lib. III. initio.* Adde *Chronicon Corbeienſe*, Meibomianæ Witichindi editioni additum, *p. 131. Legendam veterem de Translatione S. Viti & inſtitutione novæ Corbeiæ*, eidem Witichindo adjectam, *p. 139. Henr. Meib. Not. in Witichind. p. 55.* & *Johann. Letzneri Chronicon Corbeienſe, cap. 3. 4. & ſeqq.*

CAPUT VII.

1. *Northmannorum continuis bellis præpedita eſt Slavorum converſio.*
2. *Northmanni Galliam infeſtam habuerunt, & Northmanniæ in ea nomen dederunt.*
3. *Poſt mortem Ludovici, Regis German. Bohemi, Sorabi & cæteri Slavi ſervitutis jugum excuſſerunt.*
4. *Northmanni Saxoniam, Friſiam & urbes circa Rhenum depopulati ſunt.* - - - - - - - 876.
5. *Carolus Craſſus Imper. in Duces Northmannorum captos intempeſtiva clementia utitur.* 887.
6. *Arnolphus Imp. eos in ipſa Dania adortus maxima clade afficit.* 891.
7. *Epiſcopi Hamburgenſes.*
8. *Arnolpho ſuccedit Ludovicus IV.* - - - - - - 900.
9. *Ludovicum excepit Conradus, Dux Franciæ.* - - - - - 912.

1 SAnè populis Slavorum & cæteris gentibus fide imbuendis, grave ab initio præbuit impedimentum ea bellorum tempeſtas, quæ Nortmannis tumultuantibus in toto penè deſęviit orbe. Porrò Nortmannorum exercitus collectus fuit de fortiſſimis Danorum, Sueonum, Norveorum, qui tunc fortè ſub uno principatu conſtituti, primo omnium Slavos, qui præ manibus erant, miſerunt ſub tributum, deinde cætera finitima regna, terra marique vexabant. Quibus profectò non parum addiderat virium ea Romani imperii

imperij diminutio, qua, ut suprà dictum est, post tempora senioris Ludovici, prius quidem intestinis bellis exhaustum, postea in quatuor divisum portiones, totidem gubernabatur regulis. Constat ergo, isto tempore Nortmannos per Ligerim Turones succendisse, per Sequanam Parisios obsedisse, Carolum regem timore compulsum, terram eis dedisse ad habitandum, quæ à Nortmannis possessa, Nortmanniæ nomen accepit. Deinde Lotharingia vastata, & subacta est Fresia. Noster autem Ludovicus, Rex scilicet Germaniæ, Nortmannos fœderibus sive præliis hoc modo retinuit, ut cùm Franciam totam vastaverint, regno ejus vel minimè nocuerint. Post cujus mortem, 3
effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Boemi, Sorabi, Susi, & Slavi, quos ipse tributis subjecerat, tunc servitutis jugum excusserunt. Tunc etiam 4
Saxonia vastata est à Northmannis sive Danis. Bruno Dux occisus cum duodecim Comitibus: Theodoricus & Marquardus Episcopi obtruncati. Tunc Fresia depopulata est: Trajectum civitas excisa. Tunc piratæ Coloniam & Treviros incenderunt, Aquisgrani palatium stabulum equis suis fecerunt, Maguncia propter metum barbarorum instaurari cœpit. Carolus adole- 5
scens, filius Ludovici, ipso tempore Roma rediens cum grandi exercitu, Northmannos juxta Mosam fluvium apprehendit. Quos obsidione coarctans, quintodecimo demum die ad deditionem compulit. Captos ergo tyrannos Danorum, non ea qua decuit hostes severitate ultus est, sed ad diuturnam dejectionem & gravem Ecclesiæ ruinam parcens impiis, accepto ab eis jurejurando, & fœderis conditione, amplissimè donatos ab se abire permisit. At illi regis adolescentis inertiam irridentes, ubi noxia libertate potiti sunt, rursum in unum conglobati, tantas strages dederunt, ut crudelitas modum excesserit. Quid multa? urbes cum civibus, Episcopi cum toto grege simul obruti sunt, Ecclesiæ illustres cum fidelium caterva simul incensæ sunt. Quamobrem Carolus accusatus in curia, & ob stultitiam regno depositus, Arnolphum germani sui filium accepit Successorem. Qui congregato 6
exercitu, fines adiit Danorum, eósque multis gravibúsque præliis ad internecionem usq; delevit. Bellum cœlitus administratum est, siquidem centum millibus paganorum prostratis in bello, vix unus de Christianis cecidisse repertus est. Et ita extincta est persecutio Northmannorum, Domino vindicante sanguinem servorum, qui jam per annos septuaginta effusus est. Hæc 7
autem acta sunt tempore Adelgarii Archiepiscopi, qui fuit successor beati Reimberti, & tertius à beato Anscario. Defuncto Adelgario, successit ei Hogerus in Cathedram: post hunc Reinwardus. In regum quoq; successione 8
post Arnulphum regnavit Ludovicus puer. In isto Ludovico, Magni Caroli

finitur

9 finitur prosapia. Hic postmodum regno depositus, Conradum Francorum ducem habuit successorem.

Post) Ludovicus Rex mortuus V. Kal. Sept. anno 876. *Hermann. Contractus Albertus Stadens.*

Bruno) factum anno 875. *Albert. Stad.* Adde *Joh. Isac. Pontan. l. IV. h. a.*

CAPUT IIX.

1. Ungari Saxoniam, Lotharingiam & Galliam diripuerunt. 914.

2. Dani & Slavi junctis armis Nordalbingos & Transalbinos vastarunt. - - - - - - 918.

3. Gormo III. Rex Christianam regionem in Dania extinguere conatur.

4. Henricus Auceps Ungaros, Bohemos, Sorabos & cæteros Slavos diversis prœliis domuit anno 922. & seqq.

5. Daniam ingressus Gormonem vicit.

6. Marchionatum Slesvicensem instituit. - - - - - 925.

7. Unni, Archiepisc. Hamburgensis, Haraldum Regem convertit, & in Dania cultum divinum denuo instaurat.

8. Unni à Danis ad Svedos commigrat.

9. Birca celeberrimum Svediæ emporium.

10. Unni Svedos & Gothos ad fidem Christi reducit.

11. In Svedia obiit. - - - 936.

1 Itaque regnante Conrado, orta est Ungarorum gravis irruptio, qui non solùm nostram Saxoniam, aliásq; cis Rhenum provincias, verum etiam
2 trans Rhenum Lotharingiam & Franciam demoliti sunt. Tunc incensis Ecclesiis, cruces à barbaris truncatæ & ludibrio habitæ, sacerdotes ante altaria trucidati, clerus vulgo mixtus, aut interfectus, aut in captivitatem
3 ductus, cujus signa furoris, ad nostram duraverunt ætatem. Dani quoq; Slavos auxilio habentes, primò Nordalbingos, deinde Transalbinos Saxones vastantes, magno Saxoniam terrore quassabant. Apud Danos eo tempore Worm regnavit, crudelissimus inquam vermis, & Christianis non mediocriter infestus. Ille Christianitatem, quæ in Dania fuit, prorsus demoliri molitus, sacerdotes à finibus suis depulit, plurimos etiam per tormenta necavit.
4 At verò Henricus Rex, successor Conradi, jam tunc à puero timens Dominum, & in ejus misericordia omnem ponens fiduciam, Ungaros quidem maximis prœliis vicit & triumphavit, Boemos & Sorabos, ab aliis regibus edomitos, & cæteros Slavorum populos, uno grandi prœlio ita percussit, ut cæteri,

teri, qui perpauci remanſerant, & Regi tributum, & Deo Chriſtianitatem ultrò promitterent. Deinde Daniam cum exercitu ingreſſus, Worm regem 5
primo impetu adeò perterruit, ut imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex depoſceret. Sic Henricus Rex victor, apud Sleſwich quæ tunc 6
Heidebo dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem ſtatuit, & Saxonum coloniam habitare præcepit. Videns ergo ſanctiſſimus Archiepiſco- 7
pus Unni, qui Reinwardo ſucceſſit in cathedram, miſericordia Dei noſtri, & virtute Regis Henrici, Danorum, Slavorumque pertinaciam eſſe edomitam, oſtiumq; fidei in gentibus apertum eſſe, omnem ſuæ diœceſis latidudinem elegit perſeipſum circuire. Multis ergo religioſis comitatus, pervenit ad Danos, ubi tunc crudeliſſimus Worm regnavit. Et illum quidem pro ingenita flectere nequivit ſævitia, filium autem Haroldum convertit, & fidelem Chriſto perfecit, ita ut Chriſtianitatem, quam pater eius ſemper odio habuit, ipſe ſervari publicè permiſerit, quamuis ipſemet Baptiſmi Sacramentum nondum perceperit. Ordinatis itaq; in regno Danorum per ſingulas Eccleſias ſacerdotibus, ſanctus Dei multitudinem credentium commendaſſe fertur Haroldo, cujus etiam fultus adjutorio & legato, omnes inſulas Danorum penetravit, evangelizans verbum Dei, & fideles quos invenit illic captivos, in Chriſto confortans.

Deinde veſtigia ſecutus magni prædicatoris Anſcarii, remigans mare 8
Balticum, non ſine labore pervenit ad Byrcam, principalem Sucdiæ civitatem, quò jam poſt obitum ſancti Anſcarii, nemo doctorum annis ſeptuaginta venire auſus eſt, præter ſolum, ut legimus, Reimbertum. Eſt autem Byrca 9
oppidum Gothorum celeberrimum, in medio Suediæ poſitum, quod tractus quidam Baltici maris alluit, reddens portum optabilem, quo omnes Danorum, Norveorum, itemq; Slavorum ac Semborum naves, aliiq; Scythiæ populi pro diverſis commerciorum neceſſitatibus, ſolenniter convenire ſolent. In eo ergo portu, confeſſor Domini egreſſus, inſolita populos appella- 10
re cœpit legatione: Quippe Sueones & Gotthi propter varia temporum pericula, & regum cruentam feritatem, Chriſtianæ religionis penitus obliti fuerant. Sed favente gratia Dei, à ſancto patre Unni, denuò ad fidem revocati ſunt. Perfecto ergo legationis ſuæ miniſterio, cùm jam redire diſpo- 11
neret Evangeliſta Dei, ægritudine correptus, apud Byrcam feſſi corporis ſarcinam depoſuit. Obijt autem peracto boni certaminis curſu anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo, triceſimo ſexto. Cui ſucceſſit in Cathedra venerabilis Adheldagus.

Conradi) Conradus obiit XIV, Kal. Nov. *Ditmar. Merseburg.l.I.*

Deinde) *Segebert.Gemblac.Johan. Isac.Pontanus l.V. in Gormone, ann. 922.*

Slesvvich) Slesvicum à Slia, vel Slya, fluvio dici, docet *Adam. Brem. l. IV. cap.46.* Unde idem Sliasvvig scribere solet. Cum voce Slia Germanicum nostrum wych componitur. Est autem Slia fluvius supra Gottorpium oriens, & juxta Slesvicum in stagnum se diffundens; cujus ostium à Margareta Sambiria, Daniæ Regina, ingentibus saxis oppilatum dicunt. Slesvicum Danis olim Heidebo, Haddeby, Heitby & Hetheby dictum fuit. Nam Hetha, virilis animi regina, oppidum hoc Hethæby anno Chr.326. condidisse putatur. *Joh. Isac. Pontan. Rer. Dan. l. I. in Haraldo III. Joh. Suaning. ad annum 326. Casp. Danckw. l.I.c.9.*

Haroldum) Hic Haraldus, cognomento Blaatand, Gormoni patri anno 931. successit.

CAPUT IX.

1. *Otto M. multas injurias à fratribus perfert. - - - - 936.*
2. *Haraldus Rex ab illo deficit, & obtruncato Marchione Slesvicensi, Saxonum coloniam ibi delet. 948.*
3. *Slavi etiam res novas moliuntur.*
4. *Haraldus ab Ottone vincitur: eidem subjicitur, & Christianam religionem recipit. - - 949.*
5. *Haraldus cum filio baptisatur. 952.*
6. *Adeldagus misit Episcopos in Daniam.*
7. *Dani deinceps in fide perstiterunt.*
8. *Otto Slavis victis tributa imponit, eosq; ad Christianam fidem convertit.*
9. *Templa per Slaviam conduntur.*

1 EOdem quoq; anno contigit gloriosum Imperatorem Henricum migrare de hac vita, & constitutus est in regnum filius ejus Otto, cognomento Magnus. Qui cùm regnare cœpisset, multas perpessus est injurias à fra-
2 tribus suis. Rex quoq; Danorum, qui patri ejus fuit tributarius rejecto servitutis jugo, arma corripuit pro libertate. Et primo omnium, Marchionem qui apud Sleswich, quæ alio nomine Heidebo dicitur, cum legatis Regis Ottonis obtruncavit, omnem Saxonum coloniam quæ ibidem erat funditus
3 extinguens. Slavi etiam novas res affectantes, nihilo minus rebellare moliti sunt, multis terroribus Saxonum confinia pulsantes. Rex ergo Otto, divino fultus auxilio, ubi primum de insidiis fratrum suorum liberatus est,
4 fecit judicium & justitiam populo suo. Deinde postquam omnia penè regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo subjugavit imperio, in Danos arma corripuit. Transgressus ergo cum exercitu fines Danorum, qui olim fuerant apud Sleswich, ferro & igne vastavit omnem regionem usq; ad mare novissi-

novissimum,quod Nortmannos dirimit à Danis,& usque in præsentem diem
à victoria regis Ottensund dicitur. Cui ingredienti, Haroldus Rex, apud
Sleswich bellum intulit, in quo utrisque viriliter concertantibus, Saxones
victoria potiti sunt, & Dani terga vertentes ad naves cesserunt. Tandem
conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni subjicitur, & ab eo re-
gnum suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit. Nec mora, 5
baptizatus est ipse Haroldus cum uxore sua Hunnild, & filio parvulo, quem
Rex noster à sacro fonte susceptum, Suein Otto appellavit. Eo tempore
Dania plenariè recepit fidem, & divisa in tres Episcopatus, Hammenbur-
gensi metropoli subjecta est. Igitur beatissimus Adheldagus, primus ordina- 6
vit Episcopos in Daniam, & ex eo tempore Hammenburgensis Ecclesia
cœpit habere suffraganeos. Et hæc quidem initia cœlestis misericordiæ, 7
secutum est tale incrementum, ut ab illo tempore usq; in hodiernum diem
Ecclesiæ Danorum multiplici borealium gentium fructu redundare vide-
antur. His ritè peractis in Dania fortissimus Otto Rex convertit exercitum 8
ad subjugandos Slavorum rebelles.Quos pater ejus uno grandi bello domu-
erat,ipse tanta deinceps virtute constrinxit, ut tributum & Christianitatem,
pro vita simul & patria, libenter offerrent victori, baptizatúsque est totus
gentilium populus:Ecclesiæ in Slavonia tunc primum constructæ.De quibus 9
rebus suo loco ut gesta sunt oportunius aliqua scribenda sunt.

Eodem) Anno 936.VI. Non Jul. ut habent *Ditmar. Merseb. l.I. Continuator Reginonis: Marianus Scotus: Hermannus Contractus.* Ab his discedit *Segebert. Gemblacens.* qui ad annum 937.refert.Adde *Witichind.Corbeiens. fine libri I.* Otto eodem anno Henrico successit. *Ditmar. lib. II.*

March.) Anno 948. juxta *Albertum Stad.* Historiam recenset *Joh. Isac. Pontan. l.V. in Haraldo, ad ann. 948.*

baptizatus:)anno 952. *Lupoldus de Babenberg*, in *de Zelo German. Princip. c.2. p. 420.*

Gunnild) Aliis Gyritha dicta. Vide *Henricum Ernstium*, illud in Sorana decus, *in scriptorem Anonym. de Haraldo VI.*

tres)Ripensem, Arhusiensem,Othoniensem. *Joan. Svaning. anno. 946.*

CAPUT. X.

1. Otto moturus in Italiam, Hermannum Billingum Saxoniæ præficit. - - - - - - - *961.*

2. Hermanni ortus: opes: ingenium: principatus: justitia.

3. Otto Joannem Papam deponit: ipse coronatur à Leone. *964.*

4. Berengarios debellat. *964.*

5. Slavis convertendis dat operam.

1 Post hæc autem cùm Rex victoriosissimus Otto, ad liberandam sedem Apostolicam vocaretur in Italiam, consilium fertur habuisse, quem post se vicarium potestatis relinqueret, ad faciendam justitiam in his partibus, quæ barbaris confines sunt terminis. Nondum enim post tempor Caroli, propter veteres illius gentis seditiones, Saxonia ducem acceperat nisi Cæsarem. Ne ergo in regis absentia Dani, sive Slavi, novi aliquid molirentur, Rex necessitate persuasus, Hermanno primum tutelæ vicem in Saxonia
2 commisit. De quo viro, & progenie viri, quoniam nostris temporibus multum invaluerunt, aliqua commemorare necessarium duxi. Vir iste, pauperibus ortus natalibus, primo, ut ajunt, septem mansis, totidemque manentibus, ex hæreditate patrum fuit contentus. Deinde, quòd erat acris ingenij, decorisq; formæ, tum pro merito fidei & humilitatis, quam dominis & paribus exhibuit, facilè notus in palatio, ad familiaritatem ipsius regis pervenit, qui comperta juvenis industria, suscepit eum in numero ministrorum, deinde nutricium esse præcepit filiorum: mox etiam succedentibus prosperis, commisit ei vices præfectorum, in quibus officijs strenuè administratis, dicitur manentes suos pro furto in judicio delatos, data sententia simul omnes damnasse ad mortem. Cujus novitate facinoris, & tunc carus in populo, & clarissimus deinceps factus est in palatio. Postquam verò ducatum Saxoniæ meruit, judicio & justitia gubernavit provinciam, & in defensione Ecclesiarum sanctarum studiosus permansit usq; in finem.

3 Igitur tali viro piissimus Rex vicem suam in hac regione commendans, in Italiam discessit. Vbi Rex habito concilio Episcoporum, Iohannem Papam, cui Octavianus cognomentum erat, multis accusatum criminibus deponi fecit, quamvis absentem: nam fuga judicium subterfugerat, & in locum ejus Protum Leonem ordinari fecit, à quo ipse mox coronatus, Imperator Augustus à Pop. Romano consalutatus est, anno regni ejus XXVIII. post coronatum Romæ Carolum, centum quinquaginta tres an-
4 ni fluxerunt. Eo tempore Imperator cum filio quinquennium in Italia commoratus, filios Berengarii debellavit, Romamq; pristinæ reddidit liberta-
5 ti. Reversus ergo in patriam, omne studium intorsit ad gentium vocationem, præcipuè verò Slavorum, quod etiam pro sententia ejus ita evenit, Deo cooperante, & piissimi regis dextram in omnibus corroborante.

Nondum) Sequitur hîc Auctor *Adamum Bremensem l.II.c.4.* Et exscripsit postea *Albertus Stadensis ad ann.961.* Inculcat idem *Krantz. Sax. l. II. c. 29. & l.IV.*

& l.IV. c.16. Ast σφάλμα historicum hîc ab illis scriptoribus committi, jam ante viri in historia rerum Saxonicarum longè versatissimi demonstrarunt, ut *Henr. Meibomius* in *Demonstratione*, Saxoniam etiam ante Hermannum Billingium suos habuisse Duces. Et in *Notis ad Gerhard. Stederburg. p.35. Rein. Reinecc.* in *Commentatione de Saxonum originibus, p.33.*

Hermanno) *Albert. Stad.* & *Georg. Fabric.* referunt ad ann. 961.

pauperibus) Etiam hîc *Adamum*, *Helmoldum* & *Albertum*, affirmantes, Hermannum infimæ conditionis virum, parvisq; opibus & facultatibus præditum fuisse, à vero discessisse asserit *Henr. Meibom. Vindiciis Billingianis. Witichindus Corbeiens.* Hermannum appellat virum nobilem & industrium; satisq; prudentem, *l.I. p. 16.*

mansis.) Mansus veteribus fundus seu prædium erat, unde quis se & familiam suam tueri & alere commodè posset. Hîc ergo septem mansi sunt septem villici, 7. Pflüge. De manso *Goldast. Tom.I. p.218. Joachimus Vadianus* apud *eund. Tom.III. p.24. Meibom. in Vindiciis Billing. p.6.*

præfectorum) *Adam. Brem.* habet præfecturæ, *loco jam laudato.*

Ubi rex.) Totus locus inde: *Igitur tali viro:* usque eò: *Reversus ergo*: ad verbum ex *Adamo Brem. l.I. c.5.* descriptus est, nisi quòd, ubi in Helmoldo est Protum Leonem, Adamus habet, promtum Leonem. Vitiosè uterq;. *Liutprandus Ticinens. l.IV. c.11.* & *Reginonis Continuator anno 962.* rectè Leonem protoscriniarium vocant. Res hoc fere ordine gesta est. Imperator anno 962. mense Februar. urbem ingressus, ut nonnulli tradidere, à Johanne XII. coronatur. Papa jurisjurandi Imperatori dati oblitus, ad Albertum, Berengarii filium, se applicat, & opem suam ei contra Imperatorem pollicetur, atque ex urbe fugit. Romani ipsum magnorum scelerum, inprimis homicidii, perjurii, sacrilegii, portentosæ libidinis, & incestus cum duabus sororibus commissi, apud Imperatorem accusant: eidemque jurant, nunquam se nisi requisito Imperatoris consensu Papam electuros. Imperator anno 963. in concilio cum Episcopis, qui eadem crimina Johanni objiciebant, & ut removeretur, ab Imperatore contendebant, Leonem, Romanæ ecclesiæ Protoscriniarium, Papam eligit. Johannes dejectus Romanos pecuniâ corrumpit. Illi in Imperatoris exercitum irruunt. Imperator ergo cum exercitu Spoletum, ad oppugnandum Albertum, recedit. Factum id anno 964. Johannes in urbem recipitur, & synodum celebrat, in qua, quæ de Leone, & à Leone acta essent, rescindit. Cùm Imperator in eo esset, ut exercitum urbi admoveret, ad Romanos & Johannem in ordinem redigendos, Johannes extra Romam mœchus manifestarius deprehensus, pridie Idus Mart. occiditur. Imperator IX. Kal. Jul. urbem intrat, & Leonem dignitati suæ restituit. *Liutprand. Ticinens. l.VI. c.7. Reginon. Continuator l. II. ann. 962. 963. 964. Compilatio Chronolog. ἀνωνύμου. Narratio de Benedicto V. apud Erpold. Lingenbrog. p. 133. Platina in Johanne XIII. Baronius ad hos ann.*

CAPUT XI.

1. *Otto Slavis conversis Magdeburgum metropolin condit.* 967.
2. *Adelberto, primo Archiepiscopo, Slaviam usq; ad Penim fl. subjicit.*
3. *Suffraganei ejus sunt Merseburgensis, Cizensis, Misnensis, Brandeburgensis & Havelbergensis.*
4. *Aldenburgensis Hamburgensi subjectus fuit.*

1 SUbactis autem, Christianæq; fidei copulatis Slavorum gentibus, magnus Otto inclytam urbem Magdeburg, super ripas Albiæ fluminis condidit, quam Slavis metropolin statuens, Adelbertum summæ sanctitatis virum, ibidem consecrari fecit Archiepiscopum. Is primus in Madeburg ordinatus, duodecim annis strenuè pontificatum administravit, multosque
2 Slavorum populos illic prædicando convertit. Cujus ordinatio facta est anno Imperatoris XXXV. & sunt anni post ordinationem sancti Anscarii CXXXVII. Magdeburgensi autem episcopatui subiecta est tota Slavia, us-
3 que ad Panem fluvium. Episcopatus suffraganei quinq;, quorum Merseburg & Cicen, super Salam fluvium conditæ, Misna verò super Albiam, Brandenburg & Havelberg interius vadunt. Sextus Episcopatus Slaviæ est Alden-
4 burg. Hunc episcopatum, sicut & cæteros, Imperator Otto, Magdenburgensi primum subjicere decreverat, quem tamen postmodum Adheldagus Hammenburgensis Episcopus requisivit, eo quòd terminus suæ Ecclesiæ antiquis Imperatorum privilegiis esset circumscriptus.

Magdeb.) Carolus Magnus Schidræ (hodie Schir in Comitatu Lippiensi) Episcopatum anno 784. condidit. Hic à Brunone & Tanquardo, Saxoniæ Principibus, Vallerslebam, quæ in Luneburgico Ducatu adhuc superat: inde ab Henrico Aucupe Frosam, oppidum Northuringiæ: & tandem ab Ottone M. anno 967. Magdeburgum translatus est *Chronicon Mindense p. 97.* Adde *Ditmar. Merseb. II. Georg. Fabric. ann. 973.*

Brandenb.) Brandenburgum à Brennone fundatore Brenneburg primùm appellatum est. Ita vocem etiam scribit *Witichind. Corbeiens. l. I.*

Adelbertum,) Adelbertus primùm Monachus Trevirensis: postea ad Rugianos missus, atq; ab illis iterum ejectus, Weissenburgensis Abbas electus est. Inde ad Archiepiscopatum Magdeburgensem evectus, Primas Germaniæ factus est. Ab Ottone, optimo & religionis propagandæ studiosissimo Imperatore fundati sunt Episcopatus

Havel-

Havelbergensis anno	- - -	946.
Aldenburgensis	- - - -	948.
Brandenburgensis	- - - -	960.
Magdeburgensis	- - - -	968.
Merseburgensis, Misnensis -, Cizensis, vel Naumburgensis	- - -	969.

Vide *Literas fundationis Archiepisc. Magdeburgensis, Witichindo à CL. Meibomio adjectas, p. 108. & seq. Ditmar. Merseburg. l. II. Gobelin. Personæ Cosmodr. ætat. 6. c. 48. Paul. Lang. Chron. Citizens. p. 758. Chronicon Mindense: Henric. Petrum, Tractatu de Monast. p. 9.*

Sextus) Episcopatus hic Aldenburgensis circa annum Christi 952. ab Ottone M. institutus, inter immanes & barbaras gentes varias atq; insignes mutationes expertus est, donec tandem anno 1163. Lubecam Henrici Leonis pietate translatus est.

Carolum atq; Ottonem Imperatores, quorum uterq; à rebus, quas cum immortali nominis gloria gessere, Magni nomen adeptus est, à Deo gentibus à dæmonum cultu ad fidem Christi convertendis destinatos esse non immeritò diximus. Nam ut ille Saxones, gentem effrenem & bellicosissimam, veterisq; superstitionis tenacissimam, tandem Christi jugo submisit: ita hic magnis bellis gestis Obotritos & Wagrios, populos Slavos seu Henetos, tandem seculo à salute humana reparata decimo Christo adducere magno conamine cœpit. Miserrima gens, cùm jam tot seculis clarissima Evangelii lux Europam ferme totam illustrasset, ipsa adhuc plusquam Cimmeriis involuta tenebris dæmones cæco impetu venerabatur, contemto, imò contumaciter repulso æternæ salutis nuntio. O inscrutabilia Dei judicia! Sed gratis nunc animis summam Dei deprædicemus benignitatem, qui tandem præfractæ gentis misertus gratiâ sua divina efferos animos emollivit, & cæcitati ereptos atq; luce Evangelii illuminatos Christi regno asseruit.

Albenburgum amplum illis temporibus, & propter loci naturam & portus commoditatem opulentum admodum in Wagria emporium erat. Magnis enim navigiis ex mari per amnem ad ipsam urbem accessus patuit: qui meatus successu temporum sive incuriâ incolarum, sive hostium invidia obstructus est, & ampla urbs in parvum oppidulum abiit. Invitavit loci commoditas Slavos Principes, ut inibi aulæ suæ sedem figerent. Nam Wagriorum, Obotritorum, Kissinorum & longè remotiorum populorum Regulos in illa habitasse, atq; ex ea Danis & Saxonibus frequenter bella intulisse, aut ab illis illata propulsasse Auctor noster cap. seq. narrat. Quòd enim in fronte totius Wandaliæ posita, Danos ab altera parte, ab altera Saxones vicinos, libertati suæ imminentes haberet, adeoq; bellum aut ipsa prima inferret, ut illati impetum exciperet, fortissimos semper & rei militaris peritissimos viros fovebat.

Erant Wagrii nostri, & vicini Obotriti, præ cæteris vetustæ superstitionis atq; avitæ libertatis tenacissimi, nec ullam occasionem, qua excutere jugum Roma-

norum Imperatorum & Saxoniæ Ducem, & declinare fidem Christianam possent, negligebant.

Juvabant Wagriorum pervicaciam vicini Dani, qui & ipsi adhuc maximam partem Christianam fidem aversantes, sub Haraldo Blaatando Rege arcem Slesvicensem anno 948. expugnârant, & Marchione miserè trucidato Marchionatum, sub cujus præsidio tenella ecclesia ibi adolescere atq; corrobarari debebat, prorsus disturbârant.

Imperator damna imperii & ecclesiæ non ferenda ratus Haraldum anno 949. bello adgreditur, gravi prælio vincit, & Danos religionem Christianam denuo suscipere cogit, variis per Jutlandiam & Daniam constitutis Episcopis. *supra c.9. Adam. Brem. l. II. c.2.*

Dani hactenus Slavorum armis adjuti Saxoniam & Romanum Imperium infestarant Danis igitur victis Wagrii faciliores se ad recipiendam fidem Christianam præbuere. Nam & Wagrii atq; Obotriti iisdem Regulis parentes, variis præliis ab Ottone M. hactenus domiti, jam etiam arma ejus deprecabantur, & Christiana sacra se recepturos, atq; imperata facturos pollicebantur.

Jam tandem aditum apertum sibi etiam ad Slavorum conversionem Imperator videbat. Receperant Dani fidem Christi: parebant Imperatori Wagriorum & Obotritorum Reges, victricibus ejus armis perdomiti. Ut ergo doctrina cœlestis, quæ in vicinam Holsatiam & Stormariam jam inde à tempore Caroli M. introducta fuerat, etiam in finitimis locis, quæ adhuc tenebris ignorantiæ veri Dei premebantur, longè lateq; propagaretur, Sacerdotes, vitæ sanctitate & doctrinæ puritate commendatos eò misit, nec quicquam antiquius habuit, quàm ut misera gens à dæmonum cultu abstracta ad veri Numinis cognitionem adduceretur. Tantus fuit Imperatoris in propaganda religione fervor, tanta Sacerdotum assiduitas, ut magna Slavorum multitudo, Christianam religionem amplexa, sacro baptismo tingeretur, & templa multis in locis per Slaviam tunc primùm ædificarentur. Cumq; Aldenburgum in Wagria primaria isto tempore Slavorum in his locis civitas esset, Episcopatum Imperator circa annum 952. ut diximus, instituit, Marcone primo novæ ecclesiæ constituto Episcopo, cùm Adeldagus Hamburgensi & Bremensi præesset ecclesiæ. Marconi Wagriam, Slesvicum, omnemq; amplissimam illam Obotritorum terram usq; ad Penim fluvium & Deminum urbem subjecit. Marco omnem populum suæ inspectioni commissum ad Deminum usq; sacro fonte lavit. *Chron. Slav. c.9.*

Fluctuavit equidem Christianæ religionis status in his locis, & vehementer ab hoc tempore, usq; ad Henrici Leonis ætatem, à Slavis, crebrò ad paganismum relabentibus, concussus est: nunquam tamen penitus excisus. Quoties actum prorsus de illo videbatur, toties infinita Dei bonitate quasi ex cineribus excitatus iterum & confirmatus est. *Krantz, Wandal. l. III. c.28.*

CAPUT XII.

1. Aldenburgi in Wagria situs, & cives.
2. Obotritorum & Kissinorum Reges ibi regiam habuere.
3. Incolæ ejus Evangelium recepere,
4. Marconi, primo Episcopo, Obotriti usq;

ti usq; ad Penim fl. subjiciuntur, circa ann. - - - - 955.
5. Slesvicum ejusdem fidei committitur.
6. Eidora fl. est terminus Romani Imperii.
7. Wagria & Slesvicensis terra urbibus, villis & cœnobiis replentur.
8. Post Marconem Slesvicensis ecclesia peculiarem Episcopum sortita est.
9. Marconi Edwardus successit.
10. Ottonum tempore Slavi in fide Christiana perstiterunt.
11. Wagriorum, Obotritorum & Kissinorum terræ tum templis &c. ornatæ sunt.
12. Dedicatio templi Aldenburgensis, & Mechlenburgensis.
13. Episcoporum Aldenburgensium magni reditus.

Est autem Aldenburg ea, quæ Slavica lingua Starigard, hoc est, antiqua civitas dicitur, sita in terra Wagirorum, in occiduis partibus Baltici maris, & est terminus Slaviæ. Hæc autem civitas sive provincia fortissimis quondam incolebatur viris, eo quòd in fronte totius Slaviæ posita, contiguos haberet Danorum sive Saxonum populos, & omnes bellorum motus ipsi aut primi inferrent, aut aliis inferentibus exciperent. Tales autem in eis quandoque reguli fuisse probantur, qui omni Obotritorum, sive Kycinorum, & eorum qui longè remotiores sunt, dominio fuerint potiti. Conclusa ergo atque subneruata, ut supra dictum est, omni Slavorum provincia, urbs nihilominus Aldenburg ad fidem conversa est, & facta est numero fidelium copiosissima. Huic urbi præcellentissimus Cæsar pontificem dederat venerabilem virum Marconem, subdens ei omnem Obotritorum provinciam, usq; ad Penem fluvium, & urbem Dimine: præterea civitatem opinatissimam Slefwich, quæ alio nomine Heidibo dicitur, ejusdem curæ delegavit. Eo enim tempore Slefwich cum provincia adjacente, quæ scilicet à lacu Slya, ad Egdoram fluvium protenditur, Romano imperio subjacebat, habens terram spaciosam & frugibus fertilem, sed maximè desertam, eo quòd inter Oceanum & Balticum mare sita crebris insidiarum jacturis attereretur. Postquam autem misericordia Dei, & virtute magni Ottonis matura pax omnia possedit, cœperunt habitari deserta Wagriæ & Slefwicensis Provinciæ, nec ullus jam angulus relictus fuerat, qui non esset conspicuus urbibus & vicis, plerisq; etiam monasteriis. Adhuc antiquæ illius habitationis pleraq; indicia, præcipuè in sylva quæ ab urbe Lucilinburg per longissimos tractus, Slefwich usq; protrahitur, cujus vasta solitudo & vix penetrabilis inter maxima sylvarum robora, sulcos prætendit, quibus jugera quondam fuerant dispertita: urbium quoq; seu civitatum formam,

(Margin numbers beside the lines: 1 at "Est autem Aldenburg…anti-", 2 at "Tales autem", 3 at "Conclusa ergo", 4 at "Huic urbi", 5 at "præterea civitatem", 6 at "Eo enim tempore", 7 at "Postquam autem".)

mam, structura vallorum prætendit: in plerisq; etiam rivis qui propter molendina stipandis aquis aggeres congesti sunt, ostendunt omnem illum saltum à Saxonibus quondam inhabitatum. Primus ergo, ut dixi, huic novellæ plantationi episc. Marco præfuit, qui populos Wagirorum sive Obotri-
8 torum sacro baptismatis fonte lavit. Quo defuncto Sleswich singulari Pon-
9 tifice honorata est. Aldenburgensem sedem suscepit regendam venerabilis vir Edwardus, qui multos Slavorum convertit ad Dominum. Ordinatus
10 est à sancto Adeldago, Hammenburgensi Archiepiscopo. Crevit autem populus fidelium, nec fuit aliquid quod novellæ ecclesiæ adversaretur omni tempore Ottonum. Horum tres fuisse comperi, omnes pari devotione erga
11 Slavorum vocationem affectos. Et repleta est omnis Wagirorum, Obotritorum, sive Kycinorum provincia, Ecclesiis, Sacerdotibus, Monachis, &
12 Deo dicatis virginibus. Porro Aldenburgensis ecclesia dedicata fuit in commemoratione sancti Ioannis Baptistæ, existens honore matricis Ecclesiæ insignis. Mikelinburgensis verò ecclesia fuit constructa in honore Principis
13 Apostolorum Petri, continens monasterium Virginum. Fuerunt præterea Aldenburgenses Pontifices admodum honorabiles erga regulos Slavorum, eo quòd munificentia magni Principis Ottonis cumulati essent temporalium rerum affluentia, unde possent copiosè largiri, & favorem sibi populi consciscere. Dabatur autem Pontifici annuum de omni Wagirorum sive Obotritorum terra tributum, quod scilicet pro decima imputabatur, de quolibet aratro mensura grani, & quadraginta resticuli lini, & duodecim nummi puri argenti. Ad hæc unus nummus, precium colligentis. Slavicum verò aratrum, par boum, aut unus conficit equus. De urbibus verò aut prædiis, aut curtium numero, quæ ad possessionem Pontificis pertinebant, non est hujus operis explanare, eo quòd vetera in oblivionem venerint, & ecce nova sunt omnia.

VVagirorum) VVagria ista ætate non angulus ille circa Aldenburgum, qui hodie hoc nomine vulgô venit, sed omnis ille tractus erat, qui inter Travam, Sualam & Suentinam, amnes, deinde à septētrione & oriente mari Baltico Lubecam usq; concluditur; quæ terra nostra ætate non contemnendam Holsatiæ partem constituit. Nam Lubecam Segebergum, Oldesloam, Plönam, Niestadium, Lütkenburgum & Aldenburgum complexus est. Aldeburgum amplum istis temporibus & propter loci naturam & portus commoditatem opulentum admodum emporium, & Slavorū Regulorum multo tempore regia fuit. Wagriam hanc primùm Wandali jam inde ex quo post desiccatas iterum ab aquarū eluvione terras coloniæ in hæc loca deductæ sunt, tenuisse putandi sunt. His inde cum cæteris Wandalis emigrantibus Venedica, seu Slavica natio terram hanc occupavit, quæ diutissimè, videlicet ad ann. Ch. 1140. istam tenuit. Nam cùm Caroli M. ætate

Holsa-

Holſatia & Stormaria Chriſtianis Ducibus & legibus ſubderentur, Wagria adhuc ultra CCC.annos, usq; ad Adolphum II. Holſatiæ Comitem, Wagriorum & Obotritorum Principibus paruit, contemptis etiam Chriſtianæ religionis myſteriis. Equidem Caroli M. pio ſtudio obſcura quædã lux evangelij in his oris accenſa eſt, verùm quæ paulò pòſt, ipſo è rebus humanis ſublato, extincta iterum eſt, nec avelli à cultu dæmonũ gens pervicax potuit, ſed mordicus idolorum cultum usq; ad Ottonis M. imperium defendit.

reguli) Primus hic locus eſt, in quo de Wagriorum & Obotritorum Regulis Auctor noſter agit. Magna iſtorum in his locis Balthicis fuit potentia, magnũ militiæ robur, magni Principatus, & latè diffuſi ditionis termini. Nam Wagriam omnem, Polaborum & Obotritorum regiones ampliſſimas tenuerunt. Erant enim iidem Wagriorum Principes, qui & Obotritorum, Heruli iidem, (die Werlen) communi vocabulo appellati, Werlam ſeu Herulam urbem in Roſtochienſium terra, haut ita procul à Varno amne ſitam, à ſuo dixerunt nomine. Quod horũ Principum crebra à ſcriptore noſtro in ſubſequenti hiſtoria fiat mentio, partem genealogiæ illorum hîc oculis ſubjicere placuit. Sed unde potiſſimum illam inchoabimus? Sunt, qui eam inde ab Anthyrio usq;, qui Alexandro M. militârit, deducunt. Quanquam autem illi, quos ab Anthyrio usq; ad illum Billungum, qui ætate Ottonis II. vixit, enumerant, Obotritis olim imperarunt; tamen & eo ordine, & non plures imperaſſe, quàm ipſi enarrant, nullis veteris hiſtoriæ indiciis conſtat. Primus qui genealogiam iſtam prodidit, videtur eſſe *Nicolaus Mareſchalcus Thurius l. II. cap. 1. & ſeqq.* Quem cæteri ſecuti, ut *Henning. in Tabul. p. 287.* *Joannes Bocer. Carm. de Duce Megapol. Caſp. Calov. in Chron. Mechlenb. Joh.* Peterſſen *Chron. Holſat. p. 92. Bernh. Latom. Chron. Mechlenb. MS.* A Billungo autem, quem Auctor noſter cap. ſequenti commemorat, ſi illuſtriſſimæ familiæ Principes numeremus, ſerie nunquam interrupta ad hæc tempora deſcendere licebit. Quosdam tamen illorum, qui hunc Billungum anteceſſere, enumerabimus, quòd illi pleriq; ab iſtis, qui genealogiam dictam concinnarunt, omiſſi ſint, & quòd eadem operâ Obotritorum res geſtas, & ingenium ad moliendum res novas aptum, ſummum item ſtudium in Francorum & Saxonum imperio à cervicibus depellendo breviter deſcripturi ſimus.

Miſſis autem iis, quos ante imperium Caroli Magni numerant, quiq; potius VVandalis & toti genti, quàm uni huic nationi imperarunt, placet à VVitzane, qui Caroli ætate Obotritis præerat, incipere, atq; eos ſolùm adducere, quos veteres Annales commemorant. Cũ ann. Chr. 789. Carolus exercitum in VVilſſos Venedos duceret, *Witzan* apud Obotritos cum imperio erat. Is quod Carolo confœderatus eſſet, cum Obotritorũ aliqua manu ei ad hoc bellum ſuccurrebat. Ab eo tempore Obotriti cùm auctoritate Reguli ſui, tum metu armorum Caroli, ſive deniq;, quòd crederent, ſe potentiâ Caroli fretos vicinis Saxonibus, & ab altera parte Wilſſis, eò moleſtiores eſſe poſſe, Francis ſe aliquamdiu junxerunt. *Eginhart. in vita Caroli, p. 6. Annal. Regũ Franc. Annal. Fuldenſes. Regino: Albert. Stad. Krantz. Wand. l. II. c. 23. Lambertus Schafnaburg. Henr. Meibom. in Bardevico, pag. 9.*

 Obotri-

Obotritos ergo ut Imperator magis sibi devinciret, Saxones trans Albim in Wihmodi, i. e. in agro Bremensi, habitantes transstulit anno Christi 804. in Franciam, & pagos eorum Obotritis dedit. *Annal. Regum Franc. Annal. Fuld. Regino: Sigeb. Gemblac. Albert. Stadens. Krantz. Sax. l. II. c. 19. & lib. V. cap. 27. Metr. l. I. cap. 15.* Cùm autem anno 795. Obotriti iterum à Carolo contra Saxones, qui versus septentrionẽ habitabant, ad ferenda auxilia evocarentur, & Witzan Regulus (Withan *Sigeberto Gemblacensi* anno 796. dictus) jam in eo esset, ut Albim trajiceret, à Saxonibus, qui re comperta ab utraq; fluminis ripa, insidias locarant, in ipso amnis alveo interemptus est. Hic Witzan à *Poeta anonymo*, qui Arnolpho Cæsari æqualis fuit, & à *Sigeberto*, Obotritorum Rex nominatur. Ex quo statuere licet, ipsum summo loco apud eos fuisse. *Latomus in MS. Chronico Mechlenb.* Wisislaum eum vocat, & filium Thrasiconem ei successisse scribit. Vide *Auctores jam adductos*.

Post Witzanem Annales *Thrasiconem* vel Thrasconem, Obotritorum Ducem, commemorant.

Cùm anno 798. Saxones trans Albim Caroli legatos seu Præfectos interficerent, & simul Obotritos, Carolo fœderatos, bello peterent, Thrasico, Princeps illorum, cum Ebervvino, Caroli legato (ita ille in *Annal. Reg. Franc.* appellatur, at in *Annal. Fuldens.* Eburisius, & apud *Reginonem* Helbruinus) in Saxones movet, & ad Suentinam amnem quatuor millia eorum perimit. Adde Annalibus jam laudatis *Poetam anonymum & Albert. Stadensem ad ann. 798.*

Post decennium, anno videlicet 808. idem Thrasico Obotritorum regnum tenet. Quod Obotriti jàm Carolo parerent, & pars illorum ad Christianam fidem amplectendam inclinare videretur, Wilsi Slavi extremè illos oderant, atq; Godefridum, potentissimum Danorum Regem, in eos excitabant; cui ipsi sua arma jungebant. Danus numeroso exercitu terras Obotritorum intrat: Thrasiconem Ducem, popularium fide non satis munitum pellit: Godliebum Ducem captum in crucem agit, reddita potiori provinciæ parte sibi stipendiaria. Imperator filium cognominem cum magna militum manu Obotritis, sociis, auxilio misit. Godefridus in prælio præcipuis suis militibus, & Reinholdo fratris filio, amissis, retrocedere coactus est. Vide *Annal. eosd. & Joh. Isac. Pontan. l. IV. in Godefredo ad ann. 808.*

Anno sequenti Trasico, postquam filium Godefrido obsidem dedisset, assumtis Saxonum auxiliis in Wilsos movet, & agros eorum ferro & igni vastat. Sed paulò pòst in oppido Rerich, ad mare sito, per sicarios à Dano submissos, occisus est. *Annales iidem.*

Anno 815. Imperator Ludovicus Haraldo Regi contra Godefridi filios mittebat auxilia. His fortissima manus ex Saxonibus & Obotritis accessit. *Annal. Reg. Franc.*

Thrasiconi successit *Slaomir*. Is, quod regiam potestatem cùm Ceadrogo, Thrasiconis filio, dividere ab Imperatore jubetur, anno 817. ab Imperio cum Obotritis suis deficit: & cum Godefridi filiis fœdere inito auxilia ab illis impetrat. Sed biennio post Imperator Duces suos magnis Saxonum & Francorum copiis instructos adversus Slaomirum, defectionis auctorem, mittit. His se Saxonici limitis

custodes

custodes jungunt. Slaomir captus Aquisgranum ad Imperatorem deducitur: primores populi, simul adesse jussi, illum coram Imperatore multorum facinorum reum agunt. Illa cùm diluere atq; amoliri à se non posset, exulatum ire jussus est, & regnum *Ceadrogo*, Thrasiconis filio, datum. *Annales Reg. Franc. & Annal. Fuldens.*

Verùm nō ita diu pòst (ann. 821.) Ceadrogus perfidiæ & societatis cum filiis Godefridi initiæ suspicionem apud Imperatorē incurrit; quare ille regno movetur, & *Slaomir* ad illud recipiendum revocatur. Qui cùm in reditu in Saxoniam pervenisset, morbo correptus, percepto Baptismi sacramento vitâ excessit. *Ann. iidem.*

Ceadrogus igitur muneribus Imperatorem placare iterum voluisse videtur: nam anno seq. cùm Imperator comitia Francofurti ageret, eò Obotritorum legati cum cæteris Slavis venere & munera Ludovico obtulere.

Cùm anno 823. Francofurti Imperator mense Majo comitia continuaret, in istis Ceadrogus graviter accusatus est, quod non satis integra fide Francos coleret, & Imperatori se sistere jam multos annos detrectasset. Ceadrogus absentiæ suæ causas per legatos exponit, & sequenti hyeme, uti receperat, Compendium ad Imperatorem venit, ibiq; longiorem moram quibus potest modis excusat. *Ann. Reg. Franc.*

Anno 826. Obotritorum principes Ceadrogum apud Imperatorem mense Junio accusant. Is ei diem dicit, ut in Comitiis, proximo Octobri in oppido Ingelheim habendis, se sistat. Quo cùm Ceadrogus pervenisset, Imperator missis legatis totius nationis voluntatem requisivit. Cumq; intellexisset, præstantissimos in illa gente non dubitare Ceadrogum recipere, obsidibus ab eo acceptis reducendum illum in regnum curavit. *Annal. iidem.*

Ex quo Obotriti à Carolo M. domiti, ab eodemq; in fœdus & amicitiam assumti fuerant, constantiùs sanè, quàm cæteri Slavi, fidem huc usq; servarunt, ut etiam, quod suprà laudavimus, arma sua Francis jungerent, salutisq; & periculi societatem cum illis contraherent. At cùm reliquæ Slavicæ nationes non satis reverenter imperium Francorum colerent, frequenter à conditionibus, quas inierant, recedentes, quòd regnum & virtus Francorum per terrarum Caroli M. divisionem, perq; mutua inter successores bella non parum imminuta esset, etiam Obotriti paulatim ab obsequio recedere cœperunt, donec tandem anno 844. cùm apud illos *Gozzomuil* (Gestimulus *Lamberto Schafnaburgensi* dictus) regia potestate uteretur, Obotriti apertè defectionem molirentur, Ibi verò Ludovicus, potentissimus Germaniæ Rex, idemq; Lotharii Imperatoris frater, uti contra cæteros Slavos frequenter dimicaverat, sic hoc anno Obotritos bello adgressus Gozzomuilem necavit, & gentem imperata iterum facere coegit. *Annal. Fuld. Segebert. Gemblac. ad ann. 845.*

Anno 858. Obotritos ad ingenium rediisse, & defectionem iterum meditatos esse, satis arguit, quod Imperator Ludovicus II. filium cognominem cum exercitu magno contra illos & vicinos Linones mittere necesse habuit. *Ann. Fuld. Lambertus Schafnaburg.*

Anno 862. *Tabamuizil* Obotritis imperat, Hoc auctore illi denuo promissorum

ſorum obliti in libertatem ſeſe aſſerere ſtudent. Imperator in eos movet, Tabamuizilem compeſcit, & filium obſidē dare cogit. *Ann. Fuld.*

Anno 889. Arnolpho Romanum Imperium tenente Obotriti iteratò dedere turbas, & maximum, quem Imperator contra eos emittebat exercitum, ita repulerunt, ut is re infecta recedere cogeretur. *Ann. Fuld.*

Quo rege Obotriti circa ann. 906. uſi ſint; nullis quidem veterum annalibus proditum eſt. Illud tamen narrant, eos junctis ſibi Sorabis Ottoni, Saxoniæ Duci, ſeſe oppoſuiſſe. Hunc ſenio confectum bellum hoc Henrico filio demandaſſe, qui poſtea ad Imperatoriæ dignitatis apicem evectus eſt. Tunc Venedos Henrico impares Hungaros in ſocietatem belli vocaſſe, cum iisdemq; totam Germaniam & alias provincias latrociniis atq; incendiis miſerrimè devaſtaſſe. *Lamb. Schafnaburg.* Ex qua narratione conſtat, Obotritos hoc tempore prorſus imperio Cæſaris ſe ſubtraxiſſe.

Fortiùs autem repreſſit Slavos, & in his Obotritos, Henricus Auceps, quàm ullus Imperatorum aut Regum ante ipſum. Uti enim illi ultro bellum inferre hactenus ſoliti fuerant: ſic nunc idem ſibi ab Aucupe illatum repellere neceſſe habebāt. Ipſe nāq; ſexto imperii ſui anno (CH. 925.) tirones ſuos in eos eduxit, Brēneburgū urbē ipſis eripuit, Obotritos, Wilſſos, Havellanos cæteroſq; per viciniam Slavos tributarios fecit, *Witichind. Annal. l. I. p. 12.* Verùm cùm gens aſſueta armis nondum acquieſceret, & Imperatore alibi in finibus Imperii tutandis occupato, Redarii primùm, mox univerſa natio Slavica duce *Mislao*, Obotritorum Rege anno 931. deficeret, Hamburgum everteret, & vicina loca ſumma immanitate depopularetur, Imperator miſſo Bernhardo, Duce Luneburgenſi, ad mare Balthicum illorum ad centum & viginti millia peremit, ibidemq; pôſt Marchionatum Slesvicenſem inſtituit. Tum verò Obotriti cum ſociis non tributum modò ſe iterum penſuros, ſed & ſacrum baptiſmi lavacrum ſuſcepturos polliciti ſunt. Regem ipſum tunc Chriſtianum factum eſſe Annales teſtantur. Vide *Witichind. l. I. p. 12. Hermann. Contractum: Lambert. Schafnaburgenſem: Sigeb. Gemblacenſem: Reginonis Continuatorem ad ann. 931. & Georg. Fabric. Chemnicenſ. ann. 930.* Grave eſt, genti liberæ parendi leges imponere: gravius, tributa magna exigere: graviſſimum, cogere, ut avito idolorum cultu abdicato Chriſti fidem amplectatur. Obotriti ergo nihil ægrius, quàm ſervitutem, tributa & Chriſtianam religionem ferentes, cùm intellexiſſent, Henricum exercitum, quem victorem reduxerat, maximam partem dimiſiſſe, & Göttingæ certamina equeſtria indixiſſe, Sacerdotes atq; Præfectos ab Imperatore ſibi conſtitutos anno 934. contrucidant. Vagatur fama, Obotritos defectionem iterum moliri, cum Hungaris arma velle denuo jungere, & damna accepta penſare. Cæſar majorem in modum nuncio illo turbatus omnibus militibus, ut iterum promtè adſint, edicit. Caſtra Angermundæ ad Albim locat. Dum exſpectatur exercitus, ecce adſunt Obotritorum præcipui cum CC. equitibus & XL. curribus, & Imperatori jure à ſe avaros Sacerdotes & Præfectos cæſos probare non dubitant. *Latom. Chron. Mechl. MS.*

Circa annum 941. Obotriti Saxonum præſidium, cui Imperator Haicam (Hugonem aliis) ducem præfecerat, cum ipſo duce delent. Sed à Gerone, Imperatoris Præfecto limitaneo multis viciſſim calamitatibus afficiuntur, & omnes gentes

Slavicæ

Slavicæ usq; ad Oderam tributariæ redduntur. *Witichind. Corbeiens. l. II. p. 19. G. Fabric. Orig. Sax. l. II. p. 138.*

Quis anno 955. apud Obotritos rebus præfuerit, non quidem certò constat. Veruntamen illos iterum ad ingenium rediisse, & cum cœteris Slavis per Pomeraniam, adversus Imperatorem arma corripuisse, ab eodem autem fusos & profligatos fuisse, liquet ex *Hepidanno, Cœnobita S. Galli,* qui ita *ad ann. 955.* Otto Rex & filius ejus Liutolf [*Ludolphus*] in festivitate S. Galli pugnaverunt cum Abatarenis, & Vulcis & Cyripsanis & Tolosenis, *i. e. cum Obotritis, Wilsis, Circipanis & Tollensis,*] & victoriam in illis sumpsit, occiso Duce illorum Ztoignano [*Stonesgaro*] & fecit illos tributarios. Vide de hac victoria etiam *Ditmarum Episc. Mersep. l. II. p. 18.* & *Georg. Fabric.* qui refert *ad ann. 957.*

Anno 964. Obotriti Regulo Mistavo: Wagrii Seliburo parebant, Uterq; sub Imperatoris Ottonis M. & Hermanni Billingi imperio erant. Nam cùm duo illi Duces Heneti acceptam à majoribus simultatem alerent, controversiam tandem ad Hermannum deferebant. Qui cùm contra Seliburum pronuntiasset, ille armis decernere statuit. Verùm in urbe sua Aldenburgo ab Hermanno oppressus, & exilio mulctatus est. *Witichind. Corbeiens. lib. III. p. 33.* Ditmar. Episc. l. II. p. 18.

Circa finem imperii Ottonis II, annum videlicet 982. Obotritorum terram regio imperio tenuit *Mistavus*, qui Mistui Ditmaro Merseburgensi l. III. p. 32. aliis etiam Mislaus dicitur. Pulchrè successerunt initia Christianæ religionis in nostrorum Slavorum provinciis toto trium Ottonum tempore, i. e. annis fere LX. nisi quòd Ottone II. in Apulia & Calabria in Saracenis debellandis occupato, aliquot Slavorum nationes conglomeratæ, veteres injurias, uti putabant, ulturi, Brandeburgum & Havelbergam capiunt, Episcopum utriúsq; loci obtruncant, & multa atrocissimè patrant. His ita tumultuantibus, etiam Mistavus, Obotritorum & Lutitiorum Princeps, qui jam aulam Aldenburgo in urbem Mechlenburgum transtulerat, arma capit, à Christo pariter & ab Imperatore Romano deficit, Hamburgum expugnat, Adeldagum Præsulem pellit, templum incendit, ferro atq; igni vicina quæq; depopulatur. Ad repellendum atrocē hostem Giselarius, Episcopus Magdeburgensis, & aliquot Saxoniæ Principes parato, jussu Imperatoris, exercitu Brandeburgum recipiunt, & Obotritos ingenti pugna vincunt, XXX. millibus & septingentis illorum in acie occisis. *Ditmarus loco adducto, Krantz. Sax. l. IV. c. 19. Georg. Fabric. anno 982.*

Post biennium idem Mistavus adhuc superat. Nam Quedlinburgum ad Comitia, quæ ibi Henricus, Dux Bavariæ, habebat, venit. *Ditmarus l. IV. initio.*

Mistavo Ottonis III. tempore circa ann. 986. successit filius *Billungus*, quē Auctor noster c. seq. nominat, Holsatis ille, Slesvicensibus, Ditmarsis, Wagriis, Obotritis, Polabis & Pomeranis, à Visurgi ad Vistulā usq; imperavit. Regia ipsi Mechlenburgū fuit: urbs illa ætate amplissima & florentissima. Priore conjuge defuncta, ex qua Mislaum, Sedericum & Nacconem susceperat, baptismo etiā à Wagone, Episcopo III. Aldenburgēsi initiatus est, ejúsdemq; sororem matrimonio sibi junxit.

Lucilinburg) Est vetus istud oppidulum; quod nomen loco ad nostram usq; ætatem mansit.

CAPUT. XIII.

1. *Otto I. Nonis Maji moritur: succedit Otto II.* - - - - *973.*
2. *Otto II. Lotharium & Carolum, Francor. Reges, sibi subjicit.* *978.*

3. A Saracenis & Græcis in Calabria Idib. Jul. clade afficitur. 982.

4. Moritur VI. Id. Decemb. & habet Ottonem III. successorem. 983.

5. Hermanno Billingo Duci Benno filius succedit. - - - 973.

6. Edwardo, Episcopo Aldenburg. Wago, Episcopus III. surrogatur.

7. Wago sororem Billungo, Obotritorum Regi, nuptum dat.

8. Hodicam, Billungi filiam, Antistitem virginum facit in urbe Mechlenburgo.

9. Mislaus, Regis filius, utrumq; factum ægrè fert.

10. Rex inde de dimittenda uxore cogitare cœpit.

1. ANno ergo regni sui XXXVIII. Imperii XI. magnus Princeps Otto, domitor omnium septentrionis nationum, fœliciter migravit ad Do-
2 minum, & sepultus est in civitate sua Magdeburg. Cui filius Otto
3 medianus succedens, per x. annos strenuè gubernavit imperium. Is statim Lothario & Carolo Francorum regibus subactis, cùm in Calabriam bellum transferret, à Sarracenis, & Græcis, victor, & victus, apud Romam deces-
4 sit. Illi tertius Otto, cum adhuc esset puer, in regnum substitutus, annos decem & octo forti & justo sceptrum ornavit imperio.

5 Eodem anno Hermannus Dux Saxonum obiens, hæredem suscepit filium Bennonem, qui etiam vir bonus & fortis memoratur, excepto quòd dege-
6 nerans à patre populum rapina gravavit. Apud Aldenburg defuncto Ed-
7 wardo, successit Wago. Hic in summa prosperitate inter Slavos degens, sororem fertur habuisse speciosam, quàm appetijt regulus Obotritorum, nomine Billug. Cumque allegationibus crebris Pontificem super hoc negotio convenisset, quidam familiarium Episcopi, petitionem incauta verborum injuria repleverunt, dicentes, injustum esse pulcherrimam virginem inculto & agresti viro copulare. Quam ille contumeliam dissimulatione repressit, & amoris stimulo concitatus, preces iterare non destitit. Timens autem Episcopus, ne Ecclesiæ novellæ gravius aliquid exinde emergeret, postulationi ejus favore concurrit, data ei sorore sua in conjugio. Procrea-
8 vit autem ex ea filiam, nomine Hodicam, quam Pontifex avunculus ejus, monasterio virginum contraditam, & sacris literis edoctam, Abbatissam præfecit virginibus, quæ degebant Mikilinburg, cùm tamen necdum per-
9 venisset ad annos. Quod utique frater ejus Missizla ægrè tulit, odio, licet occulto, concitatus Christianæ religionis, timens etiam, ne hoc exemplo
10 peregrinus mos illis in partibus inolesceret. Patrem autem frequentur coarguit, quasi qui mente alienatus, supervacuas diligeret adinuentiones, nec timeret patriis derogare legibus, prius quidem ducens uxorem Teutonicam, deinde,

deinde filiam suam monasticæ clausuræ contradens. Cumque his verbis patrem sæpius exacueret, ille cœpit sensim flecti animo, jamque cogitare de acceptæ conjugis repudio, & de mutatione rerum. Sed conatus ejus timor repressit, eo quòd gravium causarum introitus semper sint difficiles, virtus quoq; Saxonum admodum esset formidabilis. Necesse enim fuit, repudiata sorore Pontificis, & divinis rebus pessundatis, statim ad bella veniri.

Sarracenis) *Hermann. Contractus* refert ad ann. 982.

Eodem.) Sunt hæc ex *Adami Brem. l. II. c. 14.* translata. Hermannus Billingius obiit Kal. April. 973. Quedlinburgi in Comitiis Ottonis I. Intestinis ibidem conditis, corpus à filio Luneburgum transfertur, & in cœnobio, quod ipse Hermannus ibidem in monte in honorem sancti Michaelis construxerat, tumulatur. *Georg. Fabric. h. a. Adamus Traziger Chron. Hamb. MS.* Habuit fratrem Luderum, vel Lothariũ, qui Stormariam, Holsatiam & Dithmarsiam tenuit. Vide *Reiner. Reinecc. Append. de Billingorum familia.*

Bennonem.) Hic Benno etiam Berno & Bernhardus à cæteris scriptoribus nuncupatur, ut à *Ditmaro Merseburg. l. II. p. 23.*

CAPUT XIV.

1. *Billungus à Wagone obtinet, ne Obotriti reditus deinceps Episcopo Aldenburgensi solvant.*
2. *Episcopo redituum loco villas quasdam in terra Obotritorum offert.*
3. *Episcopus consentit.*
4. *Episcopus habuit etiam villam in Bosow, & aliam in Gnissow.*
5. *Billungus, & Mislaus filius, villas Episcopo concessas occultè deprædantur.*
6. *Wago Billungum modesta oratione ab hoc instituto revocare studet.*
7. *Billungus hoc à suis factum negat, & culpam in alios confert.*
8. *Prædia Episcopi denuo diripit, & sororem ejus repudiat.*
9. *Hinc nutare res Ecclesiæ in Slavia.*
11. *Episcopi Aldenburgenses quatuor.*
12. *Slavia nostra omnis, exceptis III. pagis, Ottonum tempore ad fidem Christi conversa.*

Quadam ergo die contigit Pontificem venire in civitatem Obotritorum Mikilinburg, visitationis gratia, quo etiam Billug cum primoribus occurrerat, excepturus eum simulata devotione. Episcopum itaq; publicis causis intentum, sæpedictus Obotritorum regulus palàm alloquitur. Magnas pietati tuæ, pater venerabilis, debeo gratulationes, licet me ad has exolvendas nequaquam sufficere, ipse recognoscam. Privata enim beneficia, quæ mihi impendisti, quia multiplicia sunt, & prolixo sermone egent, ad præsens differo. Generale autem totius Provinciæ bonum commemorare compellor. Solicitudo enim tua super Ecclesiarum instauratione, & animarum salute, omnibus manifesta est: Sed nec latet, quantas principum offen- 1

ſas tua providentia fregiſti, ut cum pace & tranquillitate in gratia princi-
pum conſiſtere poſſimus. Honori ergo tuo, ſi poſtulati fuerimus, & nos, &
noſtra incunctanter impendemus. Petitionem autem parvulam apud te de-
ponere non dubito: ne confundas faciem meam. Eſt apud Obotritos Ponti-
ficale tributum, quod pro decima imputatur, de quolibet ſcilicet aratro,
quod duobus bobus, aut uno conſtat equo, menſura grani, & XL. reſtes lini,
& XII. nummi probatæ monetæ: præterea unus nummus, qui debetur colli-
genti. Hoc me rogo permittas colligere, deputandum ſtipendiis neptis tuæ,
2 filiæ ſcilicet meæ. Quod ne forte ad tui injuriam, & annonæ diminutionem
rogare videar, adjicio poſſeſſioni tuæ in ſingulis urbibus, quæ ſunt in terra
Obotritorum, villas quas ipſe elegeris, exceptis his, quæ ad jus Pontificale
3 imperatoria jam dudum conceſſione pervenerunt. Pontifex ergo, non ad-
vertens callidiſſimi hominis dolum, verborum coloribus adumbratum, re-
putans etiam, nihil ſibi officere concambium, ſine mora petitioni ejus annuit:
ipſe quidem villas ampliſſimæ poſſeſſionis accepit, tributum verò quòd ſu-
prà memoravi, affini ſuo ad manus filiæ ipſius colligendum reſignavit: ali-
quandiu etiam apud Obotritos commoratus, prædia colonis exercenda di-
ſtribuit, ordinatisq; omnibus in terram Wagirorum reverſus eſt. Ibi enim
ſtatio opportunior fuit, & extra pericula poſita, eo quòd Slavorum animi
4 naturaliter ſint infidi, & ad malum proni, eóq; cauendi. Habuitque præter
alias curtes duas nobiles, apud quas ſæpius Pontifex diverſatus eſt, unam in
villa publica, quæ dicitur Buzu, alteram ſuper fluvium Trabenam, in loco
qui dicitur Nezenna, ubi etiam fuit oratorium, & caminata murato opere fa-
cta, cujus fundamenta ego adoleſcentulus vidi, eo quòd non fuerint longè
à radice montis, quem antiqui Edberg, moderni propter caſtellum impoſi-
5 tum Sigeberg appellant. Poſt multos ergo dies cum Pontifex Wago, aliàs
occupatus, terram Obotritorum rarius viſeret, ſupradictus Billug, unà cum
filio ſuo Mizla, opportunitatem nactus, dolum, quem erga Dominum & Pa-
ſtorem ſuum conceperat, paulatim detexit, cœpitq; poſſeſſiones Epiſcopa-
les, quas ſibi ut fideli & affini ſuo tuendas Epiſcopus commendaverat, oc-
cultis vaſtare latrociniis, & ſubintromittere ſervos ſuos, qui colonis equos
& cæteras ſubſtantias furtim auferrent. Conatus enim illius ad id usq; pro-
ceſſit, ut Epiſcopum ſicut decimarum jure, ſic poſſeſſionibus exueret, per-
6 turbatoq; capite, cultus Dei facilius pateret exterminio. Tandem ergo Pon-
tifex veniens in provinciam Obotritorum, ibiq; habita cum colonis inquiſi-
tione, deprehendit ad liquidum, quorum machinamentis tanta poſſeſſioni
ſuæ immitterentur latrocinia. Permotus itaq;, quod non mirum, ſtupore ſi-
mul

mul & timore,eo quòd atrocissimos insidiatores invenisset eos,quos putabat amicissimos,jamq; præsentis novellæ plantationis defectionem timens,multum cœpit fluctuare animo. Recurrens autem ad id, quod pro tempore tutiùs videbatur consilium, tentare cœpit, si fortè verbis suasibilibus mederi posset morbo paulatim subrepenti, multisq; affinem blandiciis mulcere cœpit,ut à cœptis desisteret, néve possessiones Ecclesiasticas prædonib. depascendas exponeret, proventuram sibi, si non resipuerit,non solum offensam divinitatis, sed & majestatis imperatoriæ. Ille objectionibus dolos præstruens, respondet, nunquam se erga dominum & patrem suum, tantam admisisse imposturam, erga quem animum habuerit optimè semper affectum: si quid autem factum fuisset, latronum hoc insidiis contigisse, qui de Ranis sive Wilzis commeantes, fortè nec suis parcerent: se quidem ad hos cohibendos, consilio & auxilio libenter affuturum. Facilè ergo persuasum est simplici viro, concepta opinione desistere. Postquam autem accepta satisfactione Pontifex abscessit, illi statim rupta pollicitatione ad cœpta devoluti sunt flagitia, furtisq; villarum incendia copulaverunt. Præterea colonis omnibus, qui ad jus Episcopi pertinebant,nisi quantocyus prædia desererent, mortem interminati sunt. Sicq; possessiones illas in brevi desolatio consecuta est. Accessit his malis, quod idem Billug matrimonii sui jura corrupit, repudiata scilicet sorore Pontificis. Fuit hæc causa inimicitiarum præcipua occasio, cœperuntq; res Ecclesiasticæ paulatim titubare, nec fuit unde status novellæ ecclesiæ ad plenum posset convalescere, eo quòd magnus Otto jampridem præsenti vita decessisset, medius quoq;, nec non & tertius Otto bellis Italicis essent occupati: & ob hanc causam Slavi temporis opportunitate freti, non solùm divinis legibus, sed & imperatoriis jussis, cœpissent paulatim obniti. Solus Saxoniæ Dux Benno, aliquam dominationis umbram, licet tenuem, prætendere videbatur, cujus respectu Slavorum impetus retardati sunt, ne aut fidei Christianæ renunciarent, aut arma corriperent.

(margin: 7 … illi objectionibus; 8 … Postquam autem; 9 … Fuit hæc causa; 10 … Solus Saxoniæ)

Wagone ergo facto de medio, Ezico successit in Cathedram. Iste suscepit ordinem à sanctissimo Adeldago, Hammenburgensi Archiepiscopo. 11 Quatuor ergo Pontifices ante excidium Aldenburgensis Ecclesiæ extitisse comperimus, videlicet, Marconem, Edwardum, Wagonem, & Eziconem, quorum tempore Slavi in fide perstiterunt, Ecclesiæ in Slavia ubiq; erectæ sunt, monasteria virorum & mulierum Deo servientium constructa sunt plurima. Testis est Magister Adam, qui gesta Hammenburgensis Ecclesiæ 12 Pontificum, disertissimo sermone conscripsit, qui cùm commemoret, Slavi-

am in duo de viginti pagos dispertitam, affirmat præter tres omnes ad fidem Christi conversos.

concamb.) cambium & concambium, est rerum permutatio. Ego Sigebertus concambium feci, *Instrum. 23. apud Goldast. Tō. II.* Vide *eund. Tom. I. p. 211.* Hinc cambiare, pro cambire, i. e. permutare apud *Johan. Bromton, cap. XV. legum Regis Adelstani, p. 840.*

curtes) Curtes, seu cortes sunt villæ. Singulare est cors, pro chors, vel cohors, quod inter alia villam significat, in qua multitudo pecorum servatur. Hoc sensu usurpatum *Martiali:* Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis, *l. IX. epigr. 54.* Interdum significat palatium Regis. Sic *Helmoldus* meminit cortis regiæ, *l. I. c. 32.* & *Arnoldus l. III. cap. 16.* curtes regias vocat villas à Rege vel Imperatore Romano nomine feudi acceptas. Curtium etiam appellatione in vetustis Tabulis ac Historiis sæpe non homines tantùm in eadem villa vel prædio habitantes intelliguntur, sed etiam imperium & jurisdictio, cum proprietate mancipiorum, pecorum & fructuum. Utuntur crebrò hac voce mediæ ætatis scriptores. Per curtes suas stipendia pauperibus disposuerat, *Auctor Vitæ Henrici IV. in proœmio, p. 182.* De eo, qui in curte Ducis hominem occiderit, *Leges Alamann. c. 28.* Item de eo, qui in curte Regis furtum commiserit, *c. 30.* Eo fugiente in curtem, vel extra curtem, *Leges Bajoaricæ, anno 772.* scriptæ, apud *Marc. Velser. rer. Boicar. l. V. p. 314.* Curtes omnes absolvit, *Godefr. Monach. anno 1190. Chronicon Laurishamense* etiam in secunda declinatione nomen inflectit, & per villam explicat: In curtis & villis ipsius monasterii, *p. 60.* Adde *Goldast. Tom. I. p. 191.* & *Joachimi Vadiani epistol.* apud *eund. Tom. II. part. 1.* Græci etiam hinc fecerunt suum *κόρτη*, & *κορτινάριοι*. Apud *Curopalatem* sextus ordo custodiæ Imperatoriæ sunt *κορτινάριοι*, & tabernaculum Imperatoris, in quo illi ministrãt, *κόρτη* dicitur, *pag. 71.* & *206.* Vide etiam *Nicol. Rigalt. in* Κόρτη.

Buzu.) Hæc est ista villa, ubi primùm Vicelinus Episcopus sub fago habitavit, & paulò pòst templum, Apostolo Petro sacrum, construxit, & in qua Helmoldus, Auctor noster tempore Geroldi, qui vicelino successit, Presbyter fuit, atq; à qua Helmoldum Bützoviensem (per errorẽ) vocant. Nomen in MS. Helmoldi *Buzu*, *Buzue*, *Bozoe* & *Bozove* scribitur. Semel etiam, *lib. I. c. 72. n. 2.* accusandi casus *Buzovam* reperitur. Sed quæritur, ubi villa ista sita fuerit? Nõ est Bützovv, oppidum in Mechlenburgẽsi terra; quod fatetur ipse *Rein. Reineccius* Proœmio ad Helmoldum. Nec est Bůssovv versus meridiem à nostra urbe ab amnem Stekenissam. Parœcia enim Helmoldi in Wagria sita fuit, ut satis apertè ipse supra c. 2. n. 10. significat. Ubi ergo & quodnã est nostrum Buzu, vel Bozoe? Villa est in Holsatia, ad Plönensem lacum sita, (in qua Buthue, Princeps Obotritorum olim occisus) dicta Bosovv, vel Bosavv. Nam primò nomen prorsus convenit. Istius enim ætatis scriptores elementum s in nominibus propriis fere semper per z expresserunt, ut in voce Wezere, pro Weser/ i. e. Visurgis: Wakenize, pro Wakenisse/, & infinitis aliis. Accedit, quod

quod in MSS. sæpe legitur Bozoe. Hic si z legam per sibilum s, & literam e in fine negligam, quam illi scriptores ociosè addere solebant, ut vel ex superiore voce Wezere, pro Weser satis liquet, relinquitur Boso, quod quærimus. Quid? quod *antiquo* de Vicelino *pœmatio*, quod *Erpoldus Lindenbrög.* inter scriptores rerum Germanicaram p.134. edidit, disertè locus iste Bosou vocatur:

Aldenburg, Sarou, Plunen, Burnhavede, Bosou.

Et paulò pòst Helmoldus ab illo loco Presbyter Bosovvensis dicitur:

Aldenburgensis Braun, Holmold erat Bosovvensis.

Eadem scriptio confirmatur antiquo meo *MS. Chron. Lub.* in quo Bozou legitur. Clarè satis *Chronicon Slavicum incerti Auctoris*. Obtinuit Buzu, i.e. Buzovv, *c.12.* Item, Dedit Dux villam Buzu, id est, Busovv, *c.23.* Et, Perlatus est Buzu, sive Buzovv, *cap.30.* Rectè ergo *Johannes* Peterßen *in Chron. Holsatiæ p. 150.* & *Christianus Solinus in Chron. Holsat. p.120.* locum, in quo Vicelinus primùm sub fago habitârit, & deinde templum exædificârit, Bosovv appellitant. Idem locus adhuc templo illo à Vicelino exstructo conspicuus est, & in hunc usq; diem usibus Episcopi Lubecensis inservit. Ex quibus intelligitur, Helmoldum non Bützoviensem, sed Bosoviensem Presbyterum vocandum esse.

Ut autem paulo antiquiora de hac villa repetamus, dedicata illa jam olim usibus Episcoporum Aldenburgensium fuit. Nam qui primi commemorantur Episcopi, propter loci commoditatem nonnunquam ibi commorati sunt; quod hîc de VVagone, Episcopo III. Auctor noster confirmat. Insula enim parva in lacu, quæ nostra adhuc ætate Episcopi insula (Bischoffswerder) appellatur, magnam amoenitatem loco addidit.

Bosovv & Nezenna primaria duo tunc temporis prædia Episcopi fuere. Est autẽ Nezenna villa ad Travam sita, non procul à Pronstorp; quæ hodie Gnißow dicitur.

Cùm pòstea anno 1013. Slavi Mistivojo duce à fide recessissent, & prædia Episcoporum occupâssent, tãdem illa Bennoni, Episcopo VII. jussu Bernhardi Ducis, reddere coguntur. *infra c.18.n.4.*

Benno videns se nihil inter Slavos proficere, ad Hildensemensem Episcopum commigrat. Post hujus discessum Slavi illa prædia iterum sibi vindicarunt. *infra c.18.n.7.*

Cùm anno 1149. Vicelinus Episcopatum adiret, villam Bosovv Henricus Leo ipsi reddebat. *infra c.70.n.2.* Tunc Vicelinus insulam Bosovv inhabitavit, domũ & templum ibidem construxit. *infra c.71.n.4.5.*

Anno 1154. Vicelino jam lethaliter decumbente, Adolphus Comes, Ludolphi, Præpositi Högelsdorffensis precibus & cohortationibus impulsus, Episcopo CCC. prædia, quæ mansos vocabant, se redditurum promittit. *infra c.77.n.3.*

Geroldus tamen, Vicelini successor, non statim integram istorum prædiorũ possessionem nactus est. Quare è villa Bosovv subsidia vitæ petiit, donec à Duce Henrico & Adolpho Comite plura prædia, & inprimis Euthinum adderentur. *infra c.83.n.11.*

Circa hæc tempora Helmoldus, Scriptor noster, Presbyter Bosoviensis fuit, & ad lacum Plönensem habitavit. *Casp. Danckwerth part. III. c.2.*

Trabenam) Trava nostra est. Quorundam ea opinio est, per Chalusum apud *Ptolemæum Alexandrinum l. II.* Travam intelligi. Contrà disputantem vide eundem, *part. III. c.5.*

cami-

caminata) est conclave arcuatum. à Græco χάμινος. Otto Imperator ad caminatam remeabat, *Ditmar. Merseburg. l.II.p.22.* Clauditur cominata, *Ekkehard junior Casibus monast.c.1.* Cruces in caminatam projiciebant, *Burchard. Notar. Barbarossæ, epist. de victoria Friderici, p. 238.*

CAPUT XV.

1. Bolislaus, Polonor. Rex, Slavos ultra Oderam, Russos & Prussos tributarios facit.
2. Winithorum Principes tunc fuere pacifici.
3. Mislaus sororem è cœnobio extractam Bolislao, Pomerano, incestis nuptiis elocat.
4. Ex hoc tempore religio in Dania & Slavia labefactata.
5. Suein-Otto patrem Haraldum pellit, & paganismum reducit. - - - - - - - 980.
6. Haraldi laus.
7. Haraldus à filio prælio superatur.
8. In urbe Wineta moritur.
9. Dani omnia inter Visurgim & Albim, ab Hadelensi terra Stadam usq;, fœdis direptionibus vastant.
10. Saxones in portu Stadensi cum ipsis congressi vincuntur.
11. Captivi barbarica sævitia truncantur.
12. Cæteri Dani, qui per Visurgim adscenderant, in reditu in insidias perducuntur, & XX. millia illorum cæduntur.

1 EOdem quoq; tempore Bolizlaus, Polonorum Christianissimus Rex, confœderatus cum Ottone tertio, omnem Slaviam, quæ est ultra Odoram, tributis subiecit, sed & Russiam, & Prussos, à quibus passus est Adel-
2 bertus Episcopus, cujus reliquias tunc Bolizlaus transtulit in Poloniam. Principes Slavorum, qui Winuli sive Winithi dicuntur, fuerunt eo tempore, Misizla, Naccon, & Sederich, sub quibus pax continua fuit, & Slavi sub tribu-
3 to servierunt. Nec prætereundum videtur, quòd idem Misizlaus, Obotritorum Princeps, Christum palàm confitens, sed clam persequens, sororem suam, Deo dicatam virginem Hodicam, monasterio virginum, quod erat Mikilinburg, subtraxit, eamq; cuidam Bolislao, incestissimo sociavit conjugio: Cæteras virgines quæ ibidem repertæ sunt, aut militib. suis nuptum tradidit, aut ad terram Wilzorum sive Ranorum transmisit, sicq; monaste-
4 rium illud desolatio consecuta est. Siquidem in diebus illis, permittente Deo, propter peccata hominum, perturbata est apud Danos & Slavos tranquillitas, & pulchris divinæ religionis incrementis, inimicus homo superse-
5 minare zizania conatus est. Apud Danos enim Sueinotto, Filius Christianissimi regis Haroldi, diabolico spiritu inflammatus, multas adversus patrem

trem molitus est insidias, cupiens eum quasi longæuum, & minus validum, regno privare, & opus divinæ plantationis de finibus Danorum penitus exterminare. Haroldus autem, ut supra dictum est, primum quidem gentilis, 6
deinde magni patris Unni doctrina ad fidem Christi conversus, tanta se erga Dominum devotione exercuit, ut non surrexerit similis ei inter omnes reges Danorum, qui tantam Aquilonis latitudinem, ad fidem divinæ cognitionis traxerit, & omnem terram Ecclesiis & Sacerdotibus fecerit esse insignem. Hujus viri industria, in divinis quidem rebus fuit eximia, nihilominus tamen etiam in mundana sapientia, in his videlicet quæ ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges & jura statuerit, quæ pro authoritate viri, non solùm Dani, sed & Saxones adhuc hodie servare contendunt. Concitantibus ergo his, qui Deo servire & pace regi detractabant, Dani unanimi conspiratione Christianitatem abdicant, & statuentes impium Suein in regnum, patri ejus Haroldo bellum indicunt. Qui licet ab 7
initio regni sui semper spem suam in Deo posuerit, vel tunc maximè Domino commendavit eventum rei, non tam dolens sua pericula, quàm filii delictum, & Ecclesiæ angustias. Cernens enim tumultum non posse sedari sine prælio, arma sumpsit invitus, adhortantibus his qui Domino & regi suo fidem inviolatam exhibere nitebantur. Ventum est ergo ad bellum, in quo conflictu victa est pars Haroldi, ceciderúntque vulnerati multi. Ipse verò 8
Haroldus graviter sauciatus fugit ex acie, ascensaq; navi elapsus est ad civitatem opinatissimam Slavorum, nomine Winnetam. Ubi præter spem, quia barbari erant, humanè receptus, post aliquot dies ex eodem vulnere deficiens, in Christi confessione migravit, adscribendus non solùm inter Deo dignos reges, sed etiam inter gloriosos martyres. Regnavit autem annis quinquaginta. Quo defuncto, Suein regno potitus, in sua crudelitate sævire cœpit, gravissimam in Christianos persecutionem exercens. Consurrexerùntque omnes iniqui in finibus Aquilonis, gaudentes vel tunc patere locum 9
maliciæ suæ, bellis scilicet & perturbationibus, cæperuntque finitima regna vexare terra mariq;. Primum ergo conflato navali exercitu, remigantes mare Britannicum brevi compendio, appulerunt littoribus Albiæ fluminis, ubi improvisi irruentes super quietos & improvidos, vastarunt omnia maritima Hathelen, omnemq; terram Saxonum, quæ erat super ripas Albiæ fluminis, quousque pervenirent Stadium, quod est opportuna statio navium per Albiam descendentium. Quo tristi rumore velociter comperto, Comites Sigefridus, & Thidericus, cæteriq; nobiles, ad quos provinciæ tutela pertinebat, 10
ruerunt obviam barbaris, cùm tamen essent perpauci, constricti temporis

articulo,

articulo, exceperùntque hostes in memorato portu Stadii. Facta est ergo pugna vehementissima, in qua superantibus Danis, virtus Saxonum penitus est attrita. Comites ambo, cæteriq; nobiles & militares viri, qui interfectioni superfuerant, vincti & catenati ad naves perducti sunt.
11. Comes Sigefridus, auxilio cujusdam piscatoris, noctu profugit, & evasit captionem. Quam obrem barbari furore correpti, omnes quos habebant in vinculis nobiliores, truncaverunt manibus, & pedibus, & nare præcisa ad terram semianimes projecerunt. Deinde quod residuum fuit provinciæ illius, impune prædati sunt.
12. Altera pars piratarum, quæ per Wirraham subvecta, omnem illius fluminis ripam usq; Lestmonam vastaverat, cum maxima captivorum multitudine peruenerunt ad paludem Glindesmor. Ubi cùm quendem Saxonem militem captiuum facerent ducem itineris, ille perduxit eos ad loca difficiliora paludis, in qua illi diu fatigati facilè à Saxonibus qui insecuti sunt, disiecti sunt, & perierunt ex eis XX. millia. Nomen militis, qui deduxit eos ad invium, fuit Herwardus, qui perenni Saxonum laude celebratur.

Bolizlaus) Bolislaus hic patri Mieczlao successit anno CH. 999. & primus ex Polonorum Regibus ab Imperatore Romano Ottone III. coronatus est. *Alex. Guagninus ad h. ann.*

Adelbertus) Vide supra *c. I. n. 5.*

Principes.) Principum horum ætatem *Georg. Fabricius* refert ad ann. 1020.

opinatis.) opinatissimus, est celeberrimus, istius ætatis scriptoribus. Ita opinio, pro fama sumitur apud *Sidon. Apoll. l. I. ep. 5.* cum appellat montes nominum opinione vulgatos. Et in illo *Publii Syri:*

Bona opinio hominum tutior pecunia est. Vide etiam *Joann. Meurs. in Not. ad Ælnothum, in Procem.*

Winnetam) Aut lectionem corruptam, aut Auctorem hallucinatum esse videri possit, si vera sunt, quæ *Krantzius Wandal. l. II. c. 20.* de Wineta jam olim circa Caroli M. tempora solo æquata memoriæ prodidit.

Certè Danici Scriptores Haraldum non Winetæ, sed Julini mortuum esse scribunt. ut *Joh. Isac. Pontan. l. V. in Haraldo, p. 136. Alberto Stadensi* Jumnea urbs dicitur *ad ann. 984. MS. Helmoldi codex*, quo *Henricus Ernstius* usus, legit: *ad civitatem opulentissimam Slavorum, nomine Jumnetam. In Anonymum de Haraldo VI. p. 38.*

Epicedium ejus, quod Roschildiæ in sacrario, ubi sepultus est, exstat, annum excessus ejus clarè exprimit:

Post natale Dei, dum scripsimus octoginta
Nongentos, meruit scandere regna Poli,

vulne-

vulnere) sagittâ Tokonis alicujus accepto. *Joh. Isac. Pontan. l. V. in Haraldo. Suaning. Chronol. Dan. ann. 980.*

Primum) Vide eundem *Pontan. l.V. in Suenothone, ann.988.*

Wirraham) Nobilis Germaniæ nostræ fluvius, die Weser / qui Visurgis, *Floro l.IV. c.12. Vellejo Vol. poster. Tacito Annal.l.I.c.70.Plin.IV.c.14.* Βισȣϱγις *Straboni l.VII.* Οὐισȣϱγις *Ptolomæo l.II.c.11.* Οὐισȣτϱος *Dioni* (mendosè) *l.LIII. anno V.C. 743.* dicitur, is Helmoldo nostro & aliis nonnunquam Wirraha appellatur. Unde *Adamus Bremensis:* Wisura, qui & Wirraha nuncupatur, *l.I.c.2.* Aqud quem eadem vocis scriptio occurrit *l.I.c.10 .l.II.c.23.* & *56. l.IV. c.105.* Etiam *Albertus Stadens.* Wirrahã vocat ann.788.& 988. *Annales Franc. Fuldens.* Wisuracham, anno 852. *Poeta ἀνώνυμος* in vita Caroli M. Wisuram, anno 779. & alibi: *Henricus Rosla* in Herlingsberga VVeseram, v. 199. Nam ut *au* veteribus Germanis terram significabat, (quod probant illa: Morau, Batau, Nassau, Landau, Lichtenau, Hirsau, VVedderau, Richenau & alia multa) sic *aa*, vel *aha* aquam vel amnem denotabat, ut observant *Andreas Althamerus in Tacit.de moribus Germ. p.233. Marcus Velserus Rer. Augustan. Vindelic. l.I.p.10.* & *Hugo Grotius Prolegom.in Histor.Gothorum.* Ad hanc formam in *Annal.Reg. Francor.* occurrit fluvius Missaha, ad ann. 747. qui *Reginoni l.II.* anno eodẽ Mussaha dicitur. Et in *veteri Tabula rer. Alemann.* fluviolus Steinaha, apud *Goldast.Tom.3.p.577.* Idem amnis in *Chronico Constantiensi* Steinaha appellatur, *c.1.p.624.* Ibidem describitur fluvius Bleichacha, *p.623.* In *Diplomate Ottonis Magni* anno 937. scripto est flumen Horaha, *p.118.* In *Antiquitatibus Fuldens.* est VVeitaha, *l.II.p.517.* Amnis in Jutia est Gudden Aa, i. e. Gothorum flumen *Hugo Grotius Prolegom. p. 2.10. & 21.* vel Gudaa, ut scribitur apud *Casp. Danckwerth part.II.c.10.* Apud eundem est Nipsaa, *part.I.cap.3.* Apud *Joh. Is.Pontanum* est Luminæ amnis, Lumme Aa, in Scania, *l.VI.ann.1182.*

Quin illud VVirraha etiam in VVirra contraxerunt, ut infra noster *l.II. c.1. n. 4. Historia Archiep. Brem. ad ann. 1064.p.104. Chron.Slav.c.31.p.218.* & *annales rythmici*, quos adducit *Meibomius in Notis ad Stederburgensem, p.35.* Ut enim in illis locis Albia, pro Albi: sic VVirra pro Visurgi ponitur. Transcripta autem narratio est ex *Adamo Brem. l.II.cap.23.* Sequitur eundem *Albertus Stad. ad ann.988.*

Lestmonam) Incolæ vocant die Lesme. Fluvius est, qui naves fert onerarias, ex Vördensi agro profluens, paulo infra Bremam in Visurgim se immittit. Vox varie scripta ab *Adamo, in Privilegiis, & Historia Archiepiscop. Bremens.* Legitur namq; Lismona, Lismonia, Lesmona, Liastmona, Liestmuone, Liesmunde, Liestimunde, Liesmundi.

Glindesmor) Locus est in Stormaria, ubi jam villa hujus nominis conspicitur. Sita villa est ad fontes rivi Krumnavv, qui postea in fluvium Krempe se ejicit: cum hoc in Störam infunditur, cum eadem procurrens in Albim infra Glückstadium se exonerat.

Saxonem) Alexander Persidem intraturus Lycium quendam ductorem viæ conducit. Cùm esset in itinere, præter multa alia discrimina, Nox quoq; & ignota regio, ac dux incertum an satis fidus, multiplicabant metum. *Curt. l.V. c.4.n.19.* Ungari anno 938. in Saxoniam irruentes, Slavi cujusdam ductu insidioso in loca angusta perveniunt, & civium virtute delentur. *Witichind. Corbeiens. l.II. p.18. Georg. Fabric. Orig. Sax. l.II. p.132. & Sax. rerum memorab. l.I. anno. 938.*

CAPUT XVI.

1. *Ottoni III. V. Kal. Febr. vitâ excedenti Henricus Sanctus succedit. - - - - - - 1001.*
2. *Benno Dux successorem habet Bernhardum filium. - - 1010.*
3. *Bernhardus Saxoniam bellorum implet.*
4. *Per avaritiam & crudelitatem ipse & Theodoricus Marchio, Slavis occasionem & ab ipsis & à religione deficiendi præbent.*
5. *Mistiuojus Bernhardi neptem sibi uxorem petit.*
6. *Ad demerendum Bernhardum sequitur ipsum in Italiam.*
7. *Canis à Theodorico appellatus Slavos in Saxones animat.*
8. *Slavi Nordalbingos ferro & igni depopulati sunt. - - - 1013.*
9. *Hamburgi inprimis & Aldenburgi in Christianos, præsertim in sacri ordinis homines, sævitum est.*
10. *Omnes Slavi inter Albim & Oderam à fide Christiana recesserunt.*
11. *Theodoricus mala morte periit.*
12. *Mistivojus tandem resipuit. & Bardevici mortuus est.*

1 CIrca idem tempus impletus est annus incarnationis verbi millesimus primus, in quo fortissimus Imperator Otto Tertius, cùm jam tertio victor Romam intrasset, immatura morte præventus occubuit. Cui successit in regno pius Henricus, justitia & sanctitate insignis, ille inquam, qui Bavenbergensem fundavit episcopatum, & erga cultum Ecclesiarum
2 amplissimæ fuit munificentiæ. At verò anno regni ejus decimo, mortuus est Dux Saxoniæ Benno, vir omni probitate conspicuus, & strenuus Ecclesiarum defensor. Cujus principatus hæres factus est Bernhardus filius
3 ejus, licet à paterna fœlicitate divertit. Ex illo enim tempore, quo Dux con-

constitutus est, in hac regione nunquam cessavit discordia, & perturbatio, quoniam Dux Henrico Imperatori rebellare ausus, totam secum ad rebellandum Cæsari movit Saxoniam. Deinde surgens in Christum, omnes Ecclesias Saxoniæ terruit atq; turbavit, illas præcipuè, quæ in memorata rebellione, ipsius maliciæ noluerunt applicari. Accessit his malis, quòd 4
idem Dux, tam paternæ quàm auitæ devotionis, quam erga Slavos habebant, penitus immemor, gentem Winulorum per avaritiam crudeliter opprimens, ad necessitatem paganismi coegit. Sanè eo tempore Slavorum dominio potiti sunt Theodoricus Marchio, & Dux Bernardus, illo quidem orientalem, isto occidentalem possidente provinciam, quorum ignavia Slavos coegit fieri desertores. Rudes enim adhuc in fide gentilium populos, quos optimi quondam Principes cum magna lenitate foverant, temperantes rigorem his quorum propensius insistebant saluti, isti tanta crudelitate insectati sunt, ut excusso tandem servitutis jugo, libertatem suam armis defendere cogerentur. Principes Winulorum erant Mistiwoi, & Mizzudrag, quo- 5.
rum ductu seditio inflammata est. Sermo ergo est, & veterum narratione vulgatum, quòd idem Mistiwoi, petiit sibi neptem Ducis Bernardi, & ille promisit. Tunc idem princeps Winulorum, volens sponsione dignus 6
fieri, perrexit cum Duce in Italiam cum equitibus mille, qui omnes ferè ibidem sunt interfecti. Cúmq; rediens de expeditione, pollicitam sibi mulierem expeteret, Theodoricus Marchio intercepit consilium, consanguineam ducis non dandam proclamans cani. Quo ille audito, cum magna indignatione recessit. Cùm ergo Dux, mutato consilio, nuncios post eum di- 7
rexisset, ut concupitis potiretur nuptiis, ille refertur tale dedisse responsum: Oportet quidem generosam magni Principis neptem præstantissimo viro copulari, non vero cani dari. Magna nobis gratia pro servitio refertur, ut jam canes, non homines judicemur. Si ergo canis valens fuerit, magnos morsus dabit. Et hoc dicens, reversus est in Slaviam, & primo omnium transivit in civitatem Rethre, quæ est in terra Lutitiorum, convocatisq; omnibus Slavis, qui ad orientem habitant, intimavit eis illatam sibi contumeliam, & quia Saxonum voce Slavi canes vocentur. At illi: merito hæc, inquiunt, pateris, qui spernens contribules tuos, excoluisti Saxones, gentem perfidam & auaram. Iura ergo nobis quòd deseras eos, & stabimus tecum. Iuravìtq; eis.

Postquam autem Dux Bernardus emergentibus causis, arma adversus 8
Cæsarem corripuit, Slavi opportunitate accepta, congregato exercitu, totam primò Nordalbingiam ferro & igne depopulati sunt; deinde reli-

quam peragrantes Slaviam omnes Ecclesias incenderunt, & ad solum usq; diruerunt: sacerdotes autem, & reliquos Ecclesiarum ministros, variis suppliciis enecantes, nullum Christianitatis vestigium trans Albiam reliquerunt.

9 Apud Hammenburg eo tempore, ac deinceps, multi ex clero & civibus in captivitatem abducti sunt, plures etiam interfecti propter odium Christianitatis. Narrant seniores Slavorum, qui omnes Barbarorum gestas res in memoria tenent, Aldenburg civitatem, populatissimam de Christianis inventam fuisse. Sexaginta ergo presbyteri, cæteris more pecudum obtruncatis, ibi ad ludibrium servati sunt. Quorum major loci præpositus Oddar nomen habuit. Ille ergo, cum cæteris, tali martyrio consummatus est, ut cute capitis in modum crucis incisa ferro, cerebrum singulis aperiretur. Deinde ligatis post terga manibus, confessores Dei per singulas civitates Slavorum tracti sunt, usq; dum deficerent. Taliter illi spectaculum facti & Angelis & hominibus, in stadio medii cursus exhalarunt victorem spiritum. Multa in hunc modum per diversas Slavorum ac Nordalbingorum provincias tunc facta memorantur, quæ scriptorum penuria nunc habentur pro fabulis. Tanti deinq; in Slavia habentur martyres, ut vix possint libro comprehendi.

10 Omnes ergo Slavi, qui inter Albiam & Odoram habitant, per annos septuaginta, & amplius, Christianitatē coluerunt, omni scilicet tempore Ottonum, taliq; modo se absciderunt à corpore Christi, & Ecclesiæ, cui antè conjuncti fuerant. O verè occulta super homines Dei judicia, qui miseretur cui vult, & quem vult, indurat. Cujus omnipotentiam mirantes, videmus eos ad Paganismum relapsos esse, qui primi crediderunt, illos autem conversos ad Christum, qui videbantur novissimi. Ille ergo judex justus, fortis & patiens, qui olim deletis coram Israel septem gentibus Canaan, solos reservavit allophylos, in quibus experiretur Israel, ille, inquam, modicā gentiliū portionem nunc indurare voluit, per quos nostra confunderetur perfidia. Hæc dacta sunt vltimo tempore senioris Libentii Archiepiscopi; sub duce Bernar-
11 do, filio Bennonis, qui populum Slavorum graviter afflixit. Theodoricus Marchio Slavorum, cui cum commemorato eadem fuit avaritia, similis crudelitas, depulsus ab honore, & omni hæreditate, præbendarius apud Mag-
12 feburg, mala morte, ut dignus fuit, vitam finivit. Mistiwoi princeps Slavorum, circa ultima tempora pœnitentia ductus, & ad Dominum reversus, cùm nollet Christianitatem deserere, depulsus est à patria, fugiénsq; ad Bardos, ibidem consenuit fidelis.

Post-

Postq;ram) Cladem hanc Christianis à Mistiuojo illatam refero ad annum 1013. cùm *Adamus Brem. l.II. cap.32.* & *Albertus Stad. ad ann. 1001.* cum Auctore nostro scribant, eam ultimo tempore Libentii, Archiepiscopi Brem. accidisse, Hic autem anno 1013. vita excessit.

millesimus) Ottonem III. anno cIↃI. decessisse, itidẽ cũ Auctore nostro *Adamus Brem. l.II.c.30. Albert. Stad.* & *Hermannus Contractus* asserunt. At *Lambertus Schaffnab. Marianus Scotus: Sigebertus Gemblacensis: Sigfridus Presbyter Misnens. Paul Langius in Chronico Citizensi,* & *Georg. Fabric.* annum cIↃII. inculcant.

Benno) Annum Christi millesimum, Libentii duodecimum fuisse scribit *Adam. Brem. l.II.c.30.* Idem *l.II. c.32.* addit, Bennonem anno XXII. Libentii mortalitatis munus explevisse. Benno igitur anno salutis millesimo decimo in fata concesserit oportet. Ita colligit & *Baronius ad ann. 1012. n.9.*

CAPUT XVII.

1. *Eziconi Volkwardus, Episcopus V. Huic a. Reginbertus VI. succedit.*
2. *Hamburgi Adeldagum sequitur Libentius - - - - 989*
3. *Libentio defuncto surrogatur Unwanus - - - - - - 1013*
4. *Unwani operâ & studio Dux Bernhardus Cæsari Henrico reconciliatur.*
5. *Dux Slavis iterum tributa imponit, pace Nordalbingis redditâ.*
6. *Archiepiscopus Hamburgensem instaurat ecclesiam, XII. lectis Canonicis.*
7. *Benno, Episcopus VII. Aldenburgensis.*

DEfuncto ergo Ezicone in Aldenburg, successit Volckwardus, 1
post quem Reginbertus. Quorum prior, Volckwardus, perse-
cutionis tempore Slavia pulsus, abiit in Norwegiam, ibiq; mul-
tos Domino lucratus, cũ gaudio rediit Bremam. In Hamburgen- 2
si quoq; metropoli, Adeldago, qui primus in Aldenburg ordinavit episco-
pos, successit Libentius, vir sanctitate insignis. Hujus temporibus Slavi de-
fecerunt à fide. Post hunc fuit Unnuanus, clarissimo genere oriundus, præ- 3
terea dives & largus, omnibus hominibus acceptus, clero autem apprimè
benevolus. Eo ergo tempore, quo dux Bernardus suíque complices, Cæsari 4
Henrico rebellavit, omnibúsque Saxoniæ Ecclesiis esset gravis, & infestus,
illis maximè, qui erga majestatem Imperatoriam fidelitatis suæ jura teme-
rare noluissent, ejus impetum viri dicitur Archiepiscopus Unnuanus sua
magnanimitate refregisse, ut propter sapientiam & liberalitatem Episcopi
cogeretur ipse Dux, ecclesiæ, cui antea adversatus est, deinceps benignus
esse in omnibus. Igitur habito Pontificis consilio, rebellis Princeps tandem

 flexus,

flexus, apud Schalchisburg Cæsari Henrico supplex dedit manus. Mox quoque favente Unnuano, Slavos tributo subjiciens, pacem reddidit Nordal-
6 bingis, & matri Hammenburg. Ad cujus restaurationem venerabilis metropolitanus asseritur post cladem Slavicam, civitatem & Ecclesiam fecisse novam, simul ex singulis congregationibus suis, quæ virorum essent, tres eligens Fratres, ita ut duodecim fuerint, qui in Hammenburg Canonica degerent conversatione, vel qui populum converterent ab errore idololatriæ.
7 Ordinavitque in Slaviam, mortuo Reginberto, Bennonem virum prudentem, qui de fratribus Hammenburgensis Ecclesiæ electus, in populo Slavorum multum prædicando fructum attulit.

CAPUT XVIII.

1. Bennoni Episcopo Slavi ecclesiasticas possessiones denegant.
2. Slavorum Principes eo nomine Duci Bernhardo se excusant.
3. Obotriti per singulas domos Episcopo duos nummos solvunt.
4. Episcopus Bosow & Gnissow villas recipit.
5. Slavi simulatè Imperatori promittunt, se omnia, quæ essent Episcopi, daturos.
6. Bernhardus Dux Slavos iniquis exactionibus à religione alienos reddit.
7. Benno ergo ad Bernwardum, Episcopum Hildesheim. commigrat.
8. Hîc in dedicando templo à turba compressus, mortuus est.
9. Meinerus, Episcopus IIX. Aldenburgensis: Abelinus IX.

1 BEnno magnæ devotionis vir, cupiens diruta Aldenburgensis sedis reædificare, perquirere cœpit de possessionibus & reditibus, quos ad jus episcopale magni Ottonis deputaverat institutio. Sed quia post excidium Aldenburgensis ecclesiæ, primitiva instituta, & magnorum principum donationes venerant in abolitionem, & Slavorum possessioni cesserant, memoratus Pontifex in præsentia Ducis Bernardi questus est, quòd Wagiri & Obotriti, cæteriq; Slavorum populi, debita sibi negarent stipendia.
2 Unde principes Winulorum ad colloquium evocati sunt, & interrogatione habita, quare Pontifici legitimam subtraherent annonam, illi prætendere cœperunt varias exactionum gravedines, expedire sibi egredi terram
3 potius, quàm implicari majoribus vectigalium pensionibus. Considerans ergo Dux, non posse instaurari Ecclesiastica jura secundum eam formam,

mam, qua fuerant tempore magni Ottonis, petitione adhibita, vix obtinuit, ut de qualibet domo, paupere vel divite, per omnem Obotritorum terram, duo nummi Pontificalibus solverentur impensis. Præterea curtes
illæ notissimæ, Buzu & Necenna, & cæteræ possessiones in terra Wagirotum, Episcopo restitutæ sunt rursus incolendæ. Illa verò prædia quæ fuerunt in remotiori Slavia, quæ olim ad Aldenburgense Episcopium pertinuisse antiquitas commemorat, ut est Derithsewe, Motize, Cuzin, cum attinentiis suis, Episcopus Benno nullatenus per Ducem obtinere potuit, licet ad hæc requirenda sæpius enisus fuerit. Postquam autem placuit piissimo 5
Cæsari Henrico, curiam celebrare in castro Werbene, quod est juxta Albiam, ad experiendos animos Slavorum, venerunt omnes Principes Winulorum in præsentiam Cæsaris, seq; imperio ad bonum pacis & subjectionis obtemperaturos protestati sunt. Ibi ergo cùm Aldenburgensis Pontifex in facie Cæsaris veterem pro Ecclesiæ suæ bonis innovaret querimoniam, interrogati Principes Slavorum de possessionibus ad jus Episcopi pertinentibus, recognoverunt memoratas urbes cum suburbiis eorum, Ecclesiæ & Pontifici debere pertinere. Prætérea omnes Obotriti, Kycini, Polabi, Wagiri, & cæteri Slavorum populi, qui terminis Aldenburgensis Ecclesiæ concludebantur, polliciti sunt dare omnem censum, quem pro decima magnus Otto ecclesiasticis stipendiis deputaverat. Quorum tamen pollicitatio plena simulatione & fallacia fuit. Statim enim ut Cæsar soluta curia ad alia se convertit, nihil de promissis curaverunt. Dux quoque Saxonum Bernardus, 6
in armis quidem strenuus, sed totus avaricia infectus, Slavos quos è vicino positos bellis sive pactionibus subegerat, tantis vectigalium pensionibus aggravavit, ut nec memores Dei, nec Sacerdotibus ad quidquam essent benevoli. Quamobrem Christi confessor Benno, videns legationis suæ 7
ministerium, à Principibus seculi non solùm non adjuvari, imò funditus præpediri, casso labore fatigatus, cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, pervenit ad sanctissimum virum Berenwardum, Hildensemensem præsulem, ostendens ei angustias suas, & quærens in tribulatione consolationem. Ille ut erat vir mitissimus, collegit hospitem, & præbuit lasso humanitatis officia, & de facultatibus ecclesiæ suæ suppeditavit ei vitæ stipendia, quatenus ad legationis suæ opus exiens, atq; revertens, inveniret stationem tutam, in qua pausare posset. Eo tempore memoratus Pontifex Be- 8
renwardus, in possessione quæ sibi hæreditario jure provenerat, magnam fundavit Ecclesiam, amplissimis, ut videri potest, impensis, in honore S. Michaelis archangeli, in qua etiam copiosam monachorum turmam ad servi-
endum

endum Deo aggregavit. Consummata ergo ad votum basilica, ad denunci-
atum dedicationi festum, convenit immensa multitudo, ubi cùm sinistrum
ecclesiæ latus noster Episcopus Benno dedicaret, à populo compressus & at-
tritus, post paucos dies, morbo ingrauescente, vita defunctus est, & in aqui-
lonari ejusdem ecclesiæ absida honestam obtinuit sepulturam. Huic succes-
9 sit Reinherus, qui suscepit benedictionem à Libentio secundo. Post hunc fuit
Abelinus, ordinatus ab Alebrando Archiepiscopo.

---

absida) Ex Græco ἁψὶς (quod & ἀψὶς) fit absis, vel apsis. Ἀψὶς est primò curvatura rotæ, apud *Jul. Pollucem l. I. c.10. §. 10.* deinde est peripheria circulorum; quo sensu stellarum absides *Plinio* dicuntur *l.II.c.15. & 16.* deniq;, cùm in fornice hujus figuræ dimidium appareat, ἀψῖδες Suidæ dicuntur καμάραι, i.e. testudines, fornices, arcuata opera: & *Dioni in Trajano* κρηπῖδες ἀψῖσι συνῳκοδόμηνται, columnæ fornicibus sunt conjunctæ, *Epitomes p.342. Eidem in Nerone* ἡ ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψὶς dicitur, *pag.272. In Vespasiano* ἀψῖδες τροπαιοφόροι, *p.318.* Et *in Trajano, p.349.* Hinc absis dictus arcus rotundus seu testudineus, præsertim in latere templi, quem capellam dicunt. Dictum autem & absida; quod factum ex accusandi casu, pro absis. Qua formâ cassida, pro cassis, paropsida pro paropsis, statera pro stater dicitur. Hac terminatione, & sensu, usi sunt sæpe. Hartmotus fecit absidam in basilica S. Galli, *Ratpertus Monachus cap. 9.* Turris absidæ imminens eam igne cremavit, *Ekkehardus junior de Casibus S. Galli c.6.* In basilîea S. Mariæ in una absida eum collocaverunt, *Anonym. de S. Marci corpore, p.14.* Imago Mariæ in absida ecclesiæ depicta, *Annal. Franc. Fuldens. anno 823.* Adde *Goldast. Tom.I. Alamann. rer. p.177. Gerard. Joh. Vossium de vit. Serm. l. II. cap.2. Joh. Georg. Dorsch. in Relation. Anonymi Notat.29. Auctor. Gemmægemmar.*

Berenvvardus) Fuit hic Berenvvardus Comes à Summorsenburg, Ottonis III, sacellanus; à quo anno 993. Episcopus Hildesheymensis constitutus est. Cœnobium, ejusdemq; templum, cujus dedicatio hîc describitur, magnificentissimum construxit, idemq; sex turribus in sublime eductis exornavit. Mortuus est anno 1024. & à Bennone Episcopo anno 1194. inter Divos relatus, *infra lib. IV. c.23.*

CAPUT XIX.

1. *Slavi sub Conrado II. quieverunt, circa ann. - - - - 1030.*
2. *Saxonum avaritia impedivit cursum Evangelij.*
3. *Principes Winithorum.*
4. *Udo [Otto] à Saxone quodam conforsus est. - - - 1032.*

5. God-

5. Godschalcus, Udonis filius, omnem Nordalbingiam vastat.
6. Tangitur religione, & pacem Saxonibus offert.
7. Capitur à Bernhardo Duce: ab eodem dimissus ad Kanatum Regem se confert.

IN diebus illis pax firma fuit in Slavia, eo quòd Conradus, qui Henrico 1
Pio successit in imperium, Winithos frequentibus bellis attriverit. Ve- 2
rumtamen Christiana religio, & cultus domus Dei, parvum recepit incrementum, præpediente avaritia Ducis, & Saxonum, qui omnia corradentes, nec ecclesiis, nec sacerdotibus quidquam passi sunt esse residui. Princi- 3
pes Slavorum, Anadrag, Gneus, & tertius Udo, malè Christianus: Unde & 4
propter crudelitatem suam à quodam Saxonum transfuga improvise confossus est. Filius ejus Godescalcus nomine, apud Lunenburg, scholaribus 5
erudiebatur disciplinis. Qui morte patris comperta, fidem rejecit cum litteris, amneq; transmisso, venit ad gentem Winithorum. Congregataq; multitudine latronum, percussit in ultionem patris omnem terram Nordalbingorum, & tantas strages fecit Christianæ plebis, ut crudelitas omnem modum excesserit. Nihilq; remansit in Holsatorum & Sturmariorum provincia, sive eorum qui Thetmarsi dicuntur, quod manus ejus effugerit, præter notissima illa præsidia Ezeho & Bokeldeburg: illò se quidam armati contulerant, cum mulieribus & parvulis, & substantiis, quæ direptioni superfuerant.
Quadam ergo die cùm commemoratus Princeps latrocinali more per cam- 6
pos & miricas ferretur, videns regionem viris & Ecclesiis quandoq; refertam, vastæ solitudini subjacere, exhorruit propriæ crudelitatis opus, tactus dolore cordis intrinsecus, deliberavit à nefariis cœptis tandem cohibere manus. Avulsus ergo parumper à sociis, & quasi ad insidias exiens, inopinatè offendit quendam Saxonem Christianum. Qui cùm armatum eminus venientem fugeret, ille clamore sublato hortatur, ut subsistat, jurat etiam se nihil ei nociturum. Cúmq; vir timidus, recepta fiducia, substitisset, cœpit percunctari ab eo, quis esset, aut quid nosset rumoris. At ille, ego sum, inquit, homo pauper, Holsatia genitus. Sinistros autem rumores quotidie experimur, quia princeps iste Slavorum Godschalcus, multa mala infert populo & terræ nostræ, sitimq; crudelitatis suæ saturare cupit sanguine nostro. Tempus enimuero esset, ut vindex Deus ulcisceretur injurias nostras. Cui Godeschalcus: multum, inquit, coarguis virum illum, principem Slavorum. Revera enim multas ille pressuras suscitavit populo & terræ vestræ, ultor paternæ cædis existens magnificus. Ego autem sum vir iste, de quo nunc sermo est, & veni ut loquar tecum. Doleo enim me tantum nefas commisisse adversus

Dominum & Christicolas, & vehementer cupio redire in gratiam eorum, quibus me tanta injustè intulisse recognosco. Accipe ergo verba mea, & revertens ad populũ tuum, annuncia eis, ut ad locum destinatum transmittant viros fideles, qui mecum clam agant de fœdere & pacis conditione. Quo facto omnem hanc turbam latronum, cum quibus magis necessitate quàm voluntate detineor, tradam in manus eorum. Et hæc dicens, designavit ei locum & tempus. Qui cùm venisset ad præsidium, in quo Saxonum superstites cum magno timore consistebant, nunciavit senioribus verbum istud absconditum, suggerens omnibus modis, ut transmitterent viros ad præfixum colloquij locum. At illi non intenderunt, reputantes dolum insidiis opportunum.

7 Post aliquot itaq; dies, idem Princeps à Duce captus, & qnasi princeps latronum in vincula conjectus est. Reputans autem Dux virum fortem, & ad arma strenuum, utilem sibi fore, inijt cum eo fœdus, & honorificè donatum, abire permisit. At ille dimissus, abiit ad regem Danorum Kanutum, & mansit apud illum multis diebus sive annis, variis bellorum exercitiis in Nortmannia sive Anglia virtutis sibi gloriam consciscens. Unde & filia regis honoratus est.

---

bellis) Slavi & Poloni Duce Misicone Polono instigante anno 1030. terras inter Salam & Albim depopulabantur, & magnam stragem hominum edebant. Imperator Saxonum auxiliis, inprimis Ludolphi, privigni sui, eos gravi prælio fundebat. Hac clade Slavi Lütitii nondum domiti, ann. 1034. & 1035. iterum tumultuantur. Imperator contra eos profectus, ita illorum fregit ferociam, ut tributum, idq; auctum, ipsi persolverent. *Wippo de Chunrado Salico ad ann. 1032. Georg. Fabric.*

Principes.) Supra *cap. XV.* commemorantur alii tres Slavorum Principes: Mislaus Nacco, Sederich. Genealogia illorum hæc est:

Billungus
Mislaus; Nacco; Sederich.
Mistouojus
Udo; Anatrog; Gneus
Godschalcus

Holsator.) Quam Holsatiam hodie vocamus, & Germanicè Holstein/ illa *Reginoni anno 804.* Holdnstein dicitur; & *Annal. Regum Franc. anno eodem* Holdunstetin.

Ezeho.) Etzehoa, hodie Itzeho appellamus,

mus. Quando oppidum conditum primùm sit, non satis liquet ex Annalibus. Carolus M. anno 809. ad Störam amnem oppidum, nomine Esselfelt(alii legunt Esfefelt) extruendum, ut securitati Nordalbingensium consuleret, contra irruptiones Danorum curavit. Si verba *Reginonis* monachi diligenter examines, hanc Itzehoam esse mecum credideris. Ita enim ille: Imperator, cùm ei multa de jactatione & superbia regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albim civitatem ædificare, Francorumq; in ea ponere præsidium. Cumq; ad hoc per Galliam atq; Germaniam homines congregasset, armisq; ac cæteris ad usum necessarium rebus instructos, ad locum destinatum ducere per Phrysiam jussisset; Thrasco dux Abroditorum, in emporio Rerich ab hominibus Godefridi dolo interfectus est. Imperator, postqnam locus civitatis constituendæ fuerat exploratus, Egobertum comitem huic negocio exequendo præficiens, Albiam trajicere & locum jussit occupare. Est autem locus super ridam Sturiæ fluminis vocabulo Esselfelt. Occupatus est itaq; ab Egeberto & comitibus Saxonibus, & circa idus Martii muniri cœptus. *Regino anno 809.*

Bokeldeburg,) Bokelnburgum non procul ac ostio Albis situm.

At ille) Godschalcum à Bernhardo Duce redeuntem terra & ditionibus patriis excludebat Ratibor, qui interim Wagriæ Principatum invaserat, Christianam religionem professus, & magnæ inter barbaros auctoritatis atq; potentiæ. In Daniam igitur Godschalcus delatus Kanuto Regi primùm in Norvvegia præclaram operam militando præstat. Tanta ibi viri enituit prudentia & fortitudo, ut Rex eum cum Suenone, suo ex sorore nepote, in Angliam ad bellum mitteret. Hîc iterum claris facinoribus editis ita Suenonem, paulò post Regem, sibi devinxit, ut Syritham filiam ei nuptum daret. *Joh. Isac. Pontan.* refert has nuptias ad ann. 1058. *Rer. Danic. l. V. p. 183.* Adde *Adam. Brem. l. II. c. 48. Nicol. Mareschalc. Thurium l. II. c. 31.* Anatrogus, Gneus & Ratibor interim Slavis Obotritis & Wagriis præerant. Hi à Bezelino Archiepiscopo, & Bernhardo, Saxoniæ Duce, sæpius Hamburgum ad colloquium evocati, prolixè operam suam in promovendis ecclesiæ commodis, atq; in compescendis Slavis suis promiserunt, eisdemq; circa ann. CH. 1039. contra hostes cum copiis suis militarunt. *Adam. Brem. l. II. c. 53. Historia Archiep. Brem. in Bezelino, p. 87. Albert. Stad. anno 1039.* Insignes tunc doctrina cœlestis propter Principum amicitias in Slavis fecisset progressus, nisi Saxoniæ Ducis obstitisset avaritia. Godschalcus, jam ex Britannia quoq; reversus, in Dania aliquamdiu, per Ratiborem Principatu suo dejectus, quietus agebat. Nam Ratibor ita potentiam suam auxerat, ut ipsum Daniæ Regem bello lacesseret. Tribus enim vicibus tunc Slavi hostiles irruptionis in Jutiam fecere. Cumq; prima expeditione pater: altera octo filii: tertia quindecim millia Slavorum in prælio apud Slesvicum periissent, pacem fecerunt. Jam Godscalcus non diutius cunctandum ratus, Danorum auxiliis ejicit Wagria, qui adhuc dominium ejus per vim tenebāt. *Adam. Brem. l. II. c. 59. Albert. Stad. ad ann. 1042. Krantz. Metrop. l. IV. c. 24. Solinus in Chron. Holsat. p. 97.*

CAPUT XX.

1. *Godschalcus reversus recuperat sua.*
2. *Slavos usq; ad Penim fl. ad religionem Christianam reduxit.*
3. *Hi quoad ille vixit, Christianam fidem servarunt.*
4. *Summo studio cultum veri DEI propagavit.*
5. *Lubecæ, Aldenburgi &c. ædes sacræ exstruuntur.*

1 POst mortem ergo Kanuti regis, reversus est Godescalcus in terram patrum suorum. Et inveniens hæreditatem suam à quibusdam tyrannis invasam, dimicare statuit, & comitante victoria, possessiones cum principatu ex integro recepit. 2 Statímq; ad conquirendum sibi apud Dominum gloriam & honorem animum intendens, Slavorum populos, quos Christianitatis olim susceptæ oblivio jam tenebat, ad recipiendam credulitatis gratiam, & ad gerendum Ecclesiæ curam suscitare studuit. Et prosperatum est opus Dei in manibus ejus, adeò ut infinita gentilium multitudo conflueret ad Baptismi gratiam. Et reædificatæ sunt per universam Wagirorum provinciam, nec non & Polabingorum, & Obotritorum, ecclesiæ quondam dirutæ. Iàmq; missum est in omnes provincias pro Sacerdotibus ac ministris verbi, qui rudes gentilium mentes doctrina fidei imbuerent. Gratulabantur itaq; fideles de novellæ plantationis incremento. Factúmq; est ut provinciæ plenæ essent Ecclesiis, Ecclesiæ verò sacerdotibus. Sed & Kycini & Circipani, & quæcunque gentes circa Panim habitant, receperunt gratiam fidei. Est autem Panis fluvius, in cujus ostio sita est civitas Dimine. Illuc quondam 3 portendebatur limes Aldenburgensis Parochiæ. Igitur omnes Slavorum populi, qui ad Aldenburgensem pertinebant curam, toto tempore quo Gode- 4 scalcus supervixit, Christianam fidem devotè tenuerunt. Sanè magnæ devotionis vir dicitur tanto religionis divinæ exarsisse studio, ut sermonem exhortationis ad populum frequenter in Ecclesia ipse fecerit, ea scilicet quæ ab Episcopis vel Presbyteris mysticè dicebantur, cupiens Slavicis verbis reddere planiora. Procul dubio in omni Slavia nemo unquam surrexit potentior, & tam fervidus Christianæ religionis. Etenim si vita ei longior concederetur, omnes paganos ad Christianitatem cogere disposuit, cùm ferè tertiam partem eorum converterit, qui prius sub avo ejus Mistiwoi relapsi sunt 5 ad paganismum. Tunc etiam per singulas urbes Cœnobia fiebant sanctorum virorum canonicè viventium: item Monachorum atque Sanctimonialium, sicut testantur ii, qui in Lubeke, Aldenburg, Racesburg, Leontio, & in aliis civitati-

civitatibus singulas viderunt. In Magnopoli verò, quæ est inclyta Obotritorum civitas, tres fuisse congregationes Deo servientium referuntur.

Lubeke.) Est hæc omnium prima mentio Lubecæ nostræ, quæ apud rerum Slavicarum & Saxonicarum scriptores occurrit. Intelligenda autem vetus illa Lubeca, quæ ad rivum Schwartau/ dimidio fere ab hac Lubeca milliari sita fuit. Quæ cùm anno 1149. à Rûgianis æmulis penitus destructa esset, Adolphus II. Holsatiæ Comes, novam hanc nostram anno 1140. intra Travam & Wakenissam condere cœpit. *Chronica MSS. antiqua Lubecensia.* Cœnobia & templa in veteri Lubeca circa ann. 1035. exstructa esse autumat *Georg. Fabric.*

CAPUT XXI.

1. *Wilsi intestinum bellum gerunt, Kissini & Circipani contra Riaduros [Rheteros] & Tollensos.*
2. *Riaduri & Tollensi tribus præliis victi sunt.*
3. *Hi Danos, Saxones & Obotritos in auxilium vocant.*
4. *Kissini & socij illorum victi sunt.*
5. *Saxones semper prædæ magis, quam religioni propagandæ intenti.*

IN diebus illis factus est motus magnus in orientali provincia Slavorum, 1
civili inter se bello dimicantium. Quatuor autem sunt populi eorum, qui Lutitii sive Wilzi dicuntur, quorum Kycinos atque Circipanos circa Panim, Riaduros sive Tolenzos cis Panim habitare constat. Inter hos de fortitudine & potentia valida orta est contentio: Siquidem Riaduri sive Tolenzi, propter antiquissimam urbem & celeberrimum illud fanum, in quo simulacrum Radigast ostenditur, regnare volebant, adscribentes sibi singularem nobilitatis honorem, eo quòd ab omnibus populis Slavorum frequentarentur, propter responsa & annuas sacrificiorum impensiones. Porrò Circipani atque Kycini servire detrectabant, imò libertatem suam armis defendere statuerunt. Crescente igitur paulatim seditione, tandem pervenitur ad 2
prælium, ubi inter validissimas pugnas Riaduri atqne Tolenzi fusi sunt. Ideo secundo & tertio restauratum est prælium: item iidem ab eisdem contriti sunt. Multa millia hominum hinc & inde prostrata. Circipani & Kycini, quibus bellum necessitas indixerat, victores. Riaduri atque Tolenzi, qui pro gloria 3
certabant, dejectionis suæ pudore vehementer afflicti, accersierunt in auxilium fortissimum regem Danorum, & Ducem Saxonum Bernhardum, nec non & Godescalcum, Principem Obotritorum, singulos cum exercitibus suis, aluerúntque tantam multitudinem de propriis stipendiis sex hebdomadibus.

4 Invaluitque prælium adversus Circipanos atque Kycinos, nec habuerunt vires resistendi, obsessi tanta multitudine, cæsaque est ex iis maxima multitudo, & quam plurimi in captivitatem ducti. Ad ultimum quindecim millibus marcarum, pacem mercati sunt. Principes pecuniam inter separtiti sunt.
5 De Christianitate nulla fuit mentio, nec honorem dederunt Deo, qui contulit eis in bello victoriam. Unde cognosci potest Saxonum insatiabilis avaritia, qui cùm inter gentes cæteras, Barbaris contiguas, præpolleant armis, & usu militiæ, semper proniores sunt tributis augmẽtandis, quàm animabus Domino conquirendis. Decor enim Christianitatis, Sacerdotum instantia, jamdudum in Slavia convaluisset, si Saxonum avaritia non præpedisset. Prædicetur ergo & omni laude extollatur dignissimus ille Godescalcus, qui barbaris gentibus editus, munus fidei, credulitatis gratiam suæ genti cum pleno dilectionis fervore reparavit. Arguantur Saxonum proceres, qui Christianis proavis geniti, & gremio sanctæ matris Ecclesiæ foti, steriles semper & inanes in opere Dei sunt inventi.

marcarum) Marca argenti illa ætate octo unciis æstimata est; quæ hodie octo nummos unciales seu Imperiales efficiunt. *Aventin. Ann. Boj. l. VII. p. 657. Matthæus Hostus de re numm. l. V. cap. 3.* Sequentibus verò seculis marcæ valor paulatim imminutus fuit, ut circa ann. 1334. & deinceps, marca tribus florenis æstimaretur. Vide *Reimar. Kock. Chron. Lub. MS. ad ann. 1325.* & *Deductionem civitatis Lindav. p. 486.* Aliæ etiam fuerunt illis temporibus marcæ argenti, aliæ marcæ denariorum; quarum meminit *Arnoldus infra l. II. cap. 13.*

CAPUT XXII.

1. *Albertus, Archiepiscopus Hamb. ex uno Aldenburgensi Episcopatu tres facit, Aldenburgensem, Racegensem & Mechlenburgensẽ. 1058.*
2. *Albertus Patriarchatum affectat.*
3. *Ezoni [Episcopo X.] Aldenburgensis: Aristoni Raceburgensis: Johanni Mechlenburgensis commissus est.*
4. *Henricus III. Hungaros, Bohemos, Slavos &c. fortiter domuit.*
5. *Henrici IV. pueritia contentionum causa in Imperio R. fuit.*
6. *Bernhardo Duci Sax. filij Ordolphus & Hermannus succedũt. 1062*
7. *Slavi Godschalcum cum Eppone Leontii interficiunt. - - 1066.*
8. *Etiam Raceburgi tunc religiosi viri mactati.*

1 EA ergo temporum serie, qua misericordia Dei & virtute religiosissimi viri Godescalci, status Ecclesiæ & Sacerdotii cultus in Slavia decenter

viguit, defuncto Abellino Pontifice, Aldenburgensis Ecclesia in tres divisa est Episcopatus. Quod quidem imperiali minimè factum est institutione, sed Magni Adalberti, Hammenburgensis Archiepiscopi adinventione ita ordinatum fuisse, constat. Ille enim vir magnificus & præpotens in regno, cùm fortissimum Henricum Cæsarem, videlicet Conradi filium, nec non & Papam Leonem haberet propicios, atq; voluntati suæ per omnia consentaneos, in omnibus Borealibus regnis, Daciæ scilicet, Suediæ, Norwegiæ, functus est authoritate Archiepiscopali, & legationis Apostolicæ ministerio. Nec 2
his contentus Patriarchatus honorem assequi voluit, eo scilicet ordine, ut infra terminos suæ parochiæ XII. statueret Episcopatus, de quibus narrare supervacaneum est, eo quòd sapientibus ineptiæ quædam & deliramenta visa fuerint. Confluebant ergo in curiam ejus multi sacerdotes, & religiosi, plerique etiam Episcopi, qui sedibus suis exturbati, mensæ ejus erant participes. Quorum sarcina ipse allevari cupiens, transmisit eos in latitudinem gentium, quosdam locans certis sedibus, quosdam incertis. E quibus Ezo- 3
nem subrogavit Abelino in Aldenburg, Aristonem quendam à Hierosolymis venientem in Racesburg esse constituit, Ioannem in Mikilinburg destinavit. Iste Ioannes peregrinationis amore Scotiam egressus, venit in Saxoniam. Et clementer, ut omnes, susceptus ab Archiepiscopo, non multo pòst in Slaviam missus est ad Godescalcum, apud quem commoratus, illis diebus multa millia paganorum baptizasse describitur. Pax firma fuit in omni 4
regno, quia fortissimus Cæsar Henricus, Ungaros, Boemos, Slavos, & omnia finitima regna potenti manu coercuerat. Quo translato ad superos, suc- 5
cessit in sceptrum filius ejus Henricus, puer octo annorum. Statimque ebullierunt perturbationes variæ in regno, eo quòd principes, qui contentiones affectabant, contemnerent infantiam regis. Et surrexit unusquisque adversus proximum suum, & multiplicata sunt mala multa in terra, deprædationes, incendia, & mortes hominum. Post non multum quoque tempo- 6
ris mortuus est Bernardus Dux Saxonum, qui res Slavorum & Saxonum, quadraginta annis strenuè administravit. Cujus hæreditatem Ordulfus & Hermannus filii ejus inter se partiti sunt. Et quidem Ordulfus Ducatum suscepit gubernandum, licet fortitudine & militiæ usu longè à fælicitate paterna diverterit. Denique post mortem patris vix quinque transierunt anni, 7
statim Slavi rebellare parantes primo omnium Godescalcum interfecerunt. Et quidem vir omni ævo memorabilis propter fidem Deo & Principibus exhibitam à barbaris occisus est, quos ipse nitebatur ad fidem conuertere. Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorræorum, nec venit tempus miserendi eorum. Ideo necesse fuit, ut venirent scandala, ut probati fierent

mani-

manifesti. Passus est autem alter ille Machabæus in urbe Leontio, quæ alio nomine Lenzin dicitur, 7. idus Iunii, cum Presbytero Eppone, qui super altare immolatus est, & aliis multis tam Laicis quàm clericis, qui diversa pro
8 Christo pertulerunt supplicia. Ansuerus Monachus & cum eo alii apud Racesburg lapidati sunt. Idibus Iulii, passio eorum occurrit. Fertur idem Ansuerus cùm ad passionem venisset, flagitasse paganos, ut prius socii, quos timebat deficere, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens cum Stephano, genua posuit.

Quo translato) Imperator post natalem Domini Goslariæ actum Botfeldam anno 1056. se conferebat. Hîc comperit, Wilhelmum Marchionem & Diederium Comitem cum infinita multitudine Saxonici exercitus, quem contra Lutitios Slavos miserat, rebus malè gestis occubuisse; unde tanto mœrore, correptus fuit, ut post paucos dies diem clauderet extremum. *Lambert. Schafnaburg. ad ann. 1056.*

mortuus est) Inter mortem Bennonis & successionem Bernhardi aliquot annos interjectos fuisse statuendum est. Benno enim anno XXII. Libentii Archiepiscopi, i.e. anno Ch. 1010. mortuus est. *Adam Brem. l. II. c. 32. Albert. Stad. ad ann. 1010.* Vide *supra c. 16. n. 2.* Bernhardus autem annos 40. præfuit, ut *Helmoldus hoc ipso capite* asserit, & anno 1062. in fata concessit, ut habet idem *Albertus hoc anno.* Ex quo intelligitur, initium principatus Bernhardi non in ann. 1010. sed 1022. collocandum.

CAPUT XXIII.

Johannes Episcopus Mechlenburg. eodem tempore à Slavis trucidatus. 1066.

IOannes Episcopus senex, cum cæteris Christianis in Magnopoli, id est Meckelenburg, captus, servabatur ad triumphum. Ille ergo pro confessione Christi fustibus cæsus. Deinde per singulas civitates Slavorum ductus ad ludibrium, cùm à Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus corpus ejus in platea projectum est. Caput verò defectum, quod barbari conto præfigentes in titulum victoriæ Deo suo Radigasto immolaverunt. Hæc in metropoli Slavorum Rethre gesta sunt, IV. idus Novembris.

CAPUT XXIV.

1. Godscalci uxor nuda in exilium mittitur.
2. Godschalci filii sunt Henricus Christianâ: & Buthue, ethnica matre geniti.
3. Slavi Hamburgum exscindunt: Stormarios & Holsatos occidunt: Slesvicum evertunt.
4. Omnes ad paganismũ relabuntur.
5. Ordul-

5. Ordulphus Dux frustra annos XII. bello Slavos tentavit.

6. Post hoc excidium Aldenburgensis ecclesia annos LXXXIV. Episcopo caruit.

Filia regis Danorum, apud Mykelenburg, civitatem Obotritorum, nuda 1
dimissa est cum cæteris mulieribus. Hanc enim, ut suprà diximus, Go- 2
descalcus Princeps habuit uxorem, à qua & filium suscepit Henricum.
Ex alia verò Buthue natus fuit, magno uterque Slavis excidio genitus. Et Slavi 3
quidem victoria potiti, totam Hammenburgensem provinciam ferro, & igne demoliti sunt, Sturmarii & Holsati ferè omnes aut occisi, aut in captivitatem ducti. Castrum Hammenburg funditus excisum, & in derisionem salvatoris nostri, etiam cruces à paganis truncatæ sunt. Ipso eodémque tempore Sleswich, quæ alio nomine Heidibo dicitur, civitas Transalbianorum, quæ sita est in confinio regni Danici, opulentissima atque populosissima, ex improviso barbarorum incursu funditus excisa est. Impleta est nobis prophetia, quæ ait, Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum & reliqua, quæ propheticè deplorantur in Hierosolymitanæ urbis excidio. Hujus auctor cladis Blusso fuisse dicitur, qui sororem habuit Godescalci, domúmque reversus & ipse obtruncatus est.
Itaque omnes Slavi facta conspiratione generali, ad paganismum denuò 4
relapsi sunt, eis occisis, qui perstiterunt in fide. Dux Ordulphus in vanum 5
sæpe contra Slavos dimicans per XII. annos, quibus patri supervixit, nullam unquam poterat obtinere victoriam: totiénsque victus à paganis, à suis
etiam derisus est. Accidit autem perturbatio hæc in Slavorum provin- 6
cia, anno post incarnationem Domini millesimo sexagesimo sexto, anno regni Henrici Quarti VIII. Et vacavit sedes Aldenburgensis annis octoginta quatuor.

CAUT XXV.

1. Slavi, filiis Godschalci præteritis, Cruconem [Critonem] Rügianū, Regem sibi constituunt.

2. Henricus ad Danos: Buthue ad Bardos Saxones fugit.

3. Buthue à Saxonibus reductus quidem est; sed suos infidos experitur.

4. Saxonum avaritia auget Slavorum in Christianam religionem odium.

5. Ordulpho succedit filius Magnus. 1074.

6. Magnus Slavos bello lacessit.

7. Slavi Buthuem iterum pellunt.

8. Buthue à Magno ad se in terram suam reducendum auxilia impetrat.
9. Assumtis Ioc. è Bardovico militibus Plönam castellum ingreditur.
10. Situs Plönæ.
11. Buthue in ea obsidetur.
12. Holsati & c. ei suppetias ferre volũt.
13. Hi exploratoris perfidia avertuntur, & Buthue hostibus proditur.

1 POstquam ergo mortuus est Godescalcus, vir bonus & cultor Dei, ad filiũ ejus Buthue pervenit principatus ejus hæreditaria successio. Timentes autem ij qui patrem ejus interfecerant, ne fortè filius ultor paternæ cædis fieret, concitaverunt tumultum in populo, dicentes: Non hic dominabitur nostri, sed Cruco, filius Grini. Quid enim proderit nobis, occiso Godescalco libertatem attentasse, si iste hæres principatus extiterit? Iam enim plus iste nos affliget, quàm pater, appositúsque populo Saxonum, novis provinciam involvet doloribus. Statimque conspirata manu, statuerunt Crucones in principatum, exclusis filiis Godescalci, quibus jure debebatur dominium. Quorum
2 junior Henricus nomine profugit ad Danos, eo quòd regia Danorum stirpe esset oriundus. At senior Buthue declinavit ad Bardos, quærens auxilium à Saxonum principibus, quibus pater ejus devotus semper & fidelis extiterat.
3 Qui etiam rependentes beneficiis gratiam, susceperunt pro eo præliũ, multóque expeditionum fatigio restituerunt eum in locum suum. Attamen status Buthue semper erat infirmus, nec ad plenum roborari potuit, eo quòd Christiano parente natus, & amicus Principum, apud gentẽ suam, ut proditor li-
4 bertatis haberetur. Post eam enim victoriam, qua primum Godescalco interfecto Nordalbingorum provincia percussa est, Slavi servitutis jugum armata manu submoverunt, tantaque animi obstinatia libertatẽ defendere nisi sunt, ut prius maluerint mori, quàm Christianitatis titulum resumere, aut tributa solvere Saxonum Principibus. Hanc sanè contumeliam sibimet parturivit infœlix Saxonum avaritia, qui cùm adhuc virium suarum essent cõpotes, & crebris attollerẽtur victoriis, non recognoverunt, quia Domini est bellum, & ab ipso est victoria, quin potius Slavorũ gentes, quas bellis aut pactionibus subegerant, tantis vectigalium pensionibus gravaverunt, ut divinis legibus & Principum servituti refragari amara necessitate cogerentur. Luit hanc noxam Ordulphus, Saxonũ Dux, qui derelictus à Deo, quamdiu patri supervixit, nullam contra Slavos victoriam consequi potuit. Unde etiam cõtigit, ut filii Godescalci, qui spem suam in Duce posuerant, super baculum arundineũ at-
5 que confractum innisi sint. Defuncto Ordulpho successit in Principatum
6 filius ejus Magnus, natus de filia regis Danorum. Statímque in ipso principatus sui exordio ad subnervãdos Slavorum rebelles, animum & vires intendit, exacuente eum ad id Buthue filio Godescalci. At illi unanimiter refragari cœperunt, secuti Crusonem, filium Grini, qui erat inimicitias exercens adver-
7 sus Christianum nomẽ & honorẽ Principum. Et primum quidem Buthue pro-

vincia pepulerũt,diripientes præſidia,in quibus confugium habebat. Videns 8
autem ſe principatu extorrem,confugit adDucẽ Magnum,qui tunc fortèLu-
nenburg degebat,& allocutꝰ eſt eum:Novit excellentia tua virorũ maximẽ,
qualiter pater meusGodeſcalcus procurationẽ Slavicæ provinciæ ad honorẽ
Dei,& progenitoris tui,fideliter ſemper intorſerit,nihil prætermittens eorũ,
quæ ad cultũDei & fidẽ principum jure pertinuerint.Ego quoq; paternã æmu
lans modeſtiã,omni fide & devotione mãdatis principũ obſecundavi,infinitis
me obiiciens periculis, ut mihi vel vacuũ honoris nomen, vobis verò fructus
permaneret. Qualis autẽ merces & me & patrẽ meũ exceperit, neminẽ latet,
cùm illum quidem vita,me patria exemerint hoſtes noſtri,hoſtes,inquã,non
tantùm noſtri, ſed etiam tui. Si ergo honorẽ tuum & ſalutem tuorum curare
volueris,viribꝰ & armis utendũ eſt.Deniq; fortuna noſtra in extremo ſita eſt,
& maturãdum eſt,ne ultra progredientes inimici,etiamNordalbingorũ pro-
vincia abutãtur.His auditis Dux reſpõdit: Nõ poſſum hac vice ipſe egredi,eo
quòd detinear magnis impedimẽtis,ſed dabo tibiBardos,Sturmarios,Holza-
tos,atqueThethmarchios,quorũ auxilio fretꝰ,hoſtiũ impetus ad tẽpꝰ excipe-
re valeas.Ego quoq; ſi neceſſe fuerit,quãtocyus ſubſequar.Porrò dies nuptia-
rũ ad præſensDucem vetabat.Aſſũptis ergoButhue fortiſſimisBardorũ tran- 9
ſiitAlbiã,& præcucurrit in terrãWagirorũ.Nuncii quoq; ducis percurrentes
omnẽNordalbingorũ provinciã, urgebant populũ egredi ad ferendũ auxiliũ
Buthue,qui expugnabatur ab hoſtibus. At ille præierat cũ ſexcẽtis & eo am-
plius viris armatorũ,veniẽsq; ad caſtrũPlunenſe,(a)urbem,præter ſpẽ,aper-
tã,& vacuam viris reperit.Quo cùm intraſſet,mulierTeutonica,quæ inibi re-
perta fuit,locuta eſt ad eũ: Accipe quod repererit manus tua,& feſtina velo-
citer egredi,quia per dolũ actũ eſt, ut urbs hæc aperta & vacua cuſtodibꝰ di-
mitteretur.Audito enim introitu tuo,craſtino cũ maximo exercituSlavi redi
bũt& urbẽ hãc obſidione cõcludẽt.Qui verba referẽtis diſſimulãs per noctẽ in
eodem caſtro remãſit.Eſt aũt urbs hęc,ut hodie videri poteſt,lacu profundiſ- 10
ſimo undiq; incluſa,&commeantibus aditũ pons longiſſimus continuat. Cra- 11
ſtina ergo luceſcente ecce, Slavorũ infinita agmina, urbẽ, ut veſpere prædi-
ctũ fuerat,obſidione vallaverunt,Proviſum autem fuerat,ne navicula aliqua
in omni inſulã illa inveniretur,per quam obſeſſis evadendi locus pateret.Bu-
thue ergo cum ſociis obſidionem cum magna famis difficultate ſuſtinuit.Au- 12
dito autem finiſtro hoc nuncio,Holzatorũ,Sturmariorum nec non Thetmar-
chiorũ fortiſſimi acceleraverũt,ut urbẽ obſidione liberarent.Cũmq; perveniſ 13
ſent ad rivulũ,qui diciturSuale,(b)quiq; diſterminatSaxones àSlavis,præmi-
ſerunt virum gnarum Slavicæ linguæ,qui exploraret,quidSlavi agerent,aut
qualiter expugnationi urbis inſtarent. Miſſus itaque vir ille à ſociis, pervenit
ad exercitũSlavorũ,qui cooperuerat faciẽ cãpi,pręparans diverſas machinas

pugnationi oportunas. Quos etiam his verbis alloquitur: Quid facitis ô viri, oppugnantes urbem & viros amicos Principum & Saxonum? Non utique conatus iste cedet vobis in prosperum. Mandat autem vobis Dux, cæterique Principum, obsidione quantocyus discedere. Quod si non feceritis, in brevi sentietis ultionem. Qui cùm anxiè inquirerent, ubi nam esset Dux: respondit, eum in proximis adesse cum armatorum infinita multitudine. Princeps ergo Slavorum Cruco, assumpto seorsim nuncio, percunctatus est ab eo certius rei veritatem. Ad quem ille: quid, inquit, dabis mihi precii, si prodidero tibi ea quæ tu quæris, & fecero te compotem voluntatis tuæ, super urbe hac, & his qui sunt in ea? At ille pactus est ei XX. marcas. Statim ubi firmata sunt promissa, dixit traditor ille Cruconi, & sociis ejus: Dux iste, quem tu formidas, necdum transivit ripas Albiæ, detentus gravibus impedimentis: Soli Sturmarii, Holzatii, & Thetmarchi, egressi sunt cum brevi numero. Hos ergo facilè uno verbo seducam, & faciam redire ad loca sua. His dictis, transiit pontem & locutus est ad Buthue & ad socios ejus: Consule saluti tuæ & tuorum, qui tecum sunt, quia Saxones, in quibus tu habebas fiduciam, non venient hac vice succurrere tibi. Tunc ille consternatus animo, respondit: Heu me miserum, quare deseror ab amicis? Siccine Saxones optimi, supplicem sui & auxilii indigum in tribulatione deserent? Male delusus sum, qui Saxonibus bona semper fiducia innitens, nunc in extrema necessitate pessundatus sum. Ad quem ille: Venit, inquit, dissensio in populum, & tumultuantes inter se, reversi sunt unusquisque in domum suam. Alio ergo consilio tibi utendum est. Confusisq; taliter rebus, nuncius ad suos reversus est: Sciscitantibúsque Saxonum expeditis, quidnam causæ esset, respondit dicens: Veni ad castrum, ad quod misistis me, & nullum, Dei gratia, ibi periculum est, nec ullus obsidionis timor. Quin potius vidi Buthue, & eos qui cum ipso sunt, lætos, & nil habentes turbulentiæ. Atque in hunc modum retardavit exercitum, ne obsessis fierent præsidio. Factus est vir ille Buthue & sociis ejus materia perditionis. Statim enim ubi obsessi traditoris dolo decepti, à spe evasionis deciderunt, cœperunt perquirere ab hostibus, si quid pro vitæ remedio acceptare vellent. Quibus illi responderunt: Nos aurum & argentum à vobis non recipimus, vitam tantùm & membrorum integritatem postulantibus præbebimus, si exeuntes ad nos, arma dederitis. Hoc audito, Buthue dixit ad socios: Durus nobis, ô viri, sermo proponitur, ut exeuntes arma resignemus. Scio quidem quia deditionem fames perurget. Sed si proposita nobis conditione, inermes exierimus, nihilominus periculum subeundum erit.

erit. Fides enim Slavorum quàm sit mobilis, quàm incerta, sæpius compertum habeo. Videtur ergo mihi omnium saluti cautius esse, dilatione adhuc, licet difficili, vitam redimere, & expectare si fortè Deus alicubi auxiliatores nobis admittat. Contra socii renisi sunt, dicentes: Conditionem quidem, quæ nobis ab hostibus offertur, ambiguam, plenámque formidinis esse fatemur. Nec tamen ea abutendum est, eo quod præsens periculum evitandi alia via non sit. Quid enim dilatio juvat, ubi nemo est, qui obsidionem soluat? Atrociorem autem mortem fames quàm gladius affert, meliúsque est compendio vitam finire, quàm diu torqueri.

Plunense. a) Prima hæc est mentio, quæ apud Historicos de Plöna arce injicitur. De situ ejus vide *Casp. Danckw. part. III. c. 9.*

Suale. b) Depravata vox primùm in *Schorkeliana editione* & in *Strale* mutata fuerat, quam lectionem *Rein. Reineccius* retinuit.

Suale antiquum nomen illi rivo fuit. Id *Codex MS. L.* disertè exprimit. Retinet idem in hac historia *Albert. Stad. ad ann. 1067.* Imò *Reinneccius* ipse *l. I. c. 57. & 63.*

Est autem Suala fluvius, qui ex palude Schwalenbrock/non procul à Bornhoveda, ortus, excurrit usq; ad Novum-monasterium, & postea fluvio Störæ miscetur. *Casp. Danckw. part. III. c. 11.*

CAPUT XXVI.

1. *Buthue cum sociis contra datam fidem obtruncatur.*
2. *Nordalbingi Cruconis tributarii, quoad ille superfuit, fuerunt.*
3. *Familiæ nonnullæ Holsatorum emigrant.*

VIdens igitur Buthue socios animis obfirmatos ad egrediendum, jussit 1
sibi cultiora exhiberi vestimenta, quibus indutus cum sociis egreditur. Transieruntq; pontem, bini & bini, dantes arma, atque in hunc modum perducti sunt ad faciem Cruconis. Ubi ergo omnes præsentati sunt, mulier quædam præpotens de castro mandavit Cruconi, cæterísque Slavis, dicens: Perdite viros, qui se tradiderunt vobis, & nolite servare eos, quia intulerunt maximas violentias uxoribus vestris, quæ derelictæ fuerant cum ipsis in urbe, & auferte opprobium nostrum. His auditis, Cruco & socij ejus statim insilierunt in eos, omnemq; multitudinem hanc interfecerunt in ore gladii. Et interfectus est Buthue & omne robur Bardorum coram castro Plune, in die illa pariter. Invaluitque Cruco, & prosperatum est opus in mani- 2
bus ejus, obtinuítque dominium in universa terra Slavorum, & attritæ sunt vires Saxonum, & servierunt Cruconi sub tributo, omnis terra videlicet

Nordalbingorum, quæ disterminatur in tres populos: Holzatos, Sturmarios, Thetmarchos. Omnes hi durissimum servitutis jugum portaverunt omni tempore Cruconis. Et repleta est terra latrunculis, facientibus mortes & captiones in populo Dei, & devoraverunt gentes Saxonum toto ore.
3 In diebus illis surrexerunt de populo Holzatorum, amplius quàm sexcentæ familiæ, transmissóque amne abierunt via longissima, quærentes sibi sedes opportunas, ubi feruorem persecutionis declinarent. Venerúntq; in montes Harticos,& manserunt ibi,ipsi, & filii & nepotes eorum,usque in hodiernum diem.

CAPUT XXVII.

1. Henricus IV. Saxones affligit.
2. Ottoni Ducatum Bavariæ ademtum Welponi tribuit. - 1070.
3. Castellum Hartesburgum contra Saxones exstruit; quod illi diruunt. - - - - 1074.
4. Principes Saxonum.
5. Exercitu utrinq; ad Unstrothum st. ad prælium educto de pacificatione agitur. - - - 1075.
6. Imperator Saxones inopinantes obruit & vincit. - - 1075.
7. Saxonum Principes se ipsius fidei permittunt. 1075.
8. Contra datam fidem custodiæ mancipantur. - - - 1075.

1 NIl (a) autẽ mirum,si in natione prava atque perversa,in terra horroris& vastæ solitudinis, sinistri casus emerserint. si quidem per omne regnum illis in diebus bellorum tempestates consurgebãt.Regni enim gubernacula, quæ regis Henrici pueritia non modicè dissoluta fuerant, ipso adolente non minus invenere periculum.Statim enim ut factus est vir,& sublato pædagogo suimet compos effectus est, omnem gentemSaxonum atro-
2 citer persequi cœpit. Deniq; Ottoni ducatum Bavariæ, quia Saxo erat, ab-
3 stulit, & Welponi dedit. Post hæc ad depressionem totius Saxoniæ, in Hartico clivo castrum firmissimum,quod diciturHarthesberg,collocavit.Quamobrem irati Saxonum Principes, & in unum conglobati, castrum quòd ipsis
4 propter jugum positũ fueratũ,ad solum diruerunt.Et obfirmati sunt animiSaxonum adversus Regem, fuerúntq; eis Principes, Wizelo Magdeburgensis, Bucco Halverstadensis Episcopus,Otto Dux,Magnus Dux, Udo Marchio,&
5 alii multi nobiles. Ad quorum audaciam obtundendam Rex celeriter cum exercitu venit, adjuncto sibi Suevorum duce Rudolpho, multísque regni Principibus. Sed & Saxones nil morati, viriliter occurrerunt in prælium, convenerúntque exercitus juxta flumenUnstroth.Cúmque non longè abesset pugna, factum est ex consilio utriusque partis, ut laudaretur pax usque post biduum,

biduum, ſperantes bellum pace ſopiri. Saxones ergo pace delectati, ſtatim exuerunt ſe armis, & diffuſi ſunt per latitudinem campi, figentes caſtra, & curâ corporis exequentes. Circa horam(b) diei nonam videntes ſpeculatores regis, Saxones remiſſos, & diſperſos ſuper faciem campi, nihilque ſuſpicantes mali, feſtinantes renunciaverunt regi, quia Saxones ſe præpararêt ad prælium. Itaque concitatus exercitus regis, tranſmiſſo vado, irruerunt ſuper quietos & inermes, proſtraverúntque multa millia Saxonum in die illa.
Cùm igitur Saxones pro tuenda libertate bellum adhuc intentarent, dux Suevorum vir bonus, & amator pacis, primum regio honori, deinde Saxonum ſaluti conſulens, apud Saxones obtinuit, ut ſe in poteſtatem regis contraderent Principes eorum, Wizelo Magdeburgenſis, Bucco Halverſtadenſis, Otto Dux, Magnus Dux, Udo Marchio, interpoſitis ſcilicet conditionibus, ne aut captivitate gravarentur, aut ullam ſuſtinerent læſionis moleſtiam. 7
Statim ergo ubi Saxones conſiliis illecti, poteſtati regiæ ſe tradiderunt, ille juſſit eos arctiori cuſtodiæ mancipari, non reveritus promiſſionum fidem. Et contriſtatus eſt Rudolphus Dux, eo quòd promiſſa implere non potuiſſet. 8

Nil.a.)Sicut per Henrici pueritiam Saxonum populus liberior factus, laſcivire, graſſari, in omne nefas ruere & multa per ſummam inſolentiam patrare conſueverat: ita cùm ille jam ætate & judicio confirmatior coercere libidinem, furta & rapinas illius vellet, eundem ad hoc bellum irritavit, de quo hîc Auctor. *Lambertus Schafnaburgenſis* initium & occaſionem belli ad Ottonem Bavariæ Ducem refert, cujus noſter hîc etiam meminit.

Quòd enim Otto ille multum gratia apud Imperatorem valeret, & magna in Imperio eſſet auctoritate, cæteri Principes ipſi invidere, uti fieri amat, cœperunt. Accuſatus ergo eſt læſæ majeſtatis. Nam Einno quidam profeſſus eſt, ſe ab Ottone ad interimendum Imperatorem ſubornatum. Ottoni propterea ab Imperatore Kal. Sextil. anno 1070. Goslariæ dies dicitur; ubi in conventu Principum duello cum delatore inito innocentiam teſtetur. Non detrectat Otto. Cùm autem prope Goslariam veniſſet, atq; ab Imperatore obtinere non poſſet, ut fide publica accepta ad cauſam ſuam agendam admitteretur, receſſit.

Poſtero die Imperator cum Ducibus Saxoniæ, qui privatas ſimultates cum ipſo alebant, illum reum majeſtatis pronunciat; & ſtatim caſtella ejus quædam occupat. Otto etiam arma corripit, & IV. Non. Sept. ex Thuringis, qui ab Imperatoris partibus ſtabant, trecentos in conflictu quodam occidit. Hoc fere initium fuit graviſſimi belli Saxonici, quod circiter XX. annos inter Imperatorem & Saxones geſtum eſt. *Chronicon Laurishamenſe, Felix Faber Hiſtor. Suevor. l. I. ann. 1099. & ſeqq. Aventinus Ann. Boj. l. V. p. 557. H. Mutius Chron. Germ. l. XV. Chriſtoph.* Lehman *Chron. Spir. l. V. c. 27.*

Circa horam. b) Anno 1075. V. Id. Jun. die Mercurii. *Aventinus l. V. p. 567. Georg. Fabric.* habet ipſas Idus Junias.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

1. *Principes è custodia elapsi Imperatorem apud Papam accusant. - - - - - - 1076.*
2. *Imperator ad delictorum expiationem Romam evocatus à Papa exauctoratur.*
3. *Rudolphus Dux Sueviæ ei substituitur. - - - - - - 1077.*
4. *Saxones & Suevi Rudolphum: Franci &c. Henricum sequuntur.*

1 POst paucos autem dies, Principes Saxonum præter voluntatem Regis, captivitate absoluti, in propria reversi sunt, nec unquam de cætero promissionibus regis fidem præbuerunt. Missa erga relatione Saxonum Principes ad Apostolicam sedem conquesti sunt reverendissimo Papæ Gregorio septimo, qualiter Rex divinæ legis contemptor, Ecclesiis Dei, in statuendis Episcopis, omnem Canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos quos voluisset. Insuper quòd more Nicolaitarum de uxore sua publicum fecisset prostibulum, subjiciens eam per vim aliorum libidini, aliáque perplurima, quæ inconvenientia visa sunt, & auditu
2 difficilia. Quamobrem Dominus Apostolicus, zelo justitiæ permotus, missis legatis, vocavit regem ad Apostolicæ sedis audientiam. Qui secundam & tertiam vocationem dissimulans, ad ultimum familiarium consiliis astrictus, timentium ne regno justè deponeretur, ivit Romam, ubi super his, unde justè pulsabatur, sese pastoris permisit arbitrio. Accepit ergo in mandatis, ut anno integro Roma non discederet, equum non ascenderet, sed in veste humili circumiret limina Ecclesiarum, orationibus & jejuniis reddens dignum pœ-
3 nitentiæ fructum. Quod rex humiliter adimplere sategit. Videntes ergo Cardinales, & ii qui de curia sunt, quia præ timore sedis Apostolicæ contremiscunt potestates, & curvantur ii, qui portant orbem, suggerunt Apostolico, ut transferat regnum ad alium virum, dicentes, indignum esse, ut talis regnet, qui de publicis convictus est facinoribus. Percunctanti ergo Apostolico, quisnam in Alemania dignus esset tanto culmine, designatus est Dux Suevorum Rudolphus, quòd scilicet fuerit vir bonus, amator pacis, & circa cultum Sacerdotii & ecclesiarum optimè affectus. Cui Dominus Papa auream transmisit coronam hoc versu intitulatam: Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. Præcepitque Moguntino & Coloniensi cæterísque Episcopis & Principibus, ut adjuvarent partes Rudolphi, & statuerent eum in
4 regem. Quotquot ergo receperunt verbum Domini Papæ, elegerunt Rudolphum in regem, additíque sunt parti ejus Saxones & Suevi. Cæteri Principum,

pum, civitatesque quæ sunt circa Rhenum, non receperunt eum, omnésque Francorum populi, eo quòd jurassent Henrico, & juramenta temerare noluissent. Porro Henricus consistebat apud Romam mandatis obsecundans, ignarúsque malorum quæ adversus ipsum agebantur.

Gregorio a) Quod per idem tempus inter Imperatorem & Hildebrandum, seu Gregorium VII. controversia de Electione & Investitura Episcoporum & Abbatum agitaretur, eò gratior Põtifici hæc legatio accidit. Cùm enim Imperatores Romani usq; ad hunc Henricum Investituram illam per Germaniam habuissent, & Gregorius illam Imperatori extorquere vellet, non tantùm Germaniæ Principes in ipsũ animabat, sed & excõmunicationis fulmẽ in eundem vibrabat. Imperator jus Investituræ sine insigni Imperii diminutione se dimittere posse negabat. Præterquã enim quòd à prioribus Imperatoribus illud accepisset, etiam ipsorum Pontificum Romanorum Decretis idem Romanis Imperatoribus confirmatum erat. Nam & Adrianus Carolo M. in Synodo Romæ celebrata potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, item investiendi Episcopos concesserat, *Distinct. LXIII. c. Hadrianus:* & Leo Ottoni I. ejusque successoribus eadem omnia novo Decreto confirmaverat. *Ibid. c. In Synodo.* Id quod & Pontificii Scriptores disertè confitentur, ut *Lupoldus de Babenberg, Episcopus Bambergensis, de Zelo Germ. Vet. Princ. c. 8. Michael Coccinius de Imperii à Græcis ad German. translat. p. 723. Nicol. Cusanus Cardinalis l. III. de Concord. Cathol. c. 27. Radulphus de Columna, Canonicus Carnotensis, de Translat. Imper. p. 292. Marsilius Patavinus de Transl. Imper. cap. 8. Magn. Chronicon. Belgic. pag. 136. & 137.*

Historia utraq;, de bello Saxonico, & controversia Hildebrandina ex istis potissimum scriptoribus petenda, qui Imperatori σύγχρονοι fuerunt. Hi autem duorum generum sunt. Nonnulli enim Romanorum Pontificum offensam veriti, illorum causam contra Imperatorem egerunt. Cæteri masculè Imperatorem contra Gregorium tutati sunt.

In his est *Benno Cardinalis De vita & gestis Hildebrandi;* in quibus doctrinam & vitam ejus gravissimè arguit, & causam omnium motuum tunc ortorum ad ipsum refert.

Auctor Vitæ Henrici IV. quem *Melchior Goldastus* Otbertum, Episcopum Leodiensem esse autumat, in *Dissertatione de Auctoribus p. 34.* Hic prolixa oratione Henrico defuncto parentavit, & laudes ejus percensuit.

Auctor historiæ de Bello Saxonico, metro conscriptæ. Pervenit usque ad finẽ anni 1075. quo Principes Saxoniæ se Imperatoris potestati permiserunt.

Walthramus, Episcopus Naumburgensis, strenuè partes Henrici IV. defendit. Extat ejus *Epistola* ad Ludovicum, Landgravium Thuringiæ pro Imperatore. Item *Apologia* pro Imperatore prolixa, quam *Goldastus* in tres libros dispescuit. Et tandem *Tractatus de Investitura,* in quo ex historiis, consuetudinibus & rationibus probat, merito ac

jure Investituras Episcopatuum ad Principes & Reges pertinere, sub quorum dominio Episcopatus fuerint. Contra Walthramum Gregorii VII. partes tuendas suscepit *Stephanus*, sive *Herrandus, Episcopus Halberstadensis*, scripsitq; Epistolam nomine Ludovici Landgravii ad Walthranum, in qua Imperatorem multorum criminum reum agit. Idem de Walthramo narrat *Joannes Trithemius Catal. illustr. viror. p. 135.*

Eodem tempore *Venericus Vercellensis* Imperatoris causam contra Pontificem *libro de Unitate ecclesiæ conservanda* tutatus est, validis rationibus probans, Henricum injustè ab Hildebrando regno motum.

Ad causam Henrici accuratiùs cognoscendam etiam *Epistolæ* ab ipsomet *Imperatore* ad Gregorium & alios scriptæ, & à *Rein. Reineccio* editæ, plurimum conferunt.

His annumerandus *Ivo, Episcopus Carnotensis*, qui *Epistola LXV.* ad Hugonem, Archiepisc. Lugdunensem pro Imperatore contra Urbanum II. anno 1098. scripta. probat, ubi quis canonicè (ut loquuntur) electus sit, posse Investituram à Principe vel Rege suo petere.

Eodem pertinet *Epistola Sigeberti Gemblacensis*, nomine Leodiensium anno 1103. (vel anno 1107. ut notat *Simō Schardius in sua edit.*) contra Paschalem II. scripta. Hi enim à Pontifice sacris arcebātur, quod partes Cæsaris tuerētur.

Etiam *Monachi Laurishamenses* libellum supplicē, metro scriptum Henrico V. contra Monachos Hildebrandinos de Hirsaugia obtulerunt; aliam item epistolam soluta oratione ad Imperatorem, Paschalē, & Principes imperii scriptam, iisdem opposuerunt, in quibus gravissimè de illis cōqueruntur, eosdēq; turbarum in Ecclesia & Imperio ortarū auctores esse asserunt. *Chronicon Laurisham. in Henrico V.*

His *συγχρόνοις* accedant, qui sequentibus seculis animosè Investituram Imperatoribus adseruerunt. Ut *Johannes de Parisiis*, qui circa ann. 1310. de potestate Regia & Papali scripsit, & causam Henrici IV. contra Pontificem approbavit, *c. 14.*

Dantes Aligherius, qui tempore Ludovici Bavari claruit, & tribus libris *de necessitate Monarchiæ* scriptis, tertio inprimis auctoritatem Romani Imperii non dependere à Romano Pontifice confirmavit.

Theodoricus de Niem, Episcop9 Verdensis, & qui aliquot Papis a secretioribus consiliis fuit, (cujus etiam scriptum de turpi vita Iohannis XXIII. extat) ex antiquissimo quodam MS. Florentino circa ann. 1410. excerpsit libellum *de Investitura Episcopatuum Regum Teutonicorum*, in quo Auctor Carolū M. & Ottonem I. potestatem investiendi Episcopos habuisse, disertè adserit.

Huc referenda primùm gravissima querela cleri & ordinis ecclesiastici, super Papa Henricum excommunicante habita. Quam adfert *Aventinus Annal. Boj. l. V.* p. 573. Et *Oratio Conradi*, Episcopi Trajectensis, in conventu Gerstungensi ad Imperii Principes anno 1085. habita. apud eundem *Aventin. l. V. p. 582.* Nec non *Oratio Eberhardi*, Archiepiscopi Salisburgensis, in Comitiis Imperii Ratisponensibus de Hilbrandi tyrannide dicta; quam ibidem recitat *Aventinus l. V. p. 683.* Addatur *Catalog Test. Veritat. p. 210.*

Alterius generis Scriptores, qui Gregorio adhæserunt, ejusq; causam defensitarunt, editi partim à *Melchiore Goldasto in Replicatione pro imperio*: partim à *Jacobo Gretsero & Sebastiano Tengnagel, in Defensione.* Nam inter Goldastum & Gretserum hæc Hildebrandina controversia magna animorum contentione & verborū acerbitate agitata est.

Ex

Ex his præcipuos adducere operæ pretium putamus. Præterquam quod ipse *Gregorius* longam Epistolam ad Herimannum, Episc. Metensem, de excommunicatione Imperatoris anno 1078. scripsit, etiam *Bruno* libellum de bello Saxonico pro defendendo Pontifice vulgavit, quem *Marq. Freherus* Tom. I. Scriptorum Germanicorum edidit.

Præter hunc *Lambertus Schafnaburgensis* in Chronico suo, ab anno 1670 usq; ad electionem Rudolphi ann. 1077. (nam eo usq; perduxit historiam suam) narrationem suam ad gratiam Romanorum Pontificum accommodat. Herrandum etiam contra Walthramũ scripsisse, pauló antè diximus.

Post hunc *Gotfridus Abbas Vindocinensis*, de ordinatione Episcoporum & Investitura laicorum pro Pontifice scripsit, quo docere vult, cujus sit cõsecrare, ejusdem esse investire.

Inter Gregorii propugnatores etiam est *Gebhardus, Archiepisc. Salisburgẽsis*; cujus Orationem *Bruno*, quem jam diximus, recitat. *Epistolam* ejusdem edidit *Tengnagel*; in qua cùm Gebhardus crimina Gregorio objecta diluere non posset, inter ejus vitam, & officium sacerdotale distinxit.

Etiam *Auctor Vitæ S. Altmanni*, Episcopi Passaviensis, in Henricum invehitur, & Gregorium laudibus ornat. Negat etiam Gregorium rectè depositum, & Wigbertum ei surrogatum. p. 46. 48.

Idem fecit *Auctor Vitæ S. Anselmi*, Episcopi Lucensis. Hic enim Gregorii VII. discipulus, & strenuus, dum vixerat, propugnator fuerat.

Iisdem tẽporibus *Domnizo Presbyter* vitam Mathildis, de qua infra, scripsit, in qua ille multa de sanctitate & morum integritate Gregorii adfert, Henricum, autem graviter perstringit.

Atq; hæc quidem inter Henricum IV. & Gregorium VII. eorumq; propugnatores tunc ita disputata, & denuo ann. 1111. & 1112. inter Henricum V. & Paschalem II. non minori contentione agitata sunt; nihil certi tamen cum utriusq; partis cõsensu definitum aut statutũ est; donec anno 1122. Henricus V. omnes Episcoporum & Abbatum Investituras, per annulum & baculum fieri solitas, Calixto II. cessit, sibi verò reservavit, ut Episcopi & Abbates electi Investituram regalium suorum per sceptrum ab Imperatore acciperent. *Gotfridus Viterbiensis part. 17. in Henrico V. Otto Frising. l. VII. c. 14. & 16. Abbas Ursbergens. in Henr. V. Gobelin. Persona Cosmod. ætat. 6. c. 58. anno 1122. Joann. Trithem. Chron. Hirsaug. anno 1120. Johannes Naucler. Volum. II. gener. 38. ann. 1122. Alb. Krantz. Sax. l. V. cap. 42. H. Mutius Chron. Germaniæ l. XVI. ann. 1122. Joann. Cuspinian. in Henr. V. Carol. Sigon. l. X. de regn. Ital. ann. 1122. Christ.* Lehman *Chron. Spirens. l. V. c. 42. Gerlac9 Buxtorf in XVII. priora Aureæ Bullæ capita, Concl. 66. lit. a.* Hinc in *Speculo Saxon.* der Käyser leihet allen Geistlichen Fürsten Lehen mit dem Zepter/ *l. III. Artic. 60.* Accesserunt tandem pacta novissima, Concordata Germanicæ nationis appellata, anno 1447. inter Fridericum III. & Nicolaum V. inita, quibus Pontifex Electionem & Investiturã in Metropolitanis & Cathedralibus ecclesiis quoad bona ecclesiastica sibi reservavit, & temporalia, in jure territoriali & regalibus cæteris consistẽtia suùm, in Germania, Imperatori reliquit. Cõcordata illa vide apud *Melchior. Goldast. Cõstitut. Imperial. p. 207.* De iisdem agit *Renatus Choppinus de Domanio Franciæ l. II. Tit. 10. n. 6. 7. 8.*

Accepit, b) Adducit hæc ex Helmoldo *Albertus Stad.ann.1067.* At *Baronius* utrumq; multorum mendaciorum, quæ ipsi hîc coacervent, reos facit, *anno 1077. n.47.* & *seqq.* At nihil à vero Helmoldum & Albertum abiisse, liquet ex Auctoribus, quos suprà de bello Saxonico, & controversiâ de Investitura laudavimus.

Rudolphus. b) *Chronicon Augustense*, à Bappenheimio editum, narrat Rudolphum, Ducem de Reinfelde, in Forcham Regem electum, in loco infausto, in Pontii Pilati prædio, & in medio Quadragesimæ oleo sancto imbutum, *anno 1077.* Vide *Burckhardum Monachum c.7.* Rudolphus erat Suevorum Dux, & Rheinfeldi ac Habspurgi Comes *Gaspar Brusch. in Episcop.Wormat. XXXI.*

CAPUT XXIX.

1. Episcopus Argentinensis Romam profectus Imperatori fugam suadet. - - - - - - - 1077.
2. Henricus Româ dilapsus, cum Rudolpho confligit, Idib. Octob. 1080.
3. Rudolphus victus, & lethali vulnere affectus, lamẽtabili oratione Papæ consilium, & suam perfidiam detestatur.

1 SUrrexit ergo quidam Strateburgensis Episcopus, (a) amicissimus Regi Henrico, & velociter vadens Romam, diu quæsitum regem invenit inter memorias martyrum diversantem. De cujus adventu Rex lætior effectus, cœpit percunctari de statu regni, aut si omnia in pace consisterent: cui ille intimavit, novum principem electum, factúque opus esse, ut quantocyus Teutonicam terram reviseret, ad confortandos amicorum animos, & conatus hostium comprimendos. Cúmque Rex prætenderet, nequaquam sibi sine licentia sedis Apostolicæ abeundum: ille respondit, Noveris certè, omne hoc conspirationis malum, de fonte Romanæ perfidiæ manasse. Imò
2 si captionem evadere voles, de urbe tibi clanculo exeundum est. Egressus ergo noctu Rex exiit Italiam, firmatísque pro tempore rebus in Longobardia, venit in Teutonicam terram. Lætatique sunt de insperato adventu Principis omnes civitates Rheni, & universi qui favebant parti ejus Congregavítque exercitum grandem, ut expugnaret Rudolphum, fuítque cum eo famosissimus ille Dux Godefridus, qui postea liberavit Hierusalem, multíque potentum. Saxonum verò atque Suevorum exercitus erant cum Ru-
3 dolpho. Pugnaverunt (b) ergo reges mutuo, & victa est pars Rudolphi, ceciderúntque Saxones & Suevi. Porrò Rudolphus vulneratus in manu dextra, fugit Marcipolim(c), mortíque jam proximus, dixit ad familiares suos. Videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam. Hac ego juravi Domino Henri-

Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus. *S*ed jussio Apostolica, Pontificumque petitio, me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum gravi molestia diem clausit extremum.

Episcopus. a) Hic fuit VVerenharius (VVerenherus) II. ordine XLIIX. qui anno 1065. electus, usq; ad ann. 1078. præfuit. *Gaspar Brusch. Catal. Episcoporum Argent.* Interfuit Synodo Moguntinæ, quæ in causa Caroli, Episcopi Constantiensis, anno 1071. habita est: quam *Sebastianus Tengnagel* in *Veteribus Monumentis* edidit, *p.291.* VVerenherus autem quòd Imperatori faveret, gravissimam Gregorii VII. offensam incurrisse videtur. Nam pænitentia ei à Pontifice injuncta fuit, uti apparet ex *Epist. VI. Sigefridi Archiepiscopi Moguntini ad Gregorium. Ibid. p.307.*

Pugnaverunt. b) Fuit hoc prælium quartum inter Reges commissum. Incidit autē in idus Octobr. anni 1080. secundum *Marianum Scotum.* At *Aventinus* refert ad IV. idus Octobr. *Annal. Boj. lib. V. p.580.*

Marcipolim. c) Merspurg intelligitur, *Monach. Pegav. de Viperto Groicensi, anno 1080. Abbas Ursperg. eodem.*

CAPUT XXX.

1. *Imperator Romam profectus Gregorium VII. sede deturbat, Clemente III. substituto.* - - 1081.
2. *A Clemente consecratur.*
3. *Schisma inter Papas XXV. annorum ortum.*
4. *Saxones eligunt Hermannum Lucelburgium,* den Knoblauchs-König. - - - - - 1082.
5. *Hermannus bis victor portæ cardinibus atteritur.* - - 1087.

TUnc Rex Henricus prosperis elatus successibus, grande Episcoporum 1
collegit concilium, ibique Gregorium Papam, velut regni traditorem, & Ecclesiasticæ pacis perturbatorem, damnari fecit. Inde grandi collecta expeditione transiit in Italiam, occupansq; matrem imperii Romam, multisque civium ibidem interfectis, fugavit inde Gregorium, potitusq; ad votum urbe & senatu, Wibertum, Ravennæ sedis Episcopum, ordinari fecit inPapam, à quo etiam benedictione percepta à populo Romano salutatus est 2
Imperator & Augustus. Factúmque est verbum hoc in laqueum magnum 3
in Israel, si quidem ex illa die orta schismata in Ecclesia Dei, qualia non fue-

 runt

runt à diebus antiquis. Et ii quidem qui videbantur perfectiores & columnæ in domo Dei, adhæserunt Gregorio, cæteri, quos aut timor aut favor Cæsareus agebat, secuti sunt Wibertum, qui & Clemens. Duravitque schisma hoc XXV. annis. Defuncto enim Gregorio successit Desiderius, post quem Urbanus, deinde Paschalis, qui omnes Imperatorem cum Papa suo, ex communicationis sententia damnaverunt, continentes se apud reges Franciæ,
4 Siciliæ, & Hispaniæ, qui catholicam partem tueri videbantur. Saxones quoque, postquam de cæde vires recuperaverunt, statuerunt sibi regem Hermannum quendam, cognomento Clufloch, & instauraverunt prælium ad-
5 versus Henricum Cæsarem: cumque Saxonum nouus Princeps, secundo potitus victoria, castrum quoddam victor ingrederetur, contigit miro Dei judicio, ut porta cardinibus avulsa regem cum aliis quàm plurimus attriverit, conatusque Saxonum etiam tunc frustratus concidit, nec adiecerunt ultra novum creare regem, nec arma ferre adversus Henricum Cæsarem, videntes ei regnum conservari divina voluntate approbante, sive permittente.

CAPUT XXXI.

1. Petrus Monachus ad expeditionē sacram hortatur. - - 1095.
2. Godefrido Bulioneo ductore maximus exercitus eò profectus 1096.
3. Nicæā & Antiochiam 1097. & 1099.
4. Hierosolymam occupant. 1099.

RES (a) digna relatu posteritatisque memoria contigit in diebus Henrici senioris novissimis. Nam Petrus (b) quidam genere Hispanus, professione Monachus, ingressus fines Romani Imperii, vocem prædicationis emisit in universo regno, adhortans populos ire Hierosolymam, pro liberatione civitatis sanctæ, quæ tenebatur à barbaris. Protulit autem epistolam, quam de cœlo affirmavit allatam, in qua continebatur scriptum: Quia impleta sunt tempora nationum, & liberanda esset civitas, quæ calcabatur à gentibus. Tunc ergo universarum regionum Potestates, Episcopi, Duces, præfecti, militares viri, nec non plebeii, abbates, Monachi, egressi sunt ad iter illud Hierosolymitanum sub duce fortissimo Godefrido, fretique virtutis divinæ auxilio, Niceam (d), Antiochiam (e), multasque civitates à Barbaris possessas, receperunt. Inde progressi, civitatem (f) sanctam de manu barbarorum liberaverunt. Et cœpit deinceps pullulare in eodem loco incrementum divinæ laudationis, & adoratur Deus à populis terrarum, in loco ubi steterunt pedes ejus.

Res. a) Brevissimè Auctor hoc capite Christianorum expeditionem sacram ad recuperandam terram sanctam describit, quæ prolixè & integris libris à pluribus, optimæ fidei scriptoribus, qui tum vixerunt, & partim rebus gerendis interfuerunt,

runt, partim ex αὐτοπτῶν relatu, & literis historiam suam concinnarũt, magna diligentia descripta est; in quibus eminent Albertus Aquensis, Wilhelmus Tyrius, Robertus Monachus & Raimondus de Agiles. Ex novitiis addatur *Petrus Bizarus*, qui octo expeditiones sacras singulari tractatu descripsit.

Petrus b) Tantæ expeditionis suscipiendæ primus auctor erat Urbanus II, qui anno 1095. in Novembri in Concilio Claremontano Gallos & Germanos magna contentione ad eam excitabat. *Auctor, qui Gesta Francor. & alior. Hierosolymit. descripsit, l. I. c. 1. 2. Robertus Monachus l. I. ad ann. 1095. Henricus Huntindoniens. lib. VII. anno 1096. Matthæus Paris anno 1095.*

Papa Boamundi consilio pene totam Europam in Asiaticam expeditionem movebat, ut in tanto tumultu omnium provinciarum ipse quidem Romam, ex qua per Guibertum expulsus erat, Boamundus autem Illyricum & Macedoniam occuparent. *Willielmus Malmesbur. l. IV. c. 2.* Erat autem Boamundus Dux Apuliæ, Roberti Guiscardi, Calabriæ & Apuliæ Ducis, filius, & Tancredi Comitis, qui primus istius familiæ auctor, nepos, *Gaufred. Malaterra l. IV. c. 24. Joann. Pistor. Tab. III. genealog.*

Præ cæteris tamen Petrus Eremita Germanos ad hanc expeditionem animabat. Petrus hic non Hispanus, sed Gallus fuit, juxta istius ætatis Scriptores, ortus ex Augusta Ambianorum, quæ in finibus Atrebatum. Petrus eremita ortus de civitate Amiens, quæ est in Occidente de regno Francorum, *Albert. Aquens. in Chron. Hierosl. l. I. c. 2.* Adde *Wilh. Tyr. l. I. c. 11. Jacob. de Vitr. l. I. Histor. Hierosl. c. 15. Guibertũ Abbat. l. II. c. 8. R. Reinecc. Append. ad Albert. l. I. c. 2.*

Ut autem Germani ad sacrum hoc iter non parum Papæ & Petri hujus incitamentis impulsi, ita vel maximè ipsius Cæsaris Henrici IV. auctoritate adducti sunt. Erat enim Germania hujus Imperatoris armis annos tres & viginti graviter afflicta, & Principes reliquaq; nobilitas ita bellis adsueta, ut tantùm arma creparet. Ideo ipse ut publicæ utilitati consuleret, ad sacrum iter eos adhortatur, spe illis facta, se comitem, imò ducem itineris futurum. *R. Reinecc. ibidem.*

Godefrido. c) Godefridus hic natione Gallus erat: patrem Eustachium, Boloniensium Comitem, matrem Idam habebat, Godefridi Gibbosi, Lotharingiæ Ducis, sororem. Huic avunculo suo Antverpiæ anno 1075. interfecto in Ducatu successerat, & Romani Imperii Princeps, vel uti *Rob. Monachus l. I. p. 33.* loquitur, officio dignitatis Dux Teutonicus factus erat. *Guibert. Abbas l. II. c. 12. Magn. Chronicon. Belgicum, p. 132.*

Petrus Eremita ante ipsam Godefridi expeditionem cum XV. mill. sacrorum militum in Asiam profectus est. Sed periit omnis illa multitudo præliis cum Solymanno per Asiam minorem institutis, antequam Palæstinam attingerent, *Conradus Urspergens. ad ann. 1096.* Copiæ, quæ Godefridum sequebantur, non uno omnes tempore viam ingressæ sunt: nam aliæ anno 1096. mense Martio, aliæ April, aliæ Majo, aliæ Iunio, aliæ deniq; Iulio & seqq. mensibus processerunt. *Fulcher. Carnotens. c. II. ann. 1096.* Godefridus ipse in medio Augusto in viam se dedit. *Mar. Sanut. lib. III. part. 4. c. 9.*

Niceam.

Niceam. d) Obſidio cœpit idibus Maji, anno 1097. *Wilh. Tyr. l. II. c. 21, Sanut. l. III. part. 4. cap. 13.* Quod autem alii ſacros milites pridie Non. Maji ad Niceam perveniſſe ſcribunt, ut *Baldric. Archiep. l. I. pag. 94. Guib. Abb. lib. III. cap. 4.* id de illis militibus intelligendum, qui præceſſerant, & primi ad urbem pervenerant.

Principes obſidionis erant Boamundus, Tancredus, Godefridus, Comes Flandriæ, Comes Normanniæ, Comes S. Ægidii & Comes Podienſis.

Urbs capta eſt XII. Kal. Jul. *Wilh. Tyr. l. III. c. 12. Mar. Sanut. l. III. part. 4. c. 13.*

Tatinus, (qui *Wilh. Tyrio* Taninus) Imperatoris Conſtantinopolitani familiaris, ſequeſter pacis, cum civibus egit, ut, quia antea civitas ſub poteſtate Imperatoris Byzantini fuerit, (nam annos tantùm XIV. illam jam Turci tenuerant, *Raimond. de Agiles p. 148.*) & hic Chriſtianus exercitus nunc ad alia Orientis loca feſtinans eam contra Turcorum inſultus tueri non poſſit, urbem priſtino domino tradant. Ita Principibus ſacri exercitus conſentientibus Nicea, & præſidium in ea Turcicum, in deditionem Imperatoris Græci pervenere. *Albert. Aquenſ. l. II. c. 37. Wilh. Tyr. l. III. 2. c. 11.*

Antiochiam. e) Antiochiæ obſidio inchoata XV. Kal. Nov. anno 1097. *Wilh. Tyr. l. IV. c. 12.* Juxta alios XII. Kal. Nov. *Auctor Geſtor. Francor. l. IV. c. 12. Baldric. Archiep. l. II. p. 101. Rob. Monach. l. III. in fine. Guib. Abb. lib. IV. cap. 3.*

Urbs capta eſt III. Non. Jun. 1098. *Wilh. Tyr. l. V. c. 23. Albert. Aquenſ. l. IV. c. 25. Baldric. Archiep. fine libri II. Raimond. de Agiles p. 149. Gotfridus Viterbienſis part. 17. p. 496.*

Civitatem. f) Obſidio cœpta eſt VII. Id. Jun. anno 1099. *Wilh. Tyr. l. IIX. c. 5.*
Lucis ſeptenæ jam Junius igne calebat,
Hieruſalem Franci cum vallāt obſidione.
Fulcher. Carnot. c. 28. ad ann. 1099.

Supererant tunc de exercitu Bulionei LX. millia, ut *Albert. Aquenſ. l. V. c. 45. Wilhelm. Tyr.* habet tantùm XL. millia. *Marinus Sanut.* ſcribit, tum non amplius, quàm XX. millia pugnatorum, & ſexcentos tantùm equites, imbelles verò ad XX. millia fuiſſe, *lib. III. part. 5. c. 8.*

Urbs capta eſt Idibus Julii anno 1099. *Wilh. Tyr. l. IIX. cap. 18. & 24. Alb. Aquenſ. l. VI. c. 24. & 28. Baldric. Archiep. l. IV. p. 134.* & cæteri. *Robertus Monachus l. IX. p. 75.* hos adducit verſus:

> Anno milleno centeno quo minus uno
> Jheruſalem Franci capiunt virtute potenri.

Judæorum de hac Godefridi expeditione, & de ejuſdem cum R. Salom. Jarchi colloquio fabulas exponit & confutat *Chriſtoph. Helvicus Judaic. hiſtor. part. II. c. 53.*

CAPUT XXXII.

1. Mortuo Clemente Imperator à Paſchale II. & Principibus Imperii deponitur. - - 1102. & 1106.

2. Epiſcopi ab illo inſignia Imperii poſtulant. - - - - 1106.

3. Impe-

5. Imperator cum ipsis de summa actionis hujus iniquitate disputat.
4. Ipsi impetu in illum facto insignia Imperij ei detracta ad filium deferunt.

Post dierum tempora illorum mortuus est Wibertus, qui & Clemens, & 1
sopita sunt schismata, & rediit universa Ecclesia ad Paschalem, & factum est unum ovile & unus pastor. Igitur ubi firmatus est Paschalis in sede, præcepit excommunicari Imperatorem ab universis Episcopis, & Catholicæ Ecclesiæ cultoribus, & eo usque sententia hæc inualuit, ut collecta generali curia, principes, Henrico diadema tollendum, & ad filium ejus æquivocum transferendum decernerent. Erat autem idem jam dudum ex petitione patris designatus in Principem. Missi ergo à principibus venerunt ad 2
regem, qui tunc forte consistebat in corte regia Hilgellisheim, Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis, & pertulerunt ad eum mandatum ex ore Principum, dicentes: Fac nobis reddi coronam, annulum & purpuram, cæteraque ad investituram Imperialem pertinentia, filio tuo deferenda. Illo percun- 3
ctante dejectionis suæ culpam, responderunt, dicentes, Quid quæris ea, quæ optimè nosti? Meministi qualiter universa Ecclesia tui causa maximo schismatis errore multis jam annis laboraverit, qualiter Episcopatus, Abbatias, præterea omnia Ecclesiæ regimina fecisti venalia, nec fuit in constituendis Episcopis ulla legitimæ electionis facultas, sed sola pecuniæ ratio. Pro his & aliis causis sanxit autoritas Apostolica, favítque principum unanimitas, te non solùm regno, verum etiam ecclesiastica communione privandum. Quo contra Rex ait: Dicitis quia spirituales dignitates precio vendiderimus, vestra quidem potestas est, tale nobis crimen impingere. Dic ergo ô Moguntine, dic adjuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus, aut recepimus, quando te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Coloniensis per fidem te contestamur, quid nobis dedisti pro sede, cui nostra munificentia præsides? Illis fatentibus, nihil pecuniæ hujus rei gratia aut oblatum aut acceptum, Rex ait, Gloria Deo, quia vel in hac parte fideles inuenti sumus. Certè dignitates eæ duæ præstantissimæ sunt, & magnum quæstum Cameræ nostræ referre poterant. Porrò Dominus Wormatiensis, qualis à nobis susceptus, ad quid promotus, si pietate, vel quæstu erga ipsum usi fuerimus, nec vos nec ipsum latet. Condignam ergo beneficiis nostris rependitis gratiam? Nolite, quæso, effici participes eorum, qui levaverunt manus adversus Dominum & regem suum, & temeraverunt fidem & juramentorum sacramenta. Ecce jam defecimus, parúmque nobis viæ restat, senio & labore confectis: sustinete

 modi-

modicum, & nolite gloriam noſtram confuſione terminare. Si autem nobis cedendum omnino eſſe dicitis, & manet fixa ſententia, præfigantur induciæ, ſtatuatur dies placiti, ſi Curia adjudicaverit, filio noſtro coronam manibus propriis reſignabimus. Generalem itaque curiæ audientiam expetimus. Illis è contrario nitentibus & dicentibus, ſe negotium, pro quo miſſi fuerant, fortiter expleturos, Rex parumper avulſus ab eis, fidelium ſuorum participavit conſilio. Vidénſque quia legati veniſſent ſtipati militia, & non eſſet locus reſiſtendi, fecit ſibi regiam exhiberi præparaturam, qua indutus, & in ſedem receptus, legatos alloquitur dicens: Hæc quidem Imperialis honoris inſignia mihi præſtitit æterni regis pietas, & principum regni electio concors. Potens autem eſt Deus, qui me ad hoc culmen ſua dignatione provexit, mihi conſervare quod conceſſerit, manúſque veſtras à cœpto opere cohibere. Divino enim præſidio nos enixius inniti oportet, omni ſcilicet militia & armis deſtitutos. Hactenus quidem externis bellis impliciti, ſemper in cuſtodiæ noſtræ diligentia conſtitimus, omnes impugnationum jacturas, propitia divinitate, partim conſilio, partim virtute prælii evincentes. Hoc autem inteſtinum malum ſicut nec ſuſpectum habuimus, ita nec præcavimus. Quis enim in orbe Chriſtiano tantum nefas conſurgere crederet, ut jurata principi Sacramenta fidelitatis irritentur, ſuſcitetur filius adverſus patrem, poſtremo nulla beneficiis gratia, honeſtati reverentia exhibeatur? Certè majeſtas Imperatoria eam etiam ergo hoſtes honeſtatis diſciplinam ſervare conſuevit, ut proſcribendis ſive damnandis, vocationum ſive induciarum remedia non negaverit, antè præmuniens quàm feriens, prius invitans per gratiam, quàm damnans per ſententiam. At nobis contra fas, vocationes & audientia negantur. Ideóque præfocamur, ne audiamur. Quis tantam mentis alienationem à fidiſſimis amicis, maximè verò à Pontificibus crederet? Dominum ergo factorem Orbis vobis proponimus, ut ipſius terror vos coherceat, quos pietas non revocat. Quòd ſi nec Deum nec honeſtatem veſtram reveremini, ecce præſentes ſumus, violentiam explodere non poſſumus, neceſſariam eſt vim ſuſtinere, cui refragari locus non eſt. Cœperunt ergo Pontifices hæſitare quid agerent: Magnarum enim rerum ingreſſus ſemper ſunt difficiles. Tandem Moguntinus allocutus eſt ſocios, dicens: Quouſque trepidamus, ô ſocii? Nonne officii noſtri eſt Regem conſecrare, conſecratum inveſtire? Quod ergo Principum decreto impendere licet, eorundem authoritate tollere non licet?

licet? Quem meritum investivimus, immeritum quare non divestiamus? Statimq; accepto conamine, regem aggressi sunt, eique coronam de capite abruperunt. Deinde sublatum de sede, purpura, cæterísque quæ ad sacram investituram pertinent, funditus exuerunt. Tunc Rex confusione circundatus, ait ad eos: Videat Deus & judicet, quia iniquè agitis contra me. Ego quidem luo peccata adolescentiæ meæ, recipiens à Domino stateram æqui ponderis, ignominiam & confusionem, quantam nemo regum, qui ante me fuerunt, sustinuisse dinoscitur. Non vos tamen ideo immunes à peccato, qui levastis manus adversus Dominum vestrum, & prævaricati estis jusiurandum quod jurastis: Videat Deus & ulciscatur in vos, Deus, inquam, ultionum Dominus. Non consurgatis neque crescatis, neque prosperetur honor vester, sitque portio vestra cum eo, qui tradidit Christum Dominum. At illi obturantes aures suas, perrexerunt ad filium, deferentes ei Imperialia, firmantésque eum in regnum.

æquivocum) Valet illis scriptoribus idem quod cognominis, ut passim exemplis liquet.

Moguntius,) Moguntinus hic fuit Ruthardus: Coloniensis Hermannus III, Dives vulgo dictus: Wormatiensis Adelbertus, è Saxoniæ Ducibus. *Gaspar Bruschius Episcop. Mogunt. XLII. Wormatiens. XXXII. Petrus Merssæus Episcop. Mogunt. XXVI. Coloniens. XXXVII.*

CAPUT XXXIII.

1. *Imperator fugiens à Comite Limburgensi Coloniam deducitur.* 1106.
2. *Filio Coloniam obsidente, pater noctu elapsus Leodium fugit.*
3. *Imperator primo conflictu superior, altero vincitur.*
4. *Captus & indignissimè habitus, moderatè tulit adversa.*
5. *Ab Episcopo Spirensi non obtinet reditus alicujus Canonicatus.*
6. *Moritur Leodij VI. Id. Aug.* 1106.
7. *Magna ejus extiterat in Ecclesias munificentia.*
8. *Imperatores post ipsum opposuerunt se Episcoporum conatibus.*
9. *Henricus V. successit.* - - 1106.

SUrrexit ergo filius adversus patrem, & expulit eum à regno: Ille fugiens à facie filii sui, pervenit ad Ducatum, qui dicitur Linthburg, pergens & accelerans, ut evaderet manus quærentium animã ipsius. Erat 1

autem in regione illa Princeps nobilis, quem Cæſar, adhuc ſui compos, ducatu de Linthburg deſtituerat, & alii dederat. Accidit ergo, ut idem princeps fortè venationi deditus eſſet prope viam, cùm Cæſar tranſiret, comitatus viris novem, animadvertítque, quia fugeret à facie filii ſui. Iam enim aliquid auditum fuerat. Sedénsque in equo, aſſumptis militibus inſecutus eſt regem velocius. Quem videns Cæſar, & reputans hoſtem, cœpit metuere de vita, & exclamans voce magna cœpit poſtulare veniam. At ille: Malè, inquit, Domine erga me meruiſtis, qui ſupplicanti quondam omnem negaſtis gratiam, & abſtuliſtis mihi ducatum meum. Hoc eſt, ait Cæſar, quod nunc luo, quia filius meus ſurrexit contra me, & depulſus ſum ab omni honore meo. Videns ergo Princeps ille regem deſolatum, miſeratione commotus, ait ad eum: Licet quidem poteſtate veſtra in me abuſus fueritis, Deus tamen novit, quia magna ſuper vos pœnitudine movear. Impietas enim maxima adverſum vos commiſſa eſt, ab eis maximè, apud quos pius & beneficus ſemper extitiſtis. Quid ergo vobis videtur, éſtne vobis inter Principes aliquis relictus?

Cúmque Cæſar diceret ſe ignorare, eo quòd necdum eſſet tentatum, ille ait: Potens eſt Deus adhuc reſarcire honorem veſtrnm, eo quòd iniquè actum ſit adverſus vos. Facite ergo, quod ſuadeo, aſcendite urbem hanc, & habete corporis feſſi curam, mittamúſque ad regiones & civitates, tentare, ſi poſſimus alicubi invenire auxilium. Forſitan enim non ex toto defecit juſtitia à filiis hominum. Nec mora, miſit circumquaque pro militibus, collegítque quaſi octingentos loricatos, aſſumptúmque Cæſarem perduxit in civitatem
2 magnam, Coloniam. Colonienſes verò receperunt eum. Quod cùm audiſſet filius, venit cum exercitu grandi, & obſedit Coloniam. Cúmque obſidio vehementer increſceret, Cæſar timens civitati, noctu elapſus fugit Leo-
3 dium. Et convenerunt illic ad eum omnes viri conſtantes, & quorum corda miſeratio tetigerat. Perſpectóque auxiliatorum numero, dimicare ſtatuit. Quem cùm filius perſequeretur in manu gravi, ille egreſſus eſt in occurſum ejus ad aquas Moſanas. Rogavítque Principes & omne robur exercitus ſui, dicens, Si fortiſſimus Deus nos hodie adjuverit in prælio, factíque fuerimus in conflictu ſuperiores, ſervate mihi filium meum, & nolite interficere eum. Commiſſum eſt ergo prælium, & prævalens pater fugavit filium trans pontem, multíque occiſi gladio, plures aquis præfocati ſunt. Rurſus inſtauratum eſt prælium & Cæſar ſenior victus, concluſus, comprehenſus eſt.
4 Quantas autem contumelias, quanta opprobria vir iſte magnificus in illis diebus pertulerit, ſicut relatu difficile, ita auditu lamentabile eſt. Inſultabant ei

ei amici, illudebant illi nihilominus inimici. Denique, ut ajunt, paupercu-lus quidam, ſed literatus, coram omnibus adorſus eſt eum dicens: Invetera-te dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ prius operabaris, ju-dicans judicia injuſta, opprimens juſtum & dimittens noxium. Cui cùm a-ſtantes iraſcerentur, viri ſcilicet ſenſati, Cæſar compeſcuit eos dicens, Noli-te, quæſo, iraſci in eum. Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam meam, quanto magis alienus? Sinite eum ut maledicat, quia
voluntas Dei eſt. Erat autem illic Epiſcopus Spirenſis, Cæſari quondam di- 5
lectiſſimus: nam & templum ingens Dei genitrici apud Spiram conſtruxerat. Præterea civitatem & Epiſcopium decenter promoverat. Dixit ergo Cæſar ad amicum ſuum Epiſcopum de Spira: Ecce deſtitutus regno, decidi a ſpe, nihilque mihi utilius eſt, quàm renunciare militiæ. Da ergo mihi præben-dam apud Spiram, ut ſim famulus Dominæ meæ Dei genetricis, cui devotus ſemper extiti. Novi enim literas, & poſſum ad huc ſubſervire choro. Ad quem ille: per matrem, inquit, Domini, non faciam tibi quod petis. Tunc Cæſar ſuſpirans & illacrymans ad circumſtantes ait, Miſeremini mei, miſe-
remini mei vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me. Mortuus (d) 6
eſt autem Cæſar eo tempore Leodii, ſtetitque (e) corpus ejus inhumatum in capella quadam deſerta quinque annis. Tanta enim ſeveritate Dominus Papa & cæteri adverſarii ejus in ipſum ulti ſunt, ut mortuum vel humari non ſinerent. O magna Dei judicia, quæ completa ſunt in tam præpotenti viro. Sperandum autem quòd caminus ille tribulationis decoxerit in eo ſcoriam, tulerit rubiginem: quoties enim in præſenti judicamur, à Domino corripi-
mur, ut non cum hoc mundo damnemur. Fuit (f) autem Eccleſiis admodum 7
bonus, his videlicet quas ſibi fideles perſenſit. Porrò Romanum antiſtitem Gregorium & cæteros inſidiatores honoris ſui, ſicut in feſtos habuit, ita et-iam infeſtare ſtuduit. Impulit eum ad hoc, ut multi dicunt, gravis neceſſitas. Quis enim vel minimam honoris ſui jacturam æquanimiter ferat? Legimus autem, quia multi peccaverunt, quibus tamen ſubventum eſt pœnitentiæ re-medio. Certè David peccans & pœnitens, Rex & Propheta permanſit. Rex autem Henricus ad veſtigia Apoſtolorum jacens, orans, ac pœnitens, gratis peſſundatus eſt, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed diſputaverint de his qui ſcierint, vel auſi fuerint. Unum
hoc ſcire licet, quia Romana ſedes adhuc hodie luit factum illud. A tempo- 8
re enim illo, quotquot regnant de ſtirpe illa, omnibus modis nituntur humi-liare Eccleſias, ne reſumant vires conſurgendi adverſus Reges, nec inferre
quæ intulerunt patribus eorum. Regnavit autem Henricus junior pro patre 9

suo, fuitq; concordia inter regnum & sacerdotium, sed non multo tempore. Nam nec ipse prosperatus est in omni vita sua, irretitus similiter ut pater ejus à sede Apostolica. De quibus suo loco dicendum est. His ergo de perturbationibus Imperii, & variis Saxonum bellis necessariò prælibatis, eo quòd Slavis causam defectionis vel maximam præbuerint, jam nunc redeundum est ad historiam Slavorum, unde longius digressus sum.

Princeps. a) Erat hic Henricus, Comes Limburgensis, qui à Godefrido Bulioneo Ducatum Lotharingiæ, non requisito Imperatoris consensu, acceperat. Hunc Imperator bello illato coegerat sese dedere, & Lotharingiâ cedere. *Sigebert. Gemblacens. anno 1101. Seth. Calv. eodem.*

adorsus. b) pro adortus, vitiosè mediæ ætatis scriptoribus dictum. Vide *Gerard. I. Voss. de Vit. Serm. l. I. c. 24.*

Spirensis. c) Fuit Gebhardus, Comes Auracensis. *Gasp. Brusch. Episc. Spir. XXXV.*

Mortuus. d) VI. Id. Augusti anno 1105. *Monach. Pegaviensis, Auctor addition. ad Schafnaburg. Dodechimus append. ad Mar. Scotum.*

Stetitq;. e) Narrat *Gotfridus Viterbiensis*, ubi Henricus Leodii mortuus esset, more regio ibi sepultum quoq; fuisse. Postea autem jussu Romani Pontificis è cœmiterio ejectum, eidemq; omnem Christianam sepulturam negatam esse. Deinde corpus ejus Leodio Spiram in feretro deportatum, ibidemq; in sacello sanctæ Aphræ quinq; annos insepultum in feretro servatum fuisse. *Part. 16. p. 504.* Adde *Chron. Germaniæ H. Mutÿ, p. 130.*

Fuit. f) Egregiè eandem Henrici munificentiam commendat *Auctor vitæ illius in Proœmio, & fine scripti.*

CAPUT XXXIV.

1. Henricus, Godscalci filius, Cruconis, terras excursionibus vexat.
2. Cruco insidiosè cum illo pacificatur.
3. Henricus Crucone interfecto viduam ducit, & Magno, Duci Saxoniæ jurat. - - - - - 1105.
4. Nordalbingos fœdere sibi jungit.
5. Slavi, qui versus Austrum &c. indignè ferunt, Henricum Christianam religionem fovere, & Duci tributarium factum esse.
6. Henricus illos Magni auxiliis magno prælio in agro Raceburgensi vincit.
7. Omnes Slavi hoc prælio Henrico vectigales facti.
8. In tota Slavia tunc unicum supererat templum, idq; in veteri Lubecæ circa annum. - - - - 1106.

Factum

FActum est autem, postquam Cruco Slavorum princeps, & Christiani 1
nominis persecutor, confectus est senio, Henricus filius Godescalci
egressus est Dacia, & reversus est in terram patrum suorum. Cui cùm
Cruco introitum præcluderet omnem, ille collecto de Danis simul atque
Slavis navium numero, percussit Aldenburg, & omnem maritimam
Slavorum provinciam, duxitque de eis infinitam prædam. Et cùm hoc 2
secundò & tertiò fecisset, factus est timor magnus omnibus Slavorum
populis, insulas & littus maris habitantibus, adeo ut ipse Cruco præter
spem Henricum ad pacis conditionem admitteret, & concesso introi-
tu, villas ei opportunas ad habitandum concederet. Nec tamen hoc
egit syncera intentione: virum enim juvenem, fortem, & bellicosum,
quem vi nequibat, fraude opprimere gestiebat. Unde etiam per interstitia
temporum accuratis conviviis animum ejus explorabat, pertentans oppor-
tunum insidiis locum. At illi ad cavendum nec consilium nec doli
deerant. Nam Domina Slavina, uxor Cruconis, sæpius illum præ-
munivit, denuncias insidias. Denique marito jam vetulo infensa, Hen-
rico, si possibile foret, nubere affectabat. Unde etiam instinctu ejusdem 3
fœminæ, Henricus invitavit Cruconem ad convivium, quem multa po-
tione temulentum, cùm æstuarium, in quo bibebant, incurvus exiret,
Danus quidam de servis securi percussit, & uno ictu caput amputavit.
Et accepit Henricus Slavinam in uxorem, & obtinuit principatum
& terram. Occupavítque munitiones, quas antè habuit Cruco, & reddi-
dit hostibus suis ultionem. Accessit etiam ad Ducem Magnum, eo quòd co-
gnatus ejus esset, & magnificatus est apud eum, fecítque ei juramentum
fidelitatis ac subjectionis. Sed & Nordalbingorum populos, quos 4
Cruco vehementer attriverat, iste convocavit in unum, & iniit cum
eis pactum firmissimum, nulla bellorum tempestate convellendum. Et
lætati sunt Holzatenses, necnon Sturmarii, cæteríque Saxones, Sla-
vis contigui, eo quòd corruisset hostis eorum maximus, qui tradidisset
eos in mortem & in captionem, & in exterminium, & surrexisset
pro eo princeps novus, qui diligeret salutem Israel. Servierúntque ei
ex animo properantes cum eo ad varia bellorum pericula, parati cum
eo aut vivere aut mori fortiter. Audientes ergo universi Slavorum po- 5
puli, ii videlicet, qui habitabant ad orientem & Austrum, quòd surrexisset
inter eos Princeps, qui dicat subiacendum Christianis legibus, & tributa
Principibus solvenda, vehementer indignati sunt, convenerúntque
omnes

omnes una voluntate & eadem sententia, ut pugnarent adversum Henricum,& statuerunt in locum ejus,qui erat Christicolis oppositus omni tempo-
6 re. Nunciatúmque est Henric ,quia egressus est Slavorum exercitus ad destruendum eum,& statim direxit nuncios ad accersendum Ducem Magnum, & fortissimos Bardorum, Holzatorum, Sturmariorum atque Thetmarchorum, qui omnes occurrerunt prompto animo & voluntario corde. Et progressi sunt in terram Polaborum in campum, qui dicitur Smilowe,(a) ubi exercitus hostilis erat diffusus super latitudinem terræ. Videns ergo Magnus, quia exercitus Slavorum grandis esset, & armis instructus, timuit congredi. Protractúmque est bellum à mane usque ad vesperam, eo quòd internuncii tentarent pugnam conditionibus dirimere, Dux quoque expectaret auxilium militum, quos superventuros sperabat. Factum est autem circa occasum solis,& ecce speculator ducis nunciat militiam armis instructam eminus accedentem, quibus visis Dux lætatus est. Saxonibus augescunt animi, sublatóque clamore aggressi sunt prælium. Et perrupta est acies Slavorum, disiectique per fugas, occisi sunt in ore gladii. Et facta est victoria illa Saxonum celebris, & recordatione digna, eo quòd adfuerit dominus credentibus in se, & concluserit multitudinem in manu paucorum. Referunt ij, quorum patres interfuerunt, quia solis splendor jam occumbentis, objectos Slavorum oculos in congressu adeò obtuderit,ut præ lumine nihil videre potuissent, fortissimo Deo hostibus suis, in minimo, maximum præbente offen-
7 diculum. Servierúntque à die illa omnes illæ orientalium Slavorum nationes Henrico sub tributo, factúsque est apud Slavorum gentes notissimus, in his quæ ad honestatem & pacis bonum pertinent nobiliter clarens. Præcepítque Slavorum populo, ut coleret vir agrum suum, & exerceret laborem utilem & commodum, extirpavitque latrunculos & viros desertores de terra. Et exierunt Nordalbingorum populi de munitionibus, in quibus inclusi tenebantur; propter timores bellorum, & reversi sunt unusquisque in villam & possessionem suam, & reædificatæ domus & Ecclesiæ, bellorum tempesta-
8 tibus dudum dirutæ. Porrò in universa Slavia necdum erat Ecclesia vel sacerdos, nisi in urbe tantùm, quæ nùnc vetus Lubika dicitur, eo quòd Henricus cum familia sua sæpius illic moraretur.

Smilovve. a) *Edd.* legebant *Zenilowe.* corruptè. Smilovve, vel Zmilovve campo nomen in hunc diem manet. Et id nomen in *MSS. L. B.* & *S.* rectè legitur.

CAPUT

CAPUT XXXV. (XXXVI.)

1. *Magno mortuo Henricus Imperator Lothario, Comiti Supplenburgensi, Ducatum Saxoniæ confert. 1106.*
2. *Albertus Ursus & Henricus Leo Magni ex filiabus nepotes.*
3. *Lotharius Saxones & Slavos imperio tenet.*
4. *Godefridus, Holsatiæ & Stormariæ Comes, latrones insequens, ex insidiis cæditur. - - - 1106.*

MOrtuus est post hæc Dux Saxoniæ Magnus, & dedit Cæsar Ducatum 1
Ludero Comiti, eo quòd Magnus non haberet filium sed filias. Quarum 2
una Eilike nomine nupsit Ottoni Comiti de Ballenstede, genuitque ei Adalbertum Marchionem, cognomento Ursum. Altera verò filiarum Wulffildis nomine, data est Duci Bavariæ Catulo, quæ peperit ei Henricum Leonem. Luder autem obtinuit ducatum Saxoniæ, & gubernavit cum modestia tam 3
Slavos quàm Saxones. Accidit autem in diebus illis, ut latrunculi Slavorum 4
venirent in Sturmariam, & tollerent prædam de jumentis, & captiones hominum prope civitatem Hammenburg. Ad vocem autem clamoris surrexit comes provinciæ illius, Godefridus, (a) cum aliquantis civium de Hammenburg, & persecutus est latrones. Sentiens autem quia multi essent, substitit aliquantisper, donec veniret ei majus auxilium. Præteriens ergo rusticus quidam, cujus uxor & filii captivi ducebantur, increpavit Comitem dicens, Quid trepidas ô vilissime? habes cor muliebre, non virile. Certè si videres uxorem tuam & filios abduci sicut meos, non subsisteres. Propera, festina, libera captivitatem, si de cætero in terra honorari volueris. His verbis irritatus Comes, abiit velociter sequens hostes. At illi posuerant post se insidias, & cùm præteriret Comes cum paucis, surrexerunt insidiæ de locis suis, percusseruntque Comitem, & cum eo viros quasi viginti, & abierunt via sua, cum præda quam rapuerant. Provinciales autem pariter insequentes, invenerunt Comitem interfectum, caput verò ejus non repererunt, eo quòd defectum Slavi illud secum duxissent. Quod postmodum multo precio redemptum, in patriis reconditum est sepulchris.

Godefridus. a) Qui ante hunc Godefridum Holsatiam tenuere, vide apud *Casp. Danckw. part. III. c. 2.*

CAPUT XXXVI. (XXXVII.)

1. *Lotharius Dux Holsatiam Adolpho Schawnburgensi tribuit. 1106.*
2. *Rügiani Lubecam veterem navali exercitu obsident.*
3. *Rügianorum mores, ritus & sacra.*
4. *Henricus contractis ex Holsatia copiis Rügianos vincit.*

5. Sancit, ut dies victoriæ quotannis festus habeatur.

6. Henricus hac victoria omnium Slavorum, ad Poloniam usq;, Rex factus est.

1 COmitiam (a) vacantē dedit Luderus Dux nobili viro Adolfo de Scowenburg. Fuitque pax inter Adolphum Comitem, & principem Slavorum
2 Henricum. Quodam ergo tempore cùm Henricus resideret in urbe Lubeke, ecce improvisus supervenit exercitus Rugianorum sive Ranorum, sub-
3 vectique per alveum Trabenæ, urbem navibus circumdederunt. Sunt autem Rani, qui ab aliis Runi appellantur, populi crudeles, habitantes in corde maris, idololatriæ supra modum dediti, primatum præferentes in omni Slavorum natione, habentes regem, & fanum celeberrimum. Vnde etiam propter specialem fani illius cultum, primum venerationis locum obtinent, & cùm multis jugum imponant, ipsi nullius jugum patiuntur, eo quòd inaccessibiles sint propter difficultatem locorum. Gentes quas armis subegerint, fano suo censuales faciunt. Major flaminis quàm regis veneratio apud ipsos est: qua sors ostenderit, exercitum dirigunt. Victores aurum & argentum in ærarium Dei sui conferunt, cætera inter se partiuntur. Hi ergo dominationis libidine provocati, venerunt Lubeke, veluti possessuri omnem
4 Wagirensium & Nordalbingorum provinciam. Videns autem Henricus improvisum obsidionis malum, dixit ad principem militiæ suæ: Consulendum est saluti nostræ, & virorum qui nobiscum sunt, & necessarium mihi videtur, ut exeam ad contrahenda auxilia, si fortè possim urbem obsidione liberare. Esto ergo vir fortis, & conforta bellatores qui in hac urbe sunt, & servate mihi urbem usq; in diem quartum. Tunc enim vita comite, apparebo super montem illum. Et elapsus noctu cum duobus viris, venit in terram Holsatorum, nuncians eis imminens periculum. At illi in unum conglobati, occurrerunt cum eo ad prælium, venerúntque prope munitionem, quæ expugnabatur ab hostibus. Et collocavit Henricus socios in latibulis, præcepitque eis in silentio esse, ne fortè hostes audirent vocem multitudinis, aut hinnitum equi. Avulsúsque à sociis, uno tantùm contentus servo, venit ad locum, quem præfixerat, unde videri posset ab urbe. Cujus faciem præfectus urbis callidè observans, ostendit eum amicis, quorum animi consternati erant. Nam fama pertulerat ad eos, quòd Henricus nocte qua agressus est, captus esset ab hostibus. Contemplatus ergo Henricus suorum periculum, & obsidionis feruorem, reversus est ad socios, dissimulatóque itinère, circumduxit exercitum per viam maris, usque ab ostium Trabenæ, descenditque

ditque per viam, qua Slavorum equites deſcendere debebant. Ubi ergo
Rani viderunt multitudinem per iter maris deſcendentem, putabant equites
ſuos eſſe, exierúntque de navibus in occurſum eis cum gaudio & plauſu. At
illi ſublato clamore in oratione & hymnis, inſiluerunt in hoſtes ſubito, &
perterritos inopinato caſu, ad naves uſque propulerunt. Et facta eſt ruina
magna in exercitu Ranorum in die illa, ceciderúntque interfecti coram ca-
ſtro Lubeke, nec fuit minor numerus eorum, qui aquis præfocati ſunt, quàm
occiſorum gladio. Fecerúntque tumulum magnum, in quo projecerunt cor-
pora mortuorum, & in monumentum victoriæ, vocatus eſt tumulus ille, Ra-
niberg, uſque in hodiernum diem. Magnificatúsque eſt Dominus Deus in 5
manu Chriſtianorum in die illa, ſtatuerúntque ut dies Calendarum Auguſti
celebretur omnibus annis, in ſignum & recordationem, quòd percuſſerit
Dominus Ranos in conſpectu plebis ſuæ. Servierúntque Ranorum populi 6
Henrico ſub tributo, quemadmodum Wagiri, Polabi, Obotriti, Kycini, Cir-
cipani, Lutici, Pomerani, & univerſæ Slavorum nationes quæ ſunt inter Al-
biam, & mare Balticum, & longiſſimo tractu portenduntur uſque ad ter-
ram Polonorum. Super omnes hos imperavit Henricus, vocatúſque eſt rex
in omni Slavorum & Nordalbingorum provincia.

Comitiam. a) Circa ann. 980. & poſtea Ottone III. imperante præcipuæ nobilitatis vir in Epiſcopatu Mindenſi ad Viſurgim habitavit; qui juxta *Hermann. de Lerbeke in Chronico Comit. Schawenb. p. 7.* & *Henric. Meibom. in Notis p. 45. & 46.* ex Nobilium Sanderslebienſium antiquâ in Epiſcopatu Magdeburgico familia ortus: at juxta *Krantz. Sax. l. IIX. c. 26.* & *Metrop. l. III. c. 47. Dav. Chytr. Sax. l. I.* & *II.* & *Cyriac. Spangēberg. Chron. Schawenb. l. I. c. 4.* ab antiquis Francis, qui Salingi dicti, genus duxit. Duó nobili huic viro filii nati, Bruno & Adolphus; quorum ille propter raram eruditionem & varium rerum uſum primùm Conradi II. Cancellarius, pòſt anno 1037. ejusdem Imperatoris interceſſione Epiſcopus Mindènſis factus eſt; hic, Adolphus, poſtquam Imperatori in variis expeditionibus multis rebus fortiter geſtis ſe commendaſſet, ille eum primùm Mindæ Equitis dignitate ornavit. Epiſcopus autem Mindenſis, Sigebertus, eidem Adolpho, quòd fideli ejus operâ ad res ſuas in aula Cæſarea expediendas ſæpe uſus eſſet, bona quædam in ſuo Epiſcopatu, & in his montem urticarum (den Nettelnberg) in feudum conceſſit. In hoc ille arcem Schavvenburgum condere cœpit. Cùm ergo Imperator ann. CHr. cIↃ XXIX. & cIↃ XXX. Mindæ in Weſtphalia conventum Imperii ageret, eodem ſe & Adolpus conferebat. Ibi ab Imperatore conſenſu Epiſcopi, præſentibus Imperii Principibus, anno cIↃ XXX. Comitis dignitate ſolenniſſimè decoratur, & ab eodem folia urticæ à monte urticarum inſignia accipit, quæ adhuc in inſignibus Ducum

Holſatiæ ſuperant. Inde effluxerant jam anni ſeptuaginta & ſex, cùm Lotharius Adolpho Schavvenburgenſi etiam Holſatiam anno 1106. tribueret. Illo enim anno id juxta aſſertionem *Herm. de Lerbeke* factum. Annum, cui Comitatus Schavvenburgicus primordia ſua debet, exprimunt etiam antiqui verſiculi:

Annis centenis nongentis ter quoq; denis
Poſt Chriſtum natum Schomborg tenet initiatum.

quos vide in *Chronico Mindenſi, p.106.* apud *Cyr. Spangenberg. loco adducto* & *David. Chytr. Sax. l. I.* qui addit, hos verſus in altiſſima turri arcis Schavvenburgicæ æneis literis inſcriptos eſſe.

Bruno autem, de quo paulo ante, fuit XVI. Epiſcopus Mindenſis, & anno 1055. obiit. *Chron. Epiſcopor. Mindenſ. p. 726.*

CAPUT XXXVII. (XXXVIII.)

1. Slavi Brizani & Stoderani defectionem moliuntur. - - 1107.
2. Henricus cum Obotritis, & Nordalbingis, ſociis, eos obſidet.
3. Inter obſidionem Miſtue, Henrici filius, Linos incurſione deprædatur.
4. Henricus acceptis obſidibus obſidionem ſolvit.

1 CUm ergo vice quadam Brizanorum & Stoderanorum populi, hi videlicet qui Havelberg & Brandenburg habitant, rebellare pararent, viſum fuit Henrico, armis adverſus eos utẽdum, ne fortè duarum gentium inſolentia toti Orienti rebellionis materiam parturiret. Perrexit ergo cum amiciſſimis ſuis Nordalbingorum armatis, peragránsque Slavorum provinciam,
2 cum ingenti periculo venit Havelberg, eámque obſidione vallavit. Præcepitque omni Obotritorum populo, ut deſcenderent ad expugnationem ur-
3 bis, & crevit obſidio in dies & menſes. Interea perlatum eſt ad Miſtue, filium Henrici, quòd gens quædam foret è vicino, fertilis omnibus bonis, habitatoréſque ejus quieti, & nullius turbulentiæ ſuſpecti. Porrò Slavi illi dicti ſunt Lini, ſive Linoges. Aſſumpſitque ſecum ducentos Saxonum, & trecentos Slavorum, omnes electos, & abiit inconſulto patre, iter bidui, per anguſtias nemorum, & difficultates aquarum, & paludis maximæ, irruitque ſuper ſecuros & improvidos, & duxit ex eis infinitam prædam, & captivitatem hominum, abierúntque onuſti. Cúmque maturantes reditum, difficiliora paludis tranſirent, ecce circumiacentium locorum incolæ pariter conglobati, ad pugnam proruunt, volentes captivitatem liberare. Videntes ergo ii qui erant cum Miſtue, ſe immenſa multitudine hoſtium circumfuſos, viámque ferro aperiendam, adhortati ſunt ſe mutuo, totiſque viribus eniſi, omnem obſiſtentium multitudinem peremerunt in ore gladii, præterea Principem eorum captivum

rum secum abduxerunt, venerúntque ad Henricum & exercitum, qui erat in obsidione, cum salute victoriam & divitias maximas reportantes. Post 4
paucos autem dies Brizani, cæterique rebelles, pacem postulaverunt, datis obsidibus, quos Henricus voluisset. Atque in hunc modum sedatis rebellibus, Henricus ad sua reversus est, Nordalbingorum quoque populi ad sedes suas reversi sunt.

CAPUT XXXIIX. (XXXIX.)

1. Rügiani Woldemarum Henrici filium, tributis colligendis præfectum, occidunt. - - - - 1109.
2. Henricus assumtis Slavis suis, & Saxonibus fœderatis, contra eos movet.
3. De oblata à Rügianis pecunia cum Saxonibus consultat.
4. Saxones veteri gentis instituto primũ in agmine locum sibi deposcũt.
5. Henricus suos ad pugnam animat.
6. Rügiani per flaminem supplices facti pacem pecuniâ redimunt.
7. Pecuniæ usus apud Rügianos.
8. Henricus alteram expeditionem contra illos, sed irritam, suscipit.

ACcidit post hæc, ut unus filius Henrici, Woldemarus nomine, occideretur à Ranis. Quamobrem pater dolore pariter & ira permotus, omnem animum intendit ad rependendam talionem. Misitque nuncios in universas Slavorum provincias, ad contrahenda auxilia, convenerúntque omnes pari voluntate, eadémque sententia, ut parerent jussionibus regis, expugnaréntque Ranos, & fuerunt innumerabiles, ut arena maris. Nec his contentus, misit ad accersendos Saxones, eos scilicet qui de Holsatia & Sturmaria sunt, commonens eos privatæ amicitiæ. Et secuti sunt eum pleno corde, numero quasi mille sexcenti. Transitóque flumine Trabena, abierunt per longissimos fines Polaborum, & eorum qui dicũtur Obotriti, quousque pervenirent ad Panim fluvium. Quo transmisso, duxerunt iter ad urbem, quæ dicitur Woligast, apud urbaniores vocatur Iulia Augusta, propter urbis conditorem Iulium Cæsarem. Illic invenerunt Henricum expectantem eos. Et pernoctaverunt ibi, figentes castra non longè à mari. Mane autem facto, convocans Henricus populum in concionem, allocutus est eos, dicens: Magna vobis, ô viri, debetur gratia, qui ad ostẽsionẽ benevolẽtiæ vestræ & fidei invictæ longius venistis, laturi nobis opẽ contra hostes sævissimos. Sæpius quidẽ accepi gustũ audaciæ vestræ, & fidelitatis experiẽtiã, quę in diversis periculis mihi frequẽs lucrum, vobis gloriã parturisse dinoscitur: & nihil ita elucet, sicut hujus devotionis exhibitio, sẽper memoriter retinẽda, semper omni studio promerẽda.

Notum ergo vobis cupio, quòd Rani, ad quos modò tendimus, directis ad me nocte nunciis, ducentis marcis pacem obtinere quærunt. Super hac re nihil mihi ſine veſtro conſilio definiendum eſt: ſi decreveritis acceptandum, acceptabo; ſi recuſandum, recuſabo. Ad quod reſponderunt Saxones, dicenter: Nos quidem, ó Princeps, licet numero pauci ſimus, honoris tamen atque virtutis cupidi, gloriam pro quæſtu maximo duximus. Ranos ergo, qui filium tuum occiderunt, pro ducentis Marcis in gratiam recipiendos noſtro conſilio dicis? Revera nomini tuo magno condigna ſatisfactio. Abſit à nobis talis injuria, ut unquam factohuic aſſentiamur. Nec enim ideo uxores, filios, denique patrias ſedes reliquimus, ut hoſtibus cavillationem, & filiis noſtris opprobrium ſempiternum hæreditemus. Quin potius perge ut cœpiſti; tranſi mare, utere ponte quem ſtravit tibi bonus artifex, admove inimicis tuis manus. Videbis glorioſam mortem nobis eſſe maximo lucro. His adhortationibus animatus Princeps, movit caſtra de loco illo, & perrexit ad mare. Tractus autem ille maris contractior, & qui viſu trajici poteſt, eo tempore ſtratus erat glacie firmiſſima, propter rigorem hyemis. Statimque ubi transmiſſis ſylvis & arundinetis, venerunt ſuper mare, ecce ille agmina Slavorum de univerſis provinciis, diffuſa erant ſuper faciem maris, diſtincta per vexilla & cuneos, expectantia juſſionem regis. Erátque exercitus ille grandis valde. Omnibus ergo cautè & ordinatè per ſingulas acies conſiſtentibus ſoli duces egreſſi ſunt ad ſalutandum regem, & exercitum peregrinum, & pronis vul-
4 tibus adoraverunt. Quos reſalutans Henricus, & adhortans, cœpit percunctari de itinere, & qui nam in proceſſu deberent eſſe primi. Singulis autem ducibus certatim ſe offerentibus, reſponderunt Saxones, dicentes, Noſtri juris eſſe dinoſcitur, ut ad bella procedentium nos primi, redeuntium noviſſimi inveniamur. Legem ergo à patribus traditam, & hactenus poſſeſſam, hoc etiam loco minimè negligendam arbitramur. Et annuit eis Rex. Licet enim Slavorum multus eſſet numerus, Henricus tamen ſe non credebat eis, eo quòd ipſe noſſet omnes. Levatis ergo ſignis, Saxones præierunt in fronte, cætera Slavorum agnima ſuis ordinibus ſubſecuta ſunt. Et tota die ambulantes in glacie & nive multa, circa nonam tandem apparuerunt in terra Rugianorum. Statimque villæ littori contiguæ, inflammatæ ſunt. Dixit autem Henricus ad ſocios: Quis ibit ex nobis ſpeculari, ubi ſit exercitus Ranorum. Videtur enim mihi quaſi videam eminus multitudinem appropinquantem nobis. Miſſus ergo cum aliquantis Slavis, Saxonum ſpeculator,
5 in momento reverſus eſt, nuncians hoſtes adeſſe. Dixitque ad ſocios, Mementote ó viri unde veniſtis & ubi conſiſtitis, ecce menſa poſita eſt, ad quam

æquo

æquo animo nobis accedendum eſt, nec eſt locus ſubterfugii, quin oporteat nos participari deliciis ejus. Ecce mari undique concluſi ſumus, hoſtes ante nos, hoſtes poſt nos, periitque à nobis fugæ præſidium. Confortamini ergo in Domino Deo excelſo, & eſtote viri bellatores, quia unum è duobus reſtat, aut vincere aut mori fortiter. Inſtruxit ergo Henricus aciem, ipſe conſtitutus in 6
fronte cum robuſtiſſimis Saxonum. Videntes ergo Rugiani impetum viri, timuerunt timore magno, miſerúntque flaminem ſuum, qui cum ipſo de pace componeret. Primo ergo quadringentas, deinde octingentas Marcas obtulit. Cúmque exercitus remurmuraret indignans, urgeréntque aciem ad congreſſum, corruit ille ad pedes principis dicens: Ne iraſcatur Dominus noſter ſuper ſervos ſuos. Ecce terra in conſpectu tuo eſt, utere ea ut libet, omnes in manu tua ſumus, quicquid impoſueris feremus. Quatuor ergo millibus & quadringentis Marcis pacem indempti ſunt, acceptíſque obſidibus in terram ſuam reverſus eſt, dimiſitque exercitum unumquemque in ſua. Miſit autem nuncios in terram Rugianorum ad ſuſcipiendam pecuniam quam promiſerant. Porro apud Ranos non habetur moneta, nec eſt in comparan- 7
dis rebus conſuetudo numorum, ſed quicquid in foro mercari volueris, panno lineo comparabis. Aurum & argenrum quod fortè per rapinas & captiones hominum vel undecunque adepti ſunt, aut uxorum ſuarum cultibus impendunt, aut in ærarium Dei ſui conferunt. Poſuit ergo eis Henricus in appenſione, ſtateram graviſſimi ponderis. Cúmque exhauſiſſent ærarium publicum, & quicquid in privatis ſuis auri vel argenti habuerant, vix medietatem pecuniæ perſolverunt, puta ſtatera deluſi. Quamobrem iratus Henricus 8
quòd promiſſa ex integro non perſoluiſſent, paruit ſecundam profectionem in terram Rugianorum. Accitóque duce Ludero proxima hyeme, quæ mare pervium reddidit, intravit terram Rugianorum cum magno Slavorum & Saxonum exercitu. Víxque tribus noctibus illic remanſerant, & cœpit hyems reſolvi, & glacies linqueſcere. Contigítque ut imperfectis rebus revertentes marina pericula vix evaſerint, & non adjecerunt Saxones ultra intrare terram Ranorum, eo quòd Henricus modico ſupervivens tempore, morte ſua controverſiæ finem dederit.

CAPUT XXXIX. (LX.)

1. Henricus V. in Italiam progreditur. - - - - - 1110.
2. Jusjurandum à Papa delatum detrectans non conſecratur. 1111.
3. Romæ ideo magna clades exiſtit.
4. Papa cùm aliis captus abducitur.
5. Epiſcopi ab ipſo contendunt, ut cum Imperatore pacificetur.
6. Papa à ſuis exoratus tandem conſecrat Cæſarem.

Fuit

1 FUit autem circa hos dies bellum potens Henrico Cæsari contra Ducem Luderum & Saxones. Henricus enim junior ubi depulso vel potius extincto patre obtinuit Monarchiam Imperii, vidit quia universa terra quiescit in conspectu ejus, fecitque universis Principibus jurari expeditionem Italicam, volens juxta morem assequi plenitudinem Imperialis honoris de manu summi Pontificis. Transcensisque Alpibus, perrexit Romam cum ingenti armatorum multitudine. Dominus verò Papa Paschalis audito introitu ejus, non modicè lætatus est, misitque ad circumiacentes regiones accersere numerosum clerum, quatenus regem honorabiliter venientem, ipse honoratior exciperet.
2 Susceptus est ergo cum magno cleri urbisque tripudio. Ubi autem ventum est ad consecrationem, exegit ab eo Dominus Papa juramenta, quatenus in Catholicæ fidei observantia integer, in Apostolicæ sedis reverentia promptus, in Ecclesiarum defensione solicitus existeret. Sed Rex superbus, jurare noluit, dicens Imperatorem nemini jurare debere, cui juramentorum sacramenta ab omnibus sint exhibenda. Facta est ergo contentio inter Dominum Papam & Regem, & interceptum est opus consecrationis.
3 Statim armatus regis exercitus efferatus est in iram, iniecerúntque manus in clerum, & spoliaverunt eos vestibus sanctis, quasi lupi grassantes inter ovilia. His auditis Romani proruunt ad obsistendum, eò quòd viderent injuriari Clerum, ortúmque est bellum in domo Beati Petri tale, quale non est auditum ab annis antiquis. Prævaluit autem exercitus Regis, attriverúntque Romanos interfectione magna nimis, nec fuit discretio cleri & vulgi, omnia devorante gladio. Ibi pugnavit robustissimus quisque, quousque obrigesceret gladius in manibus ejus. Et repleta est domus sanctificationis morticinis & cadaveribus, profluxerúntque de acervis mortuorum rivi sanguinis, adeo ut Tyberina fluenta mutarentur in colorem sanguinis.
4 Sed quid multis immoror? Dominus Papa & cæteri qui occisioni superfuerant, in captivitatem ducti sunt. Videres ergo Cardinales funibus in colla missis nudos trahi, vinctis post terga manibus, & de civibus immensas cathenatorum catervas duci.
5 Postquam ergo profecti de Roma venerunt ad primæ mansionis locum, accesserunt quidam Episcopi & Religiosi ad Dominum Papam dicentes ad eum: Magnus dolor est cordi nostro sanctissime Pontifex de tanto facinore, quod commissum est contra te & clerum tuum, & cives urbis tuæ. Sed mala hæc, exigentibus peccatis nostris improvisa magis quàm deliberata fuerunt. Assentire ergo nobis, & complacare Domino nostro, ut & ipse complacetur tibi, & perfice in eo opus benedictionis tuæ. Quibus ille respondit: Quid dicitis, ô dilecti fratres? Virum hunc iniquum, virum sanguinum

sanguinum & dolosum, à nobis consecrandum dicitis? Benè expiavit manus suas ad percipiendam consecrationem, qui aras Dei perfudit cruore sacerdotum, & domum sanctificationis replevit cadaveribus interfectorum. Absit à me verbum hoc, ut ego consentiam consecrationi ejus, qui seipsum execrabilem reddidit. Cúmque illi dicerent, cautum esse saluti suæ & eorum qui erant in captivitate, ut regem placaret, respondit cùm magna libertate dicens, Non timeo Dominum vestrum regem. Occidat corpus, si vult, amplius non habet quod faciat. Multum quidem prosperatus est in cæde civium & Cleri sui, sed dico vobis in veritate, quia de cætero non assequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus suis, sed nec filium generabit, qui sedeat in throno ejus. Cúmque hæc renunciata fuissent in conspectu regis, exarsit iracundia magna, jussitque omnes captivos decollari in facie Domini Papæ, ut vel per hoc deterreret eum. Ille verò instanter hortabatur eos mori fortiter pro justitia, promittens eis æternæ vitæ immarcessibilem coronam. At illi unanimiter provoluti pedibus eius, orabant dilationem vitæ. Tunc be- 6
atissimus Pontifex suffusus lachrymis, contestatus est cordium inspectorem, se malle mori quàm cedere, si non præpediret omnibus Christi jure impendenda compassio. Fecit ergo quod necessitas imperârat, & promisit se regem consecraturum, ut captivitas relaxaretur. Reversique in urbem Dominus Papa & Cardinales fecerunt regi secundum voluntatem ejus, extorto quidem obsequio, dederúntque ei privilegium super omnibus quæ desideraverat anima ejus.

CAPUT XL. (XLI.)

1. *Romæ cōtra Imperatorē in Synodo excommunicationis sententia fertur.* 1112.
2. *Instigante Alberto, Antistite Moguntino, Saxones bellum in Henricum parant.*
3. *Imperator capit Moguntinum, & vastat Saxoniam.* 1113.
4. *Saxones prælio ad sylvam Welponis ipsum vincunt.* 1115.
5. *Nova fœdera ineunt.*
6. *Moguntinus è custodia elapsus in Imperatorem excommunicationis fulmen vibrat.* 1116.
7. *Imperator progressus in Longobardiam, petit à Papa, ut excommunicatione solvatur.* 1117.
8. *Paschalis II. moritur: Romani eligunt Gelasium.* 1118.
9. *Henrici Imperatores Slavorum conversionem impedivere.*
10. *Otto, Episcopus Bamberg. convertit Slavos in Pomerania.* 1124.

1 POstquam ergo arrepta benedictione Imperator Teutonicas revisit terras, collecta est in urbe Roma Synodus centum viginti patrum, ubi Dominus Papa acrius incusatus est, pro eo quòd regem sacrilegum, capto summo Pontifice, tractis Cardinalibus, fuso sanguine Cleri & civium, ad imperiale culmen provexerit, insuper constitutiones Episcoporũ, quas patres sui Ecclesiastico juri usque ad mortes & exilia defensaverint, huic omnium indignissimo etiam privilegio stabilierit. Ille prætendere cœpit necessitatis articulũ, maximáque pericula minori dispendio intercepta, strages plebium, incendia urbis non aliter posse restringi, se quidem peccasse, sed impulsum: emendaturum se hanc noxam, secundum quod imperaret sanctum concilium. Accepta ergo satisfactione, accusantium refriguit feruor, definitoque consilio, extortum illud privilegium non privilegium, immo pravilegium vocitandum, ideóque anathemate rescindendum sanxerunt, ipsum prætereà Imperatorem à liminibus sanctæ Ecclesiæ sequestrandum censuerunt. Currit hæc fama per orbem universum, omnésque quos novarum rerum cupido trahebat accepta quacunque occasione, rebellionis aggressi sunt
2 molimina. Inter quos præcipuus erat famosus ille (a) Adalbertus, Moguntinus Episcopus, sociatis sibi quàm plurimis, maximè verò Saxonum Principibus, quos ad defectionem partim necessitas, partim etiam rebellio-
3 num vetus consuetudo illexerat. Siquidem præter nova bella, quæ tunc parabantur, cum fortissimo viro seniore Henrico novies olim confixerant. Sed quid multis immoror? Sentiens (b) Imperator omnem jam Saxoniam à se deficere, & conspirationum virus latius serpere, primo omnium ipsum autorem rebellionis Moguntinum cepit Episcopum. Deinde toti infusus Saxoniæ, provinciam eorum maxima strage pervasit, principibus eo-
4 rum occisioni aut certè captivitati traditis. Tunc ii qui superstites fuerant de principibus Saxonum, videlicet Luderus Dux, Reingerus (c) Halverstadensis Episcopus, Fridericus (d), Comes de Arnesberg, multíque nobiles conglobati in unum, Imperatori denuo in Saxoniam cum exercitu redeunti occurrerunt in loco, qui dicitur Welpesholth, produxerúntque exercitum suum adversus exercitum regis, licet impares numero: tres enim contra quinq; pugnaverunt Commissúmque est prælium illud nostra ætate famosissimum Calendis Februarii, quo Saxones superiores inventi virtutem regis attriverunt. Cecidit in eo bello Hogerus princeps militiæ regis, natus & ipse in Saxonia, destinatus ad Ducatum Saxoniæ, si res
5 prospere cessissent. Tunc Saxones propter victoriam animis sublevati, perpendentes Cæsaris iram non facilè impunitatem tantæ calamitati præbituram,

bituram, frequentibus colloquiis causam suam muniverunt, seditiones, quæ intra provinciam erant, fœderibus conciliant, aliunde auxiliantium manus consciscunt, postremo ne complices fœdera rumpant, omnes in defensionem patriæ, arma conjurant. Quid dicam de Moguntino, qui super omnes ad- 6
versus Imperatorem desæviit? Is enim civium suorum, quæ Cæsarem Moguntiæ obsederant, studio carcere erutus, & sedi suæ restitutus, quantas mortes in captivitate pertulerit, non tam exesi corporis specie, quàm ultionis acerbitate expressit. Qui etiam legatione sedis Apostolicæ functus, frequentibus conciliis Episcoporum aliorúmque quos justitiæ species induerat excommunicationis verbum (e) in Cæsarem deponebat. His motionibus 7
exacerbatus Cæsar, transiit in Longobardiam cum uxore sua Mathilde, filia regis Angliæ. Transmisitq; Legatos ad Dominum Paschalem Papam, oraturus veniam super excommunicationis verbo. At ille distulit causam ad audientiam sancti concilii, legitimas regi præfigens inducias, laxatóque interim excommunicationis vinculo. Obiit (f) interea Paschalis, cui substituit Cæsar 8
Burdinum quendam, reprobato Gelasio, quem Canonica electio statuerat. Factúmque est denuo schisma in Ecclesia Dei. Gelasius enim fuga elapsus, in regno Francorum mansit usque ad diem mortis suæ. Longum est ergo per singula replicare turbulentias temporis illius, nec est temporis hujus talium explanatio. Slavorum autem historia, unde longius digressus sum, redi- 9
tum perurget, quorum utique conversionem Henriciani Cæsares non modicè retardarunt, domesticis videlicet prægravati. Qui verò actus eorum, & terminum schismatis hujus plenius nosse desiderat, legat historiarum Magistri Eggehardi librum quintum, quem ad Henricum juniorem describens, bona ejus amplissima laude extulit, ad malefacta aut omnino tacuit, aut in 10
melius interpretatus est. Nec tamen prætereundum reor, quòd in diebus illis claruit vir insignis sanctitate Otto (g) Bavenbergensis Episcopus, qui invitante pariter & adjuvante Bolizlao, Polonorum Duce, Deo placitam adiit peregrinationem ad gentem Slavorum qui dicuntur Pomerani, & habitant inter Odoram & Poloniam. Prædicavítque Barbaris verbum Dei, Deo cooperante & sermonem confirmante seqventibus signis. Omnémque gentem illam cum principe eorum Wercezlauo convertit ad Dominum, permanétque fructificatio divinæ laudis illic usque in hodiernum diem.

Adalbertus, a) Hic primùm ipsius Henrici V. Cancellarius fuit, tantumq; gratia & auctoritate apud Imperatorem valuit, ut ille vix quicquam nisi Adelberti consilio ageret. Quare & Archiepiscopum eum fecit, *Gasp. Bruschius Episc. Mogunt. XLIII. Petrus Merssæus XXVII.* Is postea deserto Imperatore Pontificis partes

secutus est. Gravis quærela Henrici V. ad Moguntinos de hoc Adelberto extat, edita à *Sebastiano Tengnagel in Veter. Monument. Epist. XI.*

Sentiens, b) Bellum Saxonicum, cœptum sub Henrico IV. (*supra c. 27. & seq.*) sub filio ejus Henrico V. recruduit, nec minori clade Saxoniæ, adeoq; totius Imperii, quàm antea, gestum est. *Hogerus* erat Comes à Mansfeld, vir rebus gestis & meritis erga Imperatorem clarissimus. Is in hoc prælio manu *Viperti*, Comitis Groizensis, cecidit. Quod Vipertorum, Comitum Groizensium & Marchionum Lusatiæ, virtus inprimis in bello hoc Saxonico enituerit, adeoq; historia illorum plurimum ad intelligendam horum temporum rationem, in quibus enarrandis hîc Auctor versatur, allatura sit, succinctè eam hoc loco ex antiquorum monumentis repetere operæ pretium putamus. Cumq; à Vipertis, fortissimis illis sui seculi heroibus, nobilissima *Ranzoviorum* prosapia, in amplissimas per Holsatiam divisa familias, descendat, ex illa porrò Illustrissimus Comes *Christianus Ranzovius*, Pro-rex Cimbricus, hac nostra ætate iterum in Principum Imperii Romani ordinem cooptatus sit, breviter subjungemus, quomodo ille pristinam dignitatem in nobilissimam domum postliminio retulerit.

Primus antiquissimæ familiæ auctor *Cuno* fuisse traditur, qui in Cimbrica Chersoneso amplissima prædia possederit. Huic præter alios filios etiam *Herlibo* fuit. Hic filium sibi cognominem habuit. *Herlibo II.* uxorem Regis Wagriæ (Norvvegiæ, alii) filiam habuit, ex qua Suetiborum & Wolffium suscepit. *Wolffius* Balsamorum terram, in veteri Marchia, ab amne Balsamo ita dictam, tenuit. Hujus filius *Vipertus I.* fuit, ad quem ditio paterna per hæreditatem devoluta est. Princeps consilio & manu promtus.

Ex Sigena, Gosvvini Comitis de Leige Filia, ipsi *Vipertus II.* natus, qui cognomine senior dictus, animosissimus Princeps, & multis rebus fortiter gestis celeberrimus. Fortissimi hujus viri initia & vitam paulò diligentiùs enarrabimus, ut quali generis auctore Ranzovii nostri sati sint, perspicuè appareat. Quòd patrem maturiùs amisisset, mater illum anno *1040.* in Marchionis Brandenburgici aulam misit. Hic illi, cùm adolevisset, Tangermündam urbem possidendam concessit. Erant generosi animi dotis, quibus vicinorum gravem sibi conciliaret invidiam. Horum igitur suggestionibus Marchio impulsus pro Balsamorum regione ipsi Groizam, arcem veterem ad Eilstrum fl. & pro Tangermûnda alias villas & prædia tribuit. Arcem vetustate collapsam instauravit; à qua *Comes Groizensis* appellatus est. Verùm & hîc vicinorum conspiratione, qui novum hospitem, quietis impatientem, graviter ferebant, ad tempus cedere coactus est. Quare circa annum *1063.* ad Wratislaum, Bohemorum Ducem se contulit, eidemq; ita suam in re militari probavit industriam, ut Dux illum inter præcipuos aulæ suæ coleret, ejusq; consilio plæraq; ageret, cùm etiam ejus suasu ab Imperatore Regium diadema peteret, eundem data in matrimonium filia generum faceret, & Misniæ, quam ab Imperatore obtinuerat, illum præficeret, ut deinde dicetur. Nam Vipertus anno *1072.* ad Imperatorem profectus eidem suam in bellis gerendis operam obtulit, & de regiis titulis Duci conferendis cum illo egit.

Dedone I. Marchione Misnensi anno *1076.* mortuo, Imperator Misniam Wratislao, cujus operâ in debellandis Saxonibus

bus perpetuò utebatur, donavit: Bohemus autem Viperto, cujus ipsi virtus cognita atq; spectata erat, gubernandam eandem tradidit. *Lambertus Schafnab. anno 1076. Georg Fabric. Origin. Saxon. l. III. in Ecberto II.*

Imperator fatali bello Saxonico implicitus, ut Saxoniæ Principes distraheret, Vipertum & alios quosdam nobilissimos è Saxonibus viros, anno *1079.* paucos dies ante prælium, quod V. Kal. Febr. ad Unstrutum fl. commissum est, ad se allexit; quos ut spectatores tantùm essent, & neutram partem adjuvarent, persuaserat. *Georg. Fabric. Orig. Sax. l. III. & V.* At in gravissimo illo, quod anno *1080.* gestum est, prælio, quo Rudolphus cecidit, Vipertus, jam non amplius inter belligerantes medius, strenuè partes Imperatores juvit adductâ selecta Bohemorum manu. Post prælium Wratislaus & Vipertus Imperatorem secum in Bohemiam deduxerunt. *Monach. Pegav. p. 8. Fabricius p. 360. Cyr. Spangeb. Chron. Mansf. part. I. c. 202.*

Rudolpho jam cæso, cùm Cæsaris amici respirate iterum cœpissent, Bohemus de recuperanda Misnia consilia agitat. Nam Ecbertus II. Marchio Saxoniæ Bohemos ejecerat, & Henricum I. Dedonis filium reduxerat. Dux ergo cum Viperto Misniam anno *1080.* denuò invadit. Saxones animosè Bohemis se opponunt. Vipertus Bohemos inclinata jam acie fugam spectantes sustinet & confirmat, atq; Saxonum multos sua manu occidit, adeoq; Bohemis illa vice ad prædam abducendam viam patefacit. *Iidem.*

Hac fortunâ usus Vipertus pergit, & Groizam suam, quæ ab hostibus tenebatur, recuperat. In illos hostes, qui Citium confugerant, graviùs, quàm par erat, animadvertit. Nam Ezelinum cum fratre & sociis XVII. transfodi jussit. Hugonem, qui in ædem Jacobinam confugerat, incenso templo exire coactum, cum sociis oculis privavit. Ecbertus Marchio audaciam ejus reprimendam statuens contra illum movet. Vipertus de adventu illius certior factus, non donec ad se veniatur, exspectat, sed fortiter ei occursat. Saxones confidentiâ ejus territi, cùm majoribus copiis instructum crederent, retrocedere cupiebant. Sed tanta festinatione ad eos advolavit, ut pugnam detrectandi facultatem eis adimeret. In hoc conflictu cùm ei scuto hastâ trajecto duo dentes anteriores excussi essent, militem, à quo vulneratus erat, premere nō antè destitit, quàm medium ejus caput gladio dissecuisset, & omnem istam multitudinem in fugam convertisset. *Monach. Pegav. anno 1180. Georg. Fabric. l. III. in Ecberto II.*

Anno *1081.* Vipertus cum Boruino, Wratislao filio, Imperatorem in Italiam secutus, in Longobardis superandis & urbe Roma expugnanda tanta fortitudine usus est, ut & Imperatori & cunctis Principibus, qui expeditioni intererant, admirationi esset. Cùm igitur Imperator invidorum instinctu ad explorandam viri fortitudinem leonem ex improviso illi immisisset, ipseq; superata fortiter bestia discessionem ad Imperatore pararet, vix Episcoporum diligentibus precibus & muneribus, dum singuli ei aliquot terras aut urbes in feudum darent, retentus est. Imperatori reconciliatus magna erga illum fide fuit, ipsumq; in conflictu aliquo ad mœnia Romæ ex præsentissimo vitæ periculo liberavit. *Cyr. Spangenb. Chr. Mansfeld. c. 204.* Quòd verò *Pegaviensis*, & ex illo *Henning* & *Angelius* addunt, ipsum tunc Romæ Gregorium Papam in tēplo cepisse, atq; Imperatori adduxisse, in eo illi ab historia istius tēporis discedunt. Imperator tandem Romā inprimis

 mis

mis virtute militum Viperti anno 1183. II. Junii cepit. *Cyr. Spangenb. ibidem.* Reversum Imperator *Burggravium Leisnicensem* fecit, & multos alios reditus illi assignavit, Bohemus autem filiæ Judithæ nuptiis illum honoravit, Nisena & Budesina præfecturis in dotem datis. Vipertus tandem multarum cædium conscientiâ gravatus, anno *1090.* Romam, & inde Compostellam ad D. Jacobi sepulchrum, quæ illorum temporum erat superstitio, ad expianda peccata profectus est. Reversus monasterium Pegaviense anno *1091.* inchoatum, & anno *1095.* perfectum, anno seq. VII. Kal. Aug. per Hartvvicum Archiepiscopum Magdeburgensem dedicandum curavit, & amplis reditibus auxit. *Monach. Pegav. Siffrid. Misnensis anno 1091.*

Henrico I. Marchione Misniæ, anno *1103.* (juxta *Conradum Urspergensem,* & *Georg. Fabric. in Henrico I.*) vitâ functo, verisimile est, Vipertum statim Marchionatum Misniæ iterum occupasse; uti autumat etiã *Petrus Albinus Chron. Misn. Tit. X.* Nã cùm Imperator ann. 1105. à suis ante prælium cum filio ineundum desereretur, & in Bohemiam fugeret, Rex illum in Misniam ad Vipertum deducendum curabat, *Cyr. Spangenb. c. 209.* Scribit etiam *Georg. Fabr l. V. in Henrico II.* Imperatorem Henricum IV. tunc Misnam oppidum Bohemiæ Regi Wratislao (malim Brzetilao, filio ejus: nam pater anno 1093. vitâ excesserat) de integro donasse: cui Rex præfectum & gubernatorem Vipertum Peganum, Marchionem Osterlandiæ, dederit, spectatæ virtutis virum. Vipertus tunc Marchionatum Misniæ aliquot annos tenuit. An usq; ad annum 1123. uti nonnulli opinantur, nos in suspenso relinquimus. Esse autem illum ab Henrico II. cùm ille jam adolevisset, operâ Lotharii, Saxoniæ Ducis, iterum ejectum, constat.

Suatiplucus, Wratislai ex Othone fratre nepos, magna vi pecuniæ ab Henrico V. Bohemiæ Ducatum, pulso Boruino, VVratislai filio, consequebatur. Mordebat Vipertum, Affinem suum hæreditate paterna pulsum. Cùm ergo cum suis Ostrolandis in Silesiam contra Polonos anno *1109.* Imperatorem secutus esset, Suatiplucũ ibi in obsidione Glogovi noctu per Jessecum Tistam Wursovecium interimẽdum curat. Hîc in prælio contra Polonos Cæsarianis maximam partem cæsis, & reliquis in fugã conversis, Vipertus diu inclinatam aciem sustinuit, donec & ipse cedere coactus, Imperatorem ex acie ereptum, salvum in Germaniam reduxit, *Cosmas Pragensis, Monach. Pegav. anno 1111. Cyr. Spangenb. Chron. Mansfeld. c. 211.* & *212. Paulus Stransky in Rep. Bojema, c. 8.* Suatipluco à Proceribus statim surrogatus VVladislaus, VVratislai filius natu quintus. Quòd is tertio statim mense ab Imperatore Ratisbonam vocatus esset, Boruinus apud Vipertum in Lusatia & Misnia globum militum colligit, & Viperto juniore assumto in Bohemiam irrũpit, atq; ad IX. Kal. Jan. Pragam ingreditur. Imperator misso illuc exercitu, utrumq; Pragæ ann. *1110.* cepit, eosq; Hammersteinii tamdiu in custodia detinuit, donec Vipertus pater anno seq. urbem Leisnicensem, Nisenam & Budisinam præfecturas, cum oppido Morungo Imperatori pro redimendo filio traderet; quæ omnia Imperator statim Hogero Comiti, summo copiarum Præfecto, concessit.

Vipertum è custodia dimissum Imperator actutum sibi conciliavit, eiq; Eckersgam

bergam in Thuringia dedit, de Naumburgo etiam ſpem fecit, additâ eidem manu aliqua militum ex Bohemis conſtante, qua patrem inſectaretur. Anno 1112. Lotharius Dux Saxoniæ, Rudolphus Marchio Brandenburgenſis, Otto Comes de Ballenſtede, Sigfridus Palatinus, Vipertus ſenior Comes Groicenſis, Ludovicus Comes Thuringiæ & alii contra Imperatorem conjurant. Anno ſeq. Imperator Erphordiæ Comitia habebat. Quod in his nullus Saxoniæ Princeps compareret, eos proſcribit, & ſtatim Hogero, ſummo copiarum Præfecto, in mandatis dat, ut terram Saxonum infeſto agmine invadat. Tunc Hornburgum evertitur, Brunſvicum occupatur & Halberſtadium exuritur. Viperto ſeniori Imperator anno 1113. arcem Groizam eripere ſtudet, atq; ad eam rem Ladislao, Suatipluci fratre, & Viperto juniore utitur. Vipertus, qui ſelectum militem intra mœnia habebat, erumpit, atq; in caſtris Imperatoris ultra 500. occidit. Imperator obſidione, non ſine ignominia, ſolutâ, Naumburgum profectus, illam urbem Henrico, uni ex familiariſſimis, tradidit. Vipertus junior qui illam ſibi traditum iri ſperaverat, ita ſpe ſua fruſtratus, ab Imperatore deficit, & patri reconciliatur.

Poſt hæc cùm Vipertus ſenior, Sigfridus Comes Orlamundenſis, & Ludovicus, Comes Thuringiæ, Barnſtedæ convenisſent de communi ſalute deliberaturi, Hogerus in illos inopinato irruens, Sigfridum quidem obtruncavit, Vipertum autem cepit, Thuringio fugâ vix elabente. Vipertus in arce Leisnicenſi cuſtodiæ traditur. Pôſt in conventu Würtzburgenſi à Principibus capitis damnatur. Filius tradita Imperatori Groizâ, & aliis prædiis paternis, mortis ſententiâ quidem patrem liberat, ſed triennium tamen ille in cuſtodia adhuc tenetur.

Imperator interim multos Saxoniæ Principes malè tractat; quorum Reinhardum, Epiſcopum Halberſtadenſem, Palatinum Comitem de Sumerſenburg, Fridericum Comitem de Arnsberg, & alios dignitatibus & ditionibus ſpoliatos ejicit, aliis in eorum loca ſubſtitutis. Saxones injuriis his commoti, denuo cum Lothario, Duce Saxoniæ & Viperto juniore ac Henrico, fratre ejus, conſpirant, atq; Hogeri Comitis terras invadunt. Quod autem Vipertum arcibus ſuis jam exutum Adelgotus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, illius ex ſorore nepos, receptiſſet, eiq; aſylum urbem Luburgum ad ad Albim (Lûbutz *Cyr. Spangenbergio*, & *Johanni Pomario in Chronico Magdeburgenſi*) conceſſiſſet, Imperator & hunc in conventu Goslarienſi exauctoratum, à ſe alienat, illumq; cum cæteris Saxonibus proſcribit.

Hogerus Cæſariano milite inſtructus, ſua defenſurus, & Cæſaris hoſtes repulſurus illis occurrit. Tunc anno 1115. III. Id. Febr. (*Albert. Stadenſis* habet Kalend. Febr.) ad Welponis ſylvam prælium, tot ſcriptorum calamis celebratum, committitur, in quo copiæ Cæſaris à Saxonibus victæ ſunt. Eximium fortitudinis ſpecimen tunc Vipertus edidit. Nam ut quondam Cyrus minor in prælio conſpecto fratre Artaxerxe Mnemone, inquit: ὁρῶ τὸν ἄνδρα, & omnibus aliis relictis, hunc ſolum adortus, lanceâ trajicere conatus eſt, ut ſcribit *Xenophon de Exped. Cyri l. I.* ita Vipertus videns Mansfeldium fortia facinora in cædendis Saxonibus edere, ratus, hîc locum & tempus eſſe, quo oſtenderet, ſibi etiam animum fortem eſſe, equo incitato, pleno impetu lanceam Hogero in pectus adigit, & thorace ferreo perforato grave vulnus infligit. Hogerus lancea ope Ludolphi ab Hakeborn extracta, ſanguine ſuo conſpecto vehementiùs in Vipertũ irruit, illumq; crebris gladii ictibus fatigavit; quos tamen Vipertus omnes clypeo excepit, donec & ipſe

conversus, extracto gladio Mansfeldio tam valido ictu caput percussit, ut ille de equo in terram corrueret. Surgere nitentem Vipertus infra thoracem, qua corpus patebat, ferro transfixit; quo vulnere statim exspiravit. *Cyr. Spangenb. Chron. Mansfeld. c. 214.*

Post hoc prælium Vipertus junior, paterna arce Groiza adhuc exclusus, & incertis sedibus cum milite suo oberrans, tandem collapsi sacelli cœmiterium in Dieterici à Crosick ditione occupat, & locum intra dies XIV. ita munit, ut ex eo in subjectas villas & oppida Imperatoris excursiones faceret & ingentem prædam abigeret. Successibus his confirmatus, & auxiliis Adelgoti Præsulis & Gertrudis Comitis Northeimensis potentior factus, duobus millibus militum arcem Groizam obsidet, & anno *1117.* capit. Paulò pôst assumtis aliis Principibus etiam Naumburgum obsidione cingit & primū quidem Henricum, Imperatoris in illis locis primarium Præfectum, paulò pôst urbē ipsam deditione capit, & statim exercitum arci Leisnicensi expugnandæ, in qua pater captus tenebatur, admovet, totam eam eversurus. Tunc verò Imperator pro liberando illo Henrico Vipertum seniorem dimittere necesse habuit. Qui liberatus Groizam suam & Leisnicum recepit. Profectus etiam ad Comitia Wormatiensia Imperatori pro receptis terris suis gratias agit, ab eodemq; impetrat, ut *Marchio Lusatiæ* crearetur, atq; inter Imperii Principes referretur. Circa annum 1123. Vipertus adhuc cum Henrico II. Marchione de Misnia concertavit. Tunc enim Rex Bohemiæ (Wladislaus) & Vipertus gemino iterum exercitu in Misniam descenderunt. Sed quòd Lotharius, qui paulò pôst imperavit, etiam hac vice fortem utriq; opponeret exercitum, armis ejus territi, vastatis tantùm circa Misnam agris, eodem anno (1123. non 1023. ut habet Fabricius) recesserunt. *Fabric. lib. V. in Henrico II. p. 528.* Tandē an. *1124.* morbo correptus, suasu Episcoporū Monachi habitu assumto, monasterium Pegaviense ingreditur, nec ita diu post vita decedit. *Vipertus III.* ex arcib9 & ditionib9 paternis Groizam & alia nonnullas tenuit. Filii ipsius *Henricus* & *Fridericus*, Comites Groizenses, sine prole obierunt. Sed frater ejus *Henricus I. Marchio Lusatiæ & Burggravius Leisnicensis* nobilem familiam propagavit. Hujus enim filius *Henricus II. Henricum III. & Ottonem I.* reliquit. Ab Henrico III. omnes Burggravii Leisnicenses, usq; ad Hugonem, ultimum istius familiæ, anno 1538. extinctum, descenderunt. *Otto* ditionibus paternis exutus, in Holsatiam, ex qua Majores suos prodiisse noverat, commigravit & arce *Ranzovia* circa illud tempus, quo Adolphus II. Holsatiam novis colonis, videlicet circa ann. *1140.* replevit, conditâ, nobilissimæ amiliæ auctor exstitit, ut demonstrāt *Rein. Reineccius Notat. in Historiam Monachi Pegaviensis. Petrus Albinus Chron. Misnensi Tit. X. p. 129. 130.* Item *p. 405. 413. 441. & seqq. Elias Reusner. Operis geneal. Auctario. Petrus Lindenbergius in Hypotyposi arcium Henrici Ranzovij c. 11. Andreas Angelus Chron. Holsat. c. 26. Casp. Danckwerth part. III. c. 15.* Atq; hæc quidem series heroum istorum, usq; ad Ottonem. Ab illo quo ordine descendant, qui amplissimā familiam ad nostram usq; ætatem in Holsatia propagarunt, cùm à pluribus in literas relatū sit, nos brevitatis gratia omittimus.

Magnæ familiæ, ut regna, amplæq; Respublicæ, surgunt, prolabuntur: sæpe etiam suo quodam fata resurgunt, & pristinam dignitatem atq; opes recipiunt. Ranzovia familia, quod illi Auctores, quos jam laudavimus, & ipse quondam *Henricus Ranzovius*, illustre literarum & gentis suæ decus, prodidere, à Principibus Germaniæ, de qui-

de quibus jam egimus, orta, seu belli cladibus; seu orbe illo motore, qui cuncta vertit, sede mutata, in Cimbrica Chersoneso, nobilissimis matrimoniis innexa, consedit & altas radices egit: nihil decedere dignitati suæ rata, quòd ibi inter nobiles haberetur, ubi summa potestas penes Comitem. Provenere deinde surculi, alii literis literatorumq; amore, alii militia clari, luculento indicio, inesse sibi magnorum virtutum semina animosq; Principe dignos, ut facile cuivis pateret, & unde orta esset & quorsum tenderet familia, tot cœlestium animarum satrix. Quod itaq; jam moliebatur natura, & quasi lineis designaverat suis in Daniele Ranzovio, belli quondam in Septentrione Duce clarissimo, in Henrico, Musarum omnisq; elegantioris eruditionis & cultore & Patrono eximio, in Gerhardo deniq;, hujus nostri parente, regundarum provinciarum cura atq; solicitudine de omni Holsatia optimè merito, id tandem absolvit divini Numinis benignitas in *Christiano*, magni parentis magno filio. Cùm huic puero in familia sua antiquissima neq; incitamenta exemplaq; gloriæ, neq; virtutis magistri deessent, à teneris unguiculis heroici animi magnique ingenii ea indicia dedit, ut eximiæ indolis argumenta ætatem longè prævenirent, dum nihil abjectum, nihil humile loqueretur aut ageret, sed erecto ad altiora animo, quicquid honestum, quicquid laudabile aut gloriosum aut haberi aut prædicari intelligeret, summis votis expeteret, non undecunque laudem adfectans, sed optimis quibusque comparari gaudens. Cumque jam & opibus, partim sibi majorum virtute partis, partim industria & prudentia sua auctis polleret, remque Holsaticam Regis sui nomine non solùm summa cum gloria administraret, (quod jam diu familiæ isti prope gentile ac hæreditarium) sed & fama virtutum suarum multorum Regum, totiusq; Germaniæ animos implevisset, visum est Ferdinando III. Imperatori, fato suggerente consilium, restituere quasi postliminio pristinis honoribus ac dignitatibus familiam longè nobilissimam, in viro maximis officiis muneribusq; jam functo, & opibus meritisq; per Germaniam clarissimo. Primùm itaque *Comitem Imperij* fecit, nō nudo nomine ac solo titulo, (quā dignitatem personalē vocant) sed nomine ejus matriculæ, quā dicimus, StatuumOrdinumq; Imperii inserto, cum hoc elogio: *Comitis de Ranzow, Domini in Breitenburg*. Ita Statibus Imperii adscriptus plenissimo nunc jure loci & suffragii tam in Comitiis Imperii universalibus, quàm provincialibus, (auf Reichs- und Kraysztagen) fruitur, nec non in Comitatu suo, olim Barmstede, nunc New Rantzow jure territoriali, cudendi monetam auream & argenteam, erigendi academiam, aliisq; dignitatibus & privilegiis, Imperii Ordinibus, qui pari loco sunt, concessis. Atquæ hæc omnia Imperator amplissimo dato Diplomate confirmavit.

Qui ut splendidius etiam Comitem ornaret, alio insuper Displomate *Palatinatus* dignitatem ei cocnessit, non eam quidem in communi forma, qualis & JCtis aliisq; bene meritis, in privata tamen conditione existentibus, tribui solet, sed multo excellentiorem atq; augustiorem. Primùm enim dignitas illa non ipsi solùm Comiti, sed & hæredibus ipsius masculis, sive ex ipso genitis, sive adoptatis conceditur. Deinde beneficio ejusdem privilegii CæsareiComes nobilitatem confert etiam hæreditariam, quos tali honore dignos ipse hæredesve ejus censuerint, ita quidem ut hac nobilitate ornati & in Imperio

Romano, & regnis aliis, Imperatori subjectis, natis nobilibus in hastiludiis & feudis per omnia æquiparentur. Eodem privilegio potestas ipsi data creandi Equites ritu solenni, strictoq; gladio; Comites item Palatinos, quibus itidem fas sit creare Notarios, & alia peragere, quæ alias isti ordini conceduntur. Data & reliqua omnia sunt, quæ cum Palatinatus dignitate conjuncta, quæ studio brevitatis omittimus.

Age feliciter Illustrissime Comes, & familiam isto loco ac dignitate ad seros nepotes tansmitte.

Reingerus. c) Reinhardus dictus *Casparo Bruschio*, Episcopus Halberstadensis XV. Anno 1107. electus, anno 1122. mortuus.

Fridericus. d) Fuit hic homo ferocissimus: Anno ante obitum, castrum Weselburg, Hunnorum tempore extructum, & vetustate temporum collapsum instauravit, ex eodemq; omnem viciniam excursionibus vexavit. Mortuus est autem anno 1123. *Gobelin. Pers. Cosmodr. æt. 6. c. 58.*

excommunicationis. e) Henricus V. ter à Pontificibus Romanis à communione ecclesiæ exclusus est. Primùm quidem in Concilio Viennensi, anno 1112. cui Guido, Archiepiscopus Viennensis (postea Calixtus II. dictus) præsidebat; quam excommunicationem Paschalis II. confirmavit, *Baronius ann. 1112. n. 16.* Deinde à Gelasio anno 1119. *Baronius h. anno n. 20.* Calixtus II. cùm huic anno eodem successisset, Rhemis concilium habuit, in quo cum Imperatore de dimittendo jure investituræ acriter disputatum est. Cùm Imperator tandem responderet, se sine insigni imminutione juris sui, & absq; consensu totius Imperii investituram dimitmittere non posse, tertiùm à Calixto præsentibus CCCCXXVIII. Episcopis & Abbatibus anathematis fulmen in illum vibratum est Acta totius Concilii & excommunicationis descripsit *Hesso Scholasticus*, qui interfuit Concilio, à *Sebastiano Tengnagel* primùm in lucem prolatus; ad quem etiam *Conradus Urspergensis* anno 1119. lectorem, de hoc argumento pleniùs edoceri cupientem remittit.

Obiit. f) Paschalis II. obiit XV. Kal. Febr. 1118. Post tres dies eligitur Gelasius. *Baronius ann. 1118. n. 2. 3.*

Otto. g) Imperator Henricus V. Comitia Bambergæ habuit. In istis Otto licentiam ad Pomeranos commeandi & Evangelium docendi obtinuit. *Gobel. Cosmodr. æt. 6. c. 58.* Ingressus ergo iter est anno 1124. *Krantz. Saxon. l. V. c. 44. David Chytræus in Chronolog. Daniel Cramerus Chron. Pomer. l. I. fere toto. Paulus* Friedeborn *Chron. Stetin. l. I. Joh. Micrel. l. II. Pomer. c. 69. & seqq.*

CAPUT XLI. (XLII.)

1. Henricus V. moritur, & Lotharium Saxonem habet successorem. 1125.
2. Franci Conradum Suevum præferunt.
3. Lotharius Romæ ab Innocentio II. coronatur, & cum Conrado amicitiam jungit.
4. Hinc summa pax in Imperio.

5. Hen-

5. *Henricus, Rex Obotritorum, & Adolphus, Comes Holsatiæ, amicitiam colunt.*
6. *In omni Slavia unicum est templum, idq; in veteri Lubeca.*
7. *Vicelinus ab Henrico potestatem verbum Dei per Slaviam annunciandi impetrat.* - - 1125

ANno,(a) post hæc, incarnati verbi M.C.XXVI. obiit abiit apud Trajectū Henricus Cæsar, & successit in solium regni Luderus, Saxonum Dux. 1
2 Indignati autem Francigenæ, virum Saxonem elevatum in regnum, conati sunt alium suscitare regem, Conradum videlicet, consobrinum Henrici Cæsaris. 3 Prævaluit autem pars quæ fuit cum Ludero, abiensq; Romam promotus est ad apicem Imperii per manus Innocentii Papæ. Quo etiam suffragante, Conradus eo usq; propulsus est, ut se traderet in potestatem Luderi, qui & Lotharius. Factusq; est ex hoste amicissimus. 4 Cœpitq; in diebus Lotharii Cæsaris oriri nova lux, non tam in Saxoniæ finibus, quam in universo regno, tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum & Sacerdotium. 5 Sed & Slavorum populi agebant ea quæ pacis sunt, eo quòd Henricus Slavorum Regulus comitem Adolphum, & contiguos Nordalbingorum populos omni benevolentia amplexatus fuerit. 6 In diebus illis non erat Ecclesia vel Sacerdos in universa gente Luticiorum, Obotritorum vel Wagirornm, nisi tantum in urbe Lubeke, eo quòd illic fuerit Henrici familiare contubernium. 7 Surrexit (b) eo tempore Sacerdos quidam Vicelinus nomine, & venit ad regem Slavorum Lubeke, rogavitq; dari sibi facultatem prædicandi verbum Dei, infra terminos ditionis ejus. Quis autem fuerit vir iste quantæq; opinionis, multorum qui adhuc supersunt, habet noticia. Sed ne posteros lateat, huic narrationi inserendum arbittor, eo quòd datus sit in salutem gentis hujus, directas facere semitas Dei nostri in natione prava & perversa.

Anno. a) Mortem Henrici Imperatoris cum Auctore nostro ad ann. 1126. & quidem ad feriam quintam Pentecostes refert *Robertus de Monte, append. ad Sigeb. Gemblacens.* Sed in ann. 1125. *collocant Auctor addition. ad Lambert. Schaffnaburg. Dodechimus, append. ad Marian. Scotum: Paulus Langius in Chron. Citicensi: Mattheus de Bappenheim Chron. Australi: Idem Chron. Elwangensi: Albertus Stadensis.* Dies mortis incidit in X. Kal. Jun. Lotharius anno eodem, III. Kal. Septemb. Moguntiæ Rex, & Idibus Septemb. Aquisgrani Imperator creatus est. *Georg. Fabricius, Baronius.*

Surrexit, b) Vicelinum, qui *Hermanno de Lerb. in Chron. Schawenb. p. 9.* dicitur Wiſcelinus, anno 1125. primùm Lubecam perveniſſe, ex hoc capite haut obſcurè conſtat. Scribit enim Helmoldus, ipſum Lubecam veniſſe eo tempore, i.e. illo anno, quo Lotharius ad culmen Imperatoriæ Majeſtatis pervenerit; quod anno 1125. factum eſſe, è ſuperioribus conſtat. Ad eundem annum adventum Vicelini referunt *duo Chronica Lubec. MSS. antiqua.* Deniq; eundem annum exprimit vetus *Carmen de Vicelino* factum, & à Lindenbrogio editum, his verſibus:

Anno milleno, centeno, bis duodeno
Completo, verbum quo ſubluxit caro factum,
Dum verno ſole poſt brumam progrediente,
Cancri ferventis calor eſſet ſolſtitialis,
Doctorem mirum Deus advexit Vicelinum
Iſtas in partes, ſathanas ubi triverat artes.

CAPUT XLII. (XLIII.)

1. *Vicelinus Quernhamelæ ad Viſurgim natus.*
2. *A Canonicis literas didicit.*
3. *Sacerdotis importunitate ex arce Everſtein propellitur.*
4. *Paderbornæ magna animi contentione literas tractat.*
5. *S. Nicolaum pro tutelari numine inprimis veneratur.*

1 Vicelinus itaq; Mindenſi Parochia oriundus, in villa publica, cui nomen Quernhamele, quæ ſita eſt in ripa Wiſeræ, genitus eſt parentibus mo-
2 rum magis honeſtate quàm carnis & ſanguinis nobilitate ornatis. Literarum rudimentis apud Canonicos ejuſdem loci inſtitutus eſt, neglectus tamen penè ad virilem ætatem, eo, quòd parentibus orbus, adoleſcentiæ annos, ut ea aſſolet ætas, levis & lubricus exegerit. Patria tandem domo exemptus, divertit in caſtellum, non longè poſitum, cui nomen Everſtein, ubi nobilis Domina, mater Conradi Comitis, juvenem deſolatum miſerata, aliquandiu tenuit, miſericorditer fovit, adeo ut Sacerdos caſtri videns & invidens, occaſi-
3 ones quæreret, quibus eum caſtro deturbaret. Quadam ergo die multis arbitris coràm poſitis, interrogavit Vicelinum, in ſcholis poſitus quid legiſſet? Illo perhibente ſe Statii libros Achilleidos legiſſe, conſequenter requiſivit, quæ eſſet materia Statii. Sed cùm diceret ſe neſcire, Sacerdos nimium mordacitet ad circumſtantes, Heus, inquit, ego invenem hunc de recenti ſtudio venientem putabam aliquid eſſe, ſed opinione deluſus ſum. Iſte enim penitus nullius momenti eſt. Sed quia ſcriptum eſt, verba ſapientium ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, tantæ cavillationis verbum modeſtia invenis extimuit. Statimq; caſtello ſeſe proripiens, etiam ſine valedictione diſceſſit, tan-

tantis lacrymis inundans, & verecundiæ punctiones sustinens, ut vix cuiquam opinabile sit. Audivi eum sæpenumero dicentem, quia ad verbum illius Sacerdotis respexerit eum misericordia divina. Abiit ergo Patherburnen, ubi 4
tunc fortè studia literarum florebant sub nobili Magistro Harthmanno. Cujus etiam mensa & contubernio usus, quàm plurimis annis, tanto fervore, tanta denique instantia studiit, ut non facilè explicari possit. Crebro enim veluti ad quandam desudans mente palæstram, artibus edomitum subdidit ingenium. Non hunc ludi, non epulæ cœpto proposito detraxerunt, quin aut legeret, aut dictaret vel certè scriberet. Chori præterea diligentissimus curator extitit, inter primitias adolescẽtis religionis deservire Deo, suave piumque putans. Videns ergo egregius magister, discipulum atque contubernionem suum, super vires laborare, sæpius ait ad eum: O Viceline, præcipitanter agis, pone mundum studiis: nam temporis adhuc multum superest, quo plurima discere possis. Ille nihil motus his verbis, ecce recordor, ait, Me libris tardas applicuisse manus, Festinare decet patitur dum tempus & ætas. Dedit autem Dominus viro illi intellectum & cor docile, supercrescensque socios, in brevi factus est in scholis regendis Magistro adjutor. Præerat ergo sociis in solicitudine, instituens tam doctrina quàm exemplo. Orationi etiam interdum va- 5
cans, omnium sanctorum suffragia efflagitabat, præcipuè verò beati Nicolai, cujus obsequio specialius sese mancipârat. Unde & contigit ut vice quadam ejusdem sancti natalitia celebraturus in Oratorio Sanctæ Brigittæ socios consciverit. Ubi vespertino & matutino officio solenniter expleto, angelicæ voces a quibusdam auditæ sunt, psallentes juxta morem cleri responsorium, Beatus Nicolaus jam triumpho potitus. Accessit ergo Vicelino gaudium de miraculo, & de gaudio cumulata devotio.

CAPUT XLIII. (XLIV.)

1. *Ludolphus, Sacerdos, Vicelini avunculus, fuit religiosus &c.*
2. *Præparat se ad mortem.*
3. *Moritur, & ad genii alicujus monitum in templo sepelitur.*

CÆterum eidem viro divino famulatu imbuendo, nobile præbuit virtutis 1
incrementum illa celebris fama avunculi ipsius Ludolphi, Sacerdotis de Fenle, qui summæ sanctitatis vir, magnusque confessor, frequentabatur à populis regionis confitentium peccata sua, & remedio pœnitentiæ venturam iram declinare cupientium. Ad quem & ipse accersitus sæpius accessit, insistens abluendis per confessionem propriis criminibus, consideravitque in Sacerdote naturæ simplicitatem, innocentiam vitæ, & super omnia eleemosy-

2 narum largitatem, statumque vitæ nulla dissolutione labefactatum. Qui etiam venerabilis sacerdos ætate jam decrepitus, sed vigore spiritus integer, ubi ægritudine mortali decubuit, misit ad accersendos sacerdotes, & religiosos quosque. Impetrato sacræ unctionis officio, conquestus est se fraudatum præsentia dilectissimorum suorum Rodolfi Hildenemensis Canonici & Vicelini. Nec mora ad vocem precantis uterque inopinatus advenit, reperiuntque virum Deo dilectum exitus sui horam cum magna devotione operientem. A quo etiam recogniti, cum gratiarum actione suscepti sunt. Nocte ergo suprema Deo in oratione colloquens, appropinquante jam diluculo, jussit sibi à Diacono legi passionem Dominicam, qua intentius audita, celeriter adorsus est Diaconum, Affer mihi, inquit, velociter viaticum salutare, jam enim adest hora migrandi. Statimque participans vivificis mysteriis, dixit astantibus: Ecce veniunt qui me deducturi sunt, ecce veniunt nuncii Domini mei, sublevate me de lecto. Quibus attonitis, Quid trepidatis, inquit, ô viri? Nonne vi-
3 detis nuncios Domini mei omnes adesse? Statimque anima illa carne soluta est. Mane ergo facto convenientibus multis ad sepulturam tanti viri, orta est disceptatio de sepultura ejus, populo quidem eum in Ecclesia, familiaribus verò ejus in atrio, ut ipse jusserat, sepeliri volentibus. Offertur interim pro anima ejus hostia salutaris, cùm Theodoricus quidam, qui adhuc super est, propter vigilias funeris sopore gravis lecto decubuit, viditque sibi assistere virum reverendi habitus, & dicentem: Quousque dormitas? Surge & fac sepeliri sacerdotem, ubi populus ejus decrevit. Prævaluit ergo ex beneplacito Dei postulatio populi, sepelieruntque eum infra muros ecclesiæ, cui multis annis fideliter deservierat.

CAPUT LXIV. (LXV.)

1. Vicelinus Breman ad scholas regendas evocatur.
2. Hîc omnes partes muneris sui magna dexteritate implet.
3. Inter cæteros etiam Ditmarum quendam instituit.

1 POst mortem ergo avunculi, Vicelinus in Patherburnensi ecclesia tamdiu perstitit, quousque vocatus Bremam, curandis scholis magister ibidem
2 præditus est. Fuitque in regendis scholis vir valde idoneus, curator chori, eruditor juvenum, forma honestatis, denique discipulos, quos antea mos præcipitatus agebat, reddidit artibus ingenuis, & in cultu Dei, & frequentia chori, officiosos. Quamobrem diligebat eum Antistes Fridericus, cæterique quos aut dignitas aut honestas in Ecclesia fecerat editiores. Illis solùm onerosus videbatur, quibus consuetudini fuerat, deserto cultu Ecclesiæ, &

disciplina

disciplina Clericali, bibere in tabernis, spaciari per domos & plateas, vanitatibus obsecundare, qui insolentias suas argui ab ipso pertimescebant. Unde etiam probris & derogationum spiculis sæpius eum appetere solebant. Sed nil fuit, quod in moribus ejus à perfectione diffideret, vel æmulorum commentis alluderet, nisi quòd in cohercendis juvenibus, verberibus modum negaverit. Unde etiam plerisque discipulis capessentibus fugam, crudelitate notatus est. Quotquot autem validiores animis disciplinæ ejus jugum sustinuerunt, grandi emolumento præditi sunt: succreverunt enim sicut studiorum & prudentiæ majestate, ita etiam dignitatis & honorum gratia. Fuit eo tempore in disciplinatu ejus juvenis optimæ indolis Thetmarus nomine, cujus mater reverentissima, ipsa nocte qua tali sobole onustanda erat, conspexit in visu veluti auream crucem gemmis redimitam sese gremio recepisse. Præclarum sanè futuræ prolis argumentum sanctitatis fulgore irradiandum. Postquam ergo procreatus est filius, mater non immemor oraculi, mancipavit eum divino cultui, & sacris litteris imbuendum. Sed cùm in primis neglectus esset, eo quòd studium apud Bremam defecisset, contigit adventare Magistrum Vicelinum, & curandis scholis præfici, cujus tutelæ commendatus puer Thethmarus, factus est ejus discipulus & contubernio.

CAPUT XLV. (XLVI.)

1. Vicelinus cum Ditmaro in Galliam commigrat.
2. Hic triennium Anshelmum docentem audit.
3. Ditmarus fit Canonicus Bremensis.

Emensis ergo quàm pluribus annis, Magister Vicelinus, perspecto discipulorum & profectu & numero, proposuit ire in Franciam, majorum scilicet gratia studiorum, oravitque Deum cogitationem suam ab ipso dirigi. Hæc eo animo volutante, Adalbertus, majoris Ecclesiæ præpositus, die quadam accessit ad eum dicens: Quare celasti amicum & consanguineum tuum, ea quę in corde tuo sunt? Qui cùm sollicitè requireret causam, ille respondens ait: Scio quidem, quia profectionem paras in Franciam, nec quenquam vis hoc nosse. Noveris ergo iter tuum à Domino directum: noctu enim in somnis, visus sum mihi assistere ante altare Domini, & orare Deum instantius. Tunc imago beatæ Dei genitricis, quæ fortè in altari constitit, allocuta est me dicens: Vade & nuncia viro, qui jacet post ostium, quia habet potestatem migrandi, quò vult. Parui ego jubentis imperio, & accedens ad ostium reperi te in oratione decubantem. Nunciavi tibi sicut edoctus eram, audisti & lætatus es.

Jam

Iam nunc ergo accepta permissione, perge quò desideras. Hoc itaq; divinæ respectionis solatio animatus, resignavit scholis, non tamen sine dolore Pontificis, majorumq; Ecclesiæ, tanti viri præsentia molestè carentium. Assumptoq; secum honestissimo juvene Thetmaro, perrexit in Franciam, adiitq; scholas venerabilium Magistrorum Rudolphi & Anshelmi, qui in explana-
2 tione divinæ paginæ fuerant eo tempore præcipui. A quibus etiam honorabiliter habitus est, propter ferventissimum studii desiderium & vitæ probabilis meritum. Quæstiones enim supervacuas pugnasq; verborum, quæ non ædificant, sed magis subuertunt, omnino devitans, ad ea solùm enisus est, quæ sobrio intellectui, & moribus instruendis sufficerent. Deniq; accepto semine verbi Dei, eousq; convaluit, ut jam tunc proposuerit propter Deum austerioris vitæ vias aggredi, abdicare scilicet carnis esum, cilicio ad carnem operiri, cultui divino arctius applicari. Adhuc enim Acolitus existens, altiori gradu abstinuerat, timens lubricum ætatis. Ubi ergo maturior ætas & diutinum continentiæ experimentum viro firmitatem addiderant, transactis in studio tribus annis, statuit patriam revisere, & ad sacros ordines promoveri. Contigit in diebus illis dilectum discipulum ejus Thetmarum infirmari. Qui metuens periculum mortis, flevit cum Ezechia fletu magno, postulans dilationem vitæ, propter magistri sui Deo accepta merita. Quo pero-
3 rante, Deo gloria, infirmitate relevatus est. Post hæc recepti in patriam, divisi sunt ab invicem. Et quidem venerabilis Thetmarus Canonica Bremensis Ecclesiæ investitus est: At Magister Vicelinus oblatam recusavit, ordinatione Dei ad opus aliud destinandus.

CAPUT XLVI. (XLVII.)

1. Vicelinus Sacerdotii dignitate à Nortberto, Archiepiscopo Magdeb. ornatur.

2. Ab Adelberone, Archiep. Bremensi ad Slavos mittitur.

3. Lubecam delatus ab Henrico Rege facultatem Slavis Evangelium annunciandi obtinet. - - 1125.

4. Cum sociis in Saxoniam revertitur.

5. Henricus moritur, Suentepolcho & Kanuto relictis filiis, circa annũ. 1126

1 EO itaq; anno quo Francia reversus est, accedens ad reverendissimum Northbertum, Magdeburgensem Præsulem, ejus notitia perfrui, & ad Sacerdotii gradum promoveri meruit. Statimq; ferventissimo zelo æstuans, quibusnam sedibus locandus, aut cui operi mancipandus foret, in quo Ecclesiæ fructuosus existeret, audivit famam Henrici principis Slavorum, & qualiter idem domitis barbaris gentibus, ad ampliaandum cultum domus Dei,

pronam

pronam gesserit voluntatem. Ratus ergo ad opus Evangelii se divinitus vocari, adiit venerabilem Adelberonem, Hammenburgensem Archiepiscopum, qui fortè ad Bremam constitit, revelaturus ei propositum cordis sui. Ille non modicè lætificatus approbavit consilium, deditq; ei legationem verbi Dei in Slavorum gente vice sua idololatriam extirpandi. Statimq; aggressus est iter in terram Slavorum, comitantibus eum venerabilibus presbyteris, Rudolpho Hildensemensi, & Ludolfo Verdensi Canonico, qui se devoverant in opus ministerii hujus. Repertum ergo in urbe Lubecensi Principem Henricum convenerunt, rogantes dari sibi facultatem prædicandi nomen Domini. Qui nil titubans, viros dignissimos coram gente sua magnis honoribus extulit, deditq; eis Ecclesiam (a) Lubeke, ubi tuta secum statione consistere possent, & agere quæ Dei sunt. His ritè peractis, reversi sunt in Saxoniam, ordinaturi de rebus domesticis suis, & paraturi se ad iter Slavonicum. Sed grandis & subita mœstitia corda eorum perculit. Fama enim velox pertulit, Henricum regem Slavorum præsenti vita decessisse. Sicq; ad præsens pia eorum vota retardata sunt. Filii enim Henrici, Zwentepolch, nec non Kanutus, qui dominio succesſêre, intestinis bellis adeo perturbati sunt, ut tranquillitatem temporum & tributa regionum perderent, quæ pater eorum armorum virtute conquisierat.

2 3 4 5

Ecclesiam. a) Hoc unicum erat sive templum sive sacellum in Slavia, idq; in veteri Lubeca, circa annum 1106. *supra cap. 34. n. 8.* Idem solum in Slavia supererat anno 1125. *supra cap. 41. n. 6.* Henricus Regulus illud hîc Vicelino & sociis ejus committit. In eodem Ludolfus & Volcvvardus, sacerdotes, habitant, *infra cap. 48. n. 6.* Idem ab Henrico Principe extructum, & à Kanuto dedicatum esse narratur, *infra cap. 49. n. 11.* Sed quodnam hoc templum, & ubi situm fuerit, non abs re quæras? Cùm hoc sacellum in veteri Lubeca fuisse disertè aliquoties affirmetur, si Veteris Lubecæ nomine sola illa intelligitur, quæ ad amnem Schwartow sita fuit, ibidem sacellum illud ad Travam in colle fuisse, adeoq; cum ipsa urbe eversum esse oportet. Neutrius autem hodie ulla rudera extant. Cui sententiæ firmandæ illud accedat, quòd sacerdotes ex illo, irrumpentibus hostibus, fugientes in vicinum nemus se receperint, *infra cap. 48. n. 6.* Contrà *Hermannus Kornerus Lubecensis*, familiæ Dominicæ monachus, qui ante hosce ducentos annos & quod excurrit, magnum opus historicum edidit, censet, templum hoc illud ipsum fuisse, cujus rudera in nostræ Lubecæ parte australi, apud templum cathedrale, ad nostram usq; ætatem steterunt, & templum S. Iohannis in arena, sive, in monte appellatum fuit; cujus muri & parietes firmissimi quondam operis indicia præbebant. *Kornerus* ita: Ecclesiam autem Henricus in hac urbe ædificaverat, sitam in monte super Trabenam aquam; quæ modo S. Iohannis Baptistæ, *Chronico MS. ad ann. 1135.*

ann. 1135. Korneri sententia inde suaderi possit, quòd ex antiquis Annalibus constet, (id quod infra ad *cap. LVII. n. 4.* ostendemus) Lubecam omnium primò in eodem loco sitam fuisse, ubi hodie conspicitur. Ex quo sequitur, Veteris Lubecæ nomine non illam tantùm intelligi, quæ aliquamdiu, &c, uti conjicio, brevi admodum tempore ad fluv. Schwartow sita fuit, nam ab Henrico Principe demum ædificatam fuisse Helmoldus scribit, *infra c. 57.* sed nonnunquam etiam antiquissimam illam, quæ intra Travam & Wakenissam in insula Bucu fuit, & in qua Crito arcem extruxerat. Nam Adolphus anno 1140. ibi urbem ædificaturus vallum urbis desolatæ, quam olim Cruco tyrannus ædificaverat, reperit, *infra c. 57.* Quid? quod *Auctor antiqui de Vicelino Poematis* affirmet, Vicelinum templum in veteri urbe Bucu struxisse. Atqui Bucu illi loco nomen fuit, in quo hodie urbs jacet. Ἀνώνυμος ille ita:

Ecclesiam Bucue veteri fundavit in urbe.

Quæ alia de hujus sacelli sive prima exædificatione sive instauratione per Henricum Leonem anno 1163. facta, dicenda sunt, infra ad cap. XXCIX. addentur.

CAPUT XLVII. (XLIIX.)

1. *Vicelinus cum Archiepiscopo Brem. Meldorffium in Ditmarsiam proficiscitur.*
2. *Tres Nordalbingorum populi. Illorum mores.*
3. *Falderenses sacerdotem sibi petunt.*
4. *Faldera est limes inter Holsatiam & Wagriam.*
5. *Archiepiscopus Vicelinum Ecclesiastem Falderensem facit.*
6. *Holsati Christiani quidem; sed superstitiosi.*
7. *Vicelinus Nordalbingos ab erroribus revocare cœpit.*
8. *Ad Vicelinum & alij sacerdotes se applicant.*

1 CIrca idem tempus, Dominus Adelbero Archiepiscopus transivit Albiam, visitaturus Hammenburg & Nordalbingorum provinciam, venitq; in civitatem Milethorp (a), habens in comitatu suo venerabilem sacerdotem
2 Vicelinum. Tres autem sunt Nordalbingorum populi, Sturmarii, Holzati, Thetmarzi, nec habitu nec lingua multum discrepantes, tenentes Saxonum jura, & Christianum nomen, nisi quòd propter Barbarorum viciniam, furtis & latrociniis operam dare consueverint. Hospitalitatis gratiam sectantur. Nam furari & largiri apud Holzatos ostentatio est, qui verò prædari nesci-
3 at, hebes & inglorius est. Consistente ergo Episcopo in Milethorp, venerunt
4 ad eum cives de Faldera, (b) rogantes dari sibi sacerdotem. Est autem Falderensis pagus, limes Holsatiæ, versus eam partem, qua Slavos attingit.
5 Statimq; Pontifex conversus ad Vicelinum sacerdotem, dixit: Si tibi propositum est laborandi in Slavia, vade cum hominibus istis, & potire ecclesia eorum, eo quòd sita sit in terminis utriusq; provinciæ, sitq; tibi intranti & exeunti

eunti Slaviam locus & ſtatio. Quo reſpondente, ſe parere conſilio, ait ad
viros de Faldera: Vultis vobis dari ſacerdotem prudentem & idoneum?
Quibus dicentibus, ſe hoc omnibus modis & velle & expetere, acceptum per
manus ſacerdotem commiſit eum cuidam Marcrado præpotenti viro, cæte-
risq; de Faldera, præcipiens ut dignam perſonæ ſolicitudinem gererent.
Cumq; perveniſſet ad locum deſtinatum, perſpexit habitudinem loci, cam- 6
pumq; vaſta & ſterili myrica perhorridum, præterea accolarum genus a-
greſte & incultum, nihil de religione niſi nomen tantùm Chriſtianitatis ha-
bentes. Nam lucorum & fontium, cæterarumq; ſuperſtitionum multiplex
error apud eos habetur. Incipiens ergo habitare in medio nationis pravæ &
perverſæ, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, eo arctius divino ſe commen-
dabat auxilio, quo magis humano deſtitutus eſt ſolatio. Dedit autem ei Do-
minus gratiam in conſpectu gentis illius. Statim enim ut gloriam Dei, & bo- 7
na futuri ſeculi, carniſq; reſurrectionem prædicare cœpit, ad novitatem in-
cogniti dogmatis gens bruta grandi miraculo perculſa eſt, diffugeruntq; te-
nebræ peccatorum ab illuſtratione irradiantis gratiæ Dei, denique incredi-
bile dictu eſt, quanta plebium caterva in diebus illis ad pœnitentiæ remedi-
um confugerit, inſonuitq; vox prædicationis ejus in omni Nordalbingorum
provincia. Cœpitq; pia ſolicitudine circumiacentes viſitare Eccleſias, præ-
bens populis monita ſalutis, errantes corrigens, concilians diſſidentes, præ-
terea lucos & omnes ritus ſacrilegos deſtruens. Comperta ſanctitatis ejus 8
fama, multi tam de clero quàm de laicali ordine convenerunt ad ipſum, inter
quos primi & præcipui fuerunt venerabiles Sacerdotes, Ludolphus, Eppo,
Luthmundus, Volckwardus, cæteriq; quàm plures, ex quibus aliqui dormi-
unt, quidam verò adhuc ſuperſtites ſunt. Hi ergo ſacris connexi fœderibus,
ſtatuerunt amplecti cœlibatum vitæ, perdurare in oratione & jejunio, exer-
ceri in opera pietatis, viſitare infirmos, alere egentes, tam propriam quàm
proximorum ſalutem curare. Super omnia verò pro Slavorum vocatione
ſolliciti orabant Dominum, oſtium fidei quantocyus aperiri. Quorum De-
us petitiones longius diſtulit: nondum enim completæ ſunt iniquitates A-
morræorum, neque venit tempus miſerendi eorum.

Milethorp. a) Codex MS. L. habet Miledorp. Hodie Meldorp. *Adamus Brem.* ſcribit Mildinthorp, *lib. II. cap. 8.*

Faldera, b,) Tribus nominibus locus appellatus eſt, in quem Vicelinus venit. Nam ab Holſatis Wippendorp, fortè ab aliquo ſuo conditore Wippone: à Venedis Faldera, & poſtea Novum-monaſterium dictus fuit. Cùm Vicelinus

 auſpi-

auspicio Præsulis Adalberonis illuc veniret, reperit inibi sacellum ligneum, quod longo tempore desertum, ipse instauravit, ibidemq; monasterium extruere cœpit. Vicelino anno 1154. defuncto, Monachi ipsius subtrahebant se Episcopo Aldenburgensi, quòd laborem docendi & Slavos pertinaces convertendi ad fidem fugerent, atq; Præposito sibi electo, Archiepiscopo se subjiciebant. *Auctor infra c. 79.* Adde *Krantzium*, illos excusare conantem, *Wand. l. IV. c. 21.* Vicelini cœnobium Archiepiscopus Bremensis anno 1164. dedicat, et Novum-monasterium deinde appellari præcipit. *Auctor infra, c. 93.* Permansit ibidem monasterium annos CLXXIIX. Nam postea Bordesholmum cum Vicelini ossibus translatum est. De quo ita *Hermannus Kornerus*: Hoc quidem cœnobium impræsentiarum Bardesholm nuncupatur, translatum de novo monasterio in locum præsentem, *Chron. MS. ad ann. 1122.* Templo Bordesholmiano in latere occidentali hæc inscripta :

Monasterium istud	fundatur in Niemunster	anno Domini M	CXXV. per Venerabilem Vicelinum Præpositum piæ mem. qui obiit MCLIV.
	transfertur inde		CCCXXXII. per Henricum Svvineborch Lubecensem, Præpositum XV. qui obiit MCCCXLIII.
	reformatur tandem		CCCCXC. per Andream Laer, de Daventria Priorem p. m. qui obiit anno M D II.

Annum fundationis cum hac inscriptione eundem ponit *Albertus Stadensis*. Sed ratio temporum vix illum admittit. Nam anno 1125. Vicelinus primùm Lubecam pervenit, & Slavos docendi potestatem à Regulo Henrico consequitur; qua impetrata cum sociis in Saxoniam recurrit. Dum absunt, Henricus vitâ defungitur, & præmaturo suo excessu pia studia Vicelini non parum sufflaminat. Post Vicelinus cum Archiepiscopo Meldorpium proficiscitur, & Falderensium Ecclesiastes constituitur. Initium operis ergo circa annum 1127. aut seq. factum esse mihi fit verisimile.

Brevi autem tempore insigniter crevit coetus Monachorum, in Falderensi ecclesia sub Vicelino, Augustini ordinem & regulam sequentium. Accedebat enim Imperatorum, Archiepiscopi, Principum & aliorum eximius favor & pia liberalitas. Lotharius publicis tabulis bona Novimonasterii ab omnibus oneribus anno 1136. eximebat: Adalbero autem, Archiepiscopus, Vicelino evangelii per Slaviam annunciandi copiâ facta Wippendorp & Dragersdorp villas, cum agris earum, conferebat.

Anno 1141. plurimas villas alias adjungebat.

A. 1142. idem Vicelinum Præpositum ecclesiæ istius renunciabat, eidemq; ecclesiam Bishorst, ad ripam Albis sitam, cum decimis donabat.

A. 1144. Richardis & Ermingardis nobiles & religiosæ fœminæ prædiis nonnullis in Elmeshorn sitis bona monasterii augebant.

A. 1146. Archiepiscopus omnes decimas ecclesiæ Bishorstensis eorundem fratrum usibus dedicabat.

A 1149. Henricus Leo donationes Falderensibus fratribus à Lothario, avo suo materno, ab Henrico, Duce Saxoniæ, patre suo, à Comite Adolpho & aliis Holsatis

tis factas suis tabulis confirmabat. Inter cæteros testes numeratur & Henricus de Badevvide, à quo Comites Raceburgenses postea orti sunt.

Cùm anno 1164. Hartvvicus Archiepiscopus Novum-monasterium præsens dedicaret, fratribus priores reditus omnes confirmabat, multis aliis cum ecclesia Ichhorst adjectis. Vide *Privileg. Eccles. Hamb.* Hæc fere initia Novi-monasterii fuere.

CAPUT XLVIII. (XLIX.)

1. *Zuentepolchus & Kanutus bellicis motibus Nordalbingiam complent.*
2. *Zuentepolchus Kanutum in arce Plöna obsidet.*
3. *Obsidio solvitur, & regiones paternæ inter filios dividuntur.*
4. *Kanutus paulò pòst Lütkenburgi interficitur.*
5. *Zuentepolchus Adolpho Comite assumto Werlam & Kissinum urbes rebelles recuperat.*
6. *Vicelinus à Zuentepolcho, Lubecam in regiam suam reverso, Christianam religionem docendi facultatem impetrat, & sacerdotes eò mittit.*
7. *Lubeca vetus à Rügianis diripitur.*
8. *Zuentepolchus ab Holsato quodam obtruncatur.*
9. *Sueno Atlenburgi occiditur.*

SIquidem filii Henrici, domestica bella conflantes, populis Nordalbingo- 1
rum novos labores parturiebant. Zuentepolch enim senior, solus domi- 2
nari cupiens, Kanuto fratri suo multas irrogavit iniurias, ad ultimum sumptis Holzatis, eundem in castro Plunensi obsedit. At Kanutus prohibens socios, ne obsidentes jaculis appeterent, ascendens ad propugnacula, allocutus est omnem exercitum dicens: Audite quæso verbum meum, viri optimi, qui venistis de Holzatia. Quid rogo causæ est, ut consurgatis adversus amicum vestrum? Nonne ego frater sum Zuentepolci, eodem patre Henrico genitus, & de jure, ditionis paternæ cohæres? Quare ergo frater meus extorrem me facere nititur hæreditatis paternæ? Nolite, quæso, frustra vexari adversum me, sed revertimini ad judicium, & obtinete mihi apud fratrem meum, ut det portionem quæ me jure contingit. His auditis animæquiores 3
facti sunt animi obsidentium, decreveruntq; virum justa postulantem exaudiri. Adhibitaq; opera, germanos discordes reconciliaverunt, partita inter
eos provincia. Sed Kanutus non longè pòst interfectus est in urbe Lutilin- 4
burg, Zwentepolch solus dominio potitur, convocansq; Adolfum Comitem 5
cum Holzatis, & Sturmariis, direxit expeditionem in provinciam Obotritorum, obseditq; urbem quæ dicitur Werlo. Qua in potestatem redacta, ultra progressus est ad urbem Kycinorum, obseditq; eam hebdomadibꝰ quinq;.

 Tandem

Tandem urbe subacta, acceptisque obsidibus, Zuentepolch reversus est Lube-
6 ke, Nordalbingi quoque ad sedes suas redierunt. Videns autem Vicelinus Sacerdos, quia Princeps Slavorum humanius se gereret erga Christicolas, accessit ad eum, & innovavit apud eum paternæ pollicitationis cœptum, impetratoque principis favore, misit in urbem Lubeke venerabiles sacerdotes, Ludolfum & Volcwardum, qui salutem populi curarent. Receptique sunt benignè à mercatoribus, quorum non parvam coloniam Henrici Principis fides
7 & pietas ibidem consciverat. Habitaveruntque in Ecclesia sita in colle, quæ est è regione urbis, trans flumen. Nec longum tempus effluxit, & ecce Rugiani urbem vacuam navibus offendentes, oppidum cum castro demoliti (b) sunt. Sacerdotes inclyti, barbaris unam ecclesiæ januam irrumpentibus, per aliam elapsi, beneficio vicini nemoris salvati sunt, & ad Falderensem portum
8 refugerunt. Zwentepolch non longè pôst interfectus est, dolo cujusdam Dasonis prædivitis de Holzatia. Remansit Zwentepolch filius nomine Zvi-
9 nike, sed & hic interfectns est apud Ertheneburg, urbem Transalbianorum. Defecitque stirps Henrici in principatu Slavorum, mortuis scilicet filiis & filiorum filiis. Prædixerat hoc idem princeps, nescio quibus oraculis edoctus, stirpem suam quantocyus defecturam.

Plunensi. a) *Editi* habebant *Plumensi.* vitiosè. In *MS.L.* & *S.* rectè exaratum *Plunensi.* Plöna arx est antiqua, quæ idem hodie nomen obtinet. Vide *supra c.25. n.10.*

demoliti. b) Non tamen hac vice urbs tota excisa est. Nam *cap. seq. n.11.* templum adhuc in ea dedicatur. Reversi autem Rugiani anno 1139. eam totam everterunt. *infra c.55. n.3.*

CAPUT XLIX. (L.)

1. Kanutus, Danus, imperium in Obotritos consequitur.
2. Ericus sacrum iter ingressus regnum & Kanutum filium Nicolao fratri commiserat. - - 1105.
3. Kanutus, & Magnus, Nicolai filius, unà in aula educti.
4. Kanutus insidias Nicolai metuens ad Lotharium, Saxoniæ Ducem, se confert.
5. Inde ipsum reversum Nicolaus Ducem Slesvicensem constituit.
6. Latronibus terram purgat.
7. A Lothario Imperatore Kanutus Rex Obotritorum coronatur 1126.
8. Ex monte Albergo (pôst Segebergo dicto) Wagrios debellare parat.
9. Pribislaum & Niclotum, Obotritorum Principes, captos imperata facere cogit.

10. Viceli-

10. Vicelini hospitio sæpe usus est.
11. Lubecæ templum dedicavit.
12. Adolphus I. Comes obit, relicto Adolpho II. viro docto & facundo. . . . . 1131.

POst hæc (a) translatus est principatus Slavorum ad nobilissimum Princi- 1
pem Kanutum, filium Erici regis Danorum. Ericus (b) enim potentissi- 2
mus Rex, cùm se devovisset ad iter Hierosolymitanum, fratri suo Nicolao regnum, cum filio Kanuto commendavit, accepto juramento, ut si non rediret, filio suo, postquam adolevisset, regnum contraderet. Cùm ergo regem Hierosolyma redeuntem, fata sustulissent, Nicolaus, licet cōcubina natus, Danorum regnum obtinuit, eo quòd Kanutus adhuc esset infantulus. Sed & Nicolao erat filius nomine Magnus. Nutriebantur ergo regalius & magnificenti- 3
us hęc duo genimina in futuras commotiones bellorum, & multorum ruinam Danorum. Ubi autem Kanutus adolere cœpit, timens se insidiis patrui sui fa- 4
cilè posse obrui, transiit ad Imperatorem (c) Lotharium, & mansit apud eum multis diebus sive annis, habitus ut regiam magnificentiam decuit, cum plena honorificentia. Inde subiens in patriam, à patruo benignè receptus, & 5
ducatu totius Daniæ præditus est. Cœpitq; vir pacificus regionem compaca- 6
re, auferens viros desertores de terra. Præcipuè verò Slefwicensibus beneficus erat. Contigit autem latrones forte comprehendi in myrica, quæ interiacet inter Sliam & Egdoram, & perduci in faciem Kanuti. Quos cùm ille suspendio addixisset, unus ex eis vitę consulere cupiens proclamavit, se consanguineum ejus esse, & regia Danorum stirpe oriundum. Cui Kanutus, Turpe, inquit, est consanguineum (d) nostrum, vulgarium more affici, decet nos impendere ei claritatem. Et jussit ei in nautica pinu solenne exhiberi suspendium. Interea subiit animum ejus, quòd principatus regni Slavorum vacaret, 7
mortuo scilicet Henrico & filiis ejus adnullatis. Adiit ergo Lotharium Imperatorem, emitq; multa pecunia regnum Obotritorum, omnem scilicet potestatem, qua præditus fuerat Henricus. Et posuit Imperator coronam in caput ejus, ut esset Rex Obotritorum, recepitq; eum in hominium. Post hæc transiit 8
Kanutus in terram Wagirorum, & occupavit montem, qui antiquitus Alberg dicitur, imposuitq; illic mansiunculas, intendens ibidem communire castellum. Et sociavit sibi in terra Holzatiensium omnem virum fortem, fecitq; cum eis incursationes in terram Slavorum, occidens & sternens omnes sibi adversantes. Sed & fratruelem Henrici Pribizlaum, & majorem terræ Obotritorum Niclotum, duxit in captivitatem posuitq; Slefwich in custodiam, astringens 9
eos manicis ferreis, quousq; pecunia & vadibus redempti, ea quæ subjecta

sunt,

10 sunt, sentirent. Sæpius & in terram Wagirorum deversans, Falderensi hospi-
tio usus est, præbuitque se familiarem Vicelino & omnibus illic commoranti-
11 bus, promittens eis bona, si Dominus res suas in Slavia direxisset. Veniens
etiam Lubeke, dedicari fecit Ecclesiam, quam construxerat Henricus, a-
stante venerabili sacerdote Ludolpho, & cæteris qui de Faldera eidem loco
12 mancipati erant. In diebus illis obiit Comes Adolfus, (e) habuitque duos fili-
os. Quorum senior Hartungus vir militaris, habiturus erat Cometiam. At
junior filius Adolfus literarum studiis deditus erat. Contigit autem Lotha-
rium (f) cum grandi expeditione ire in Bohemiam. Ubi interfecto Hartun-
go cum multis nobilibus, Adolfus accepit Cometiam terræ Nordalbingo-
rum, vir prudens, & in divinis & humanis rebus exercitatissimus. Præter
facundiam enim Latinæ & Teutonicæ linguæ, Slavicæ nihilominus linguæ
gnarus erat.

Post hæc. a) Ad caput XLIX. & seqq. L. LI. LXVII. & XXCIV. rectiùs intelligenda, tabellam Principum & Regum Daniæ, quorum res gestæ & interitus his capitibus exponuntur, hîc subjicere placuit.

Sueno Esthritius, Daniæ & Angliæ Rex, regnare cœpit anno 1049.

Syritha, Godschalci uxor.	Ericus Bonus, Rex Daniæ, anno 1100.			Nicolaus, Rex Daniæ, anno 1107.
Henricus, Rex Obotritorum.	Kanutus, Dux Slesvicensis, & Rex Obotritorum, interfectus à Magno.	Ericus Emund, Rex Daniæ, anno 1130.	Anna, nupta Haquino Cimbro.	Magnus Gothorum Rex, interemtor Kanuti, cecidit in prælio adversus Ericum Emund.
	Waldemarus I. Rex Daniæ, anno 1156.	Sueno Gratenhede, Rex Daniæ, anno 1148. cadit in prælio contra Waldemarum, anno 1156. c. 84.	Ericus Lam, aliâs Spage, successit Erico Emundo anno 1140. & Tutor factus Waldemari, Suenonis, Kanuti.	Kanutus, Rex Daniæ, anno 1148. interficitur à Suenone, anno 1156. c. 84.
				Waldemarus, Episcopus Slesvicensis.

Ericus b.)

Ericus. b) Causam expeditionis fuisse delicti in quatuor satellitum cæde perpetrati expiationem narrat *Saxo l. XII.* Obiit a. Ericus in insula Cypro anno 1105. *Joh. Isac. Pontan. l. V. in Erico.* Nicolaus ei anno 1107. successit. *Idem.*

Imperatorem. c) Lotharium hîc ab Auctore per anticipationem Imperatorem vocari necesse est. Contigit enim hæc Kanuti fuga circa ann. 1110. quia anno 1107. Nicolaus regnare cœpit. Lotharius autem demum anno 1125. Imperator factus est.

consanguineum. d) Regem & principes non debere impiis licet sanguine junctis parcere docet *Hincmarus Archiepisc. Rhemens. Epist. IV. c. 12.*

Adolfus. e) Sepultus est apud Insulam Mindensem in templo Monachorum ordinis S. Benedicti. *Herm. de Lerbeke in Chron. Schawenb. p. 9.*

Lotharium. f) De expeditione hac Lotharii in Bohemiam disserit *Otto Frisingens. de reb. gest. Barbarossæ l. I. c. 20. & 21.* Nonnulli Scriptorum eam ad annum 1125. referunt, ut *Herm. de Lerb.* qui XIIX. Febr. 1125. prælium gestum scribit, quo Hartungus occubuit. *pag. 10.* Alii ad annum 1126. nonnulli etiam ad ann. 1127. Vide de his *Meibom. in Notis ad Hermann. de Lerb. p. 48.*

CAPUT L. (LI.)

1. *Kanutus in colloquio cum Nicolao offensam Magni incurrit.*
2. *Magnus instinctu matris insidias Kanuto struit.*
3. *Nicolaus dissidentium animos in gratiam restituit.*
4. *Magnus Kanutum ad se evocatum crudelissimè interficit, 7. Jan. 1130.*
5. *Lotharius ulturus cædem Slesvicum usq; cum exercitu movet.*
6. *Magnus Imperatori fidelitatem jurat.*

Circa (a) tempus dierum illorum accidit, ut Kanutus rex Obotritorum 1
veniret Sleswich, habiturus cum patruo suo Nicolao curiale colloquium. Cùm autem populus venisset in concionem, & rex senior sedisset in throno, indutus cultu regio, Kanutus assedit ex opposito, gestans & ipse coronam regni Obotritorum, stipatusq; satellitum agmine. Sed cùm rex patruus videret nepotem suum in fastu regio, sibiq; nec assurgere, nec osculum ex more dare, dissimulata injuria, transiit ad eum, oblaturus salutationem cum osculo. Cui ille occursans ex medio, sese per omnia patruo & loco & dignitate adæquavit. Quod factum Kanuto letale odium conscivit. Nam Magnus, filius 2
Nicolai, cum matre huic spectaculo assidens, incredibile dictu est, quanta ira exarserit, dicente ad eum matre sua, Nonne vides, quia nepos tuus sumpto sceptro jam regnat? Arbitrare ergo eum hostem publicum, qui vivente adhuc patre tuo, nomen sibi regni usurpare non timuit. Quòd si longius dissimulaveris, & non occideris eum, scito te & vita & regno ab eo privandum. His itaq; verbis instimulatus, cœpit insidias moliri, ut Kanutum occideret. Quod 3
sentiens Nicolaus rex, convocat universos principes regni, deditq; operam,

ut juvenes diffidentes confœderaret. Diffensionibus ergo ad pacem inclinatis,
4 jurata sunt utrinq; fœdera. Sed pactiones istæ apud Kanutum firmæ, apud Magnum dolis oblitæ sunt. Statim enim ut ficta soliditate animum ejus investigat, & omni suspicionis malo vacuum considerat, rogat Kanutum Magnus, ut occurrat sibi ad singulare colloquium. Dissuadet Kanuto uxor exitum, timens insidias, simul etiam exasperata somnio, quod præterita nocte viderat. Nec tamen vir fidelis retineri potuit, sed sicut laudatum fuerat, occurrit ad locum (b) placiti, comitatus quatuor tantum viris. Adest Magnus cum totidem viris, amplexatumq; deosculatur nepotem, consederuntq; tractaturi negocia. Nec mora, surrexerunt insidiæ de latebris suis, percussumq; Kanutum interfecerunt, divisoq; membratim corpore, crudelitatem etiam in mortuo exaturare gestierunt. Et multiplicatæ sunt à die illa perturbationes & intestina bella in Dania, de quibus in consequentibus aliquantisper commorandum est, eo quòd provinciam Nordalbingorum vehementer attigerint.
5 Audito autem sinistro hoc nuncio Lotharius Imperator, cum conjuge sua Rikenza, non modicè contristati sunt, eo quòd corruerit vir Imperio amicitia conjunctissimus. Venitq; cum grandi exercitu prope civitatem Slefwich, ad vallum illud notissimum Dinewerch (c) ulturus mortem funestam optimi viri
6 Kanuti. Consederat è regione Magnus, cum immenso Danorum exercitu, defensurus terram suam. Sed territus virtute Teutonici militis, apud Cæsarem immenso auro, & hominio, impunitatem indemptus est.

Circa. a) Quæ de rebus Danicis Auctor hoc, & seq. capite scribit, illa diligenter & disertè exponit *Joh. Isac. Pontan. l. V. in Nicolao.*

locum. b) locus cædi regiæ destinatus fuit Ringsteth, secundum *Hermann. Kornerum Chron. MS. f. XXVI. a.* Haralstadium *Saxoni Grammatico l. XIII.* Havelsteth *Erico Regi in Chronico*, vulgo Harestadium juxta *Joh. Isac. Pontan. l. V. anno 1133.*

Dinevverch. c) Vallum hoc primùm anno CH: 808. à Rege Gotricho, vel Godefredo contra Caroli M. irruptiones conditum esse ex *Annalib. Regum Francor.* & *Regione* constat. Adde *Joh. Suaning. ad ann. 808. & 951.* Differit de eodem munimento *Saxo Grammaticus l. X. p. 182.* Ad quem ejus locum prolixè atq; egregiè commentatur *Steph. Johann. Stephanius in Not. p. 199. Saxo* etymon hujus valli describit *lib. XIV. Ericus Rex in Chron.* Thyram, Haraldi Blatandi matrem, ligneam tantùm hanc munitionem fecisse narrat, *in Gormone, Rege 88.* Adde *Auctorem Anonym. de Regib. Dan.* in Haraldo VI. *ab Erpoldo Lindenbrog continuatum, p. 477.* Item *Joh. Isac. Pontan. l. IV.* in Godefredo, ann. 808. & *l. V.* in Haraldo, ann. 948. Accurata ejus delineatio topographica est apud *Caspar. Danckwerth. part. I. c. 9. Tab. XIIX. & XIX.*

CAPUT

CAPUT LI. (LII.)

1. *Ericus, nothus, Kanuti frater, Magnum bello lacessit.*
2. *Slesvicum occupat.*
3. *Nicolaus & Magnus ibi eum obsident.*
4. *Magnus Adolphum urbi subsidio venientem vincit.*
5. *Ericus Slesvico elapsus in Scania bellum instaurat.*
6. *Inibi prælio inito Magnus cadit. - - - - - - - 1135.*
7. *Nicolaus Slesvici à civibus occiditur.*
8. *Trium Regum tres filij.*

VIdens ergo Ericus frater Kanuti, natus de concubina, quia refriguit Cæsaris ira, cœpit armari in ultionem fraterni sanguinis, currensq; terra & 1
mari congregavit multitudinem Danorum, execrantium impiam cædem Kanuti. Sumptoq; regio nomine, cœpit frequentibus bellis incursare Magnum, sed superatus, sed fugatus est. Unde etiam Ericus Hasenvoth, id est, pes leporis, propter fugam continuam appellatus est. Dania, tandem exturbatus, con- 2
fugit in civitatem Sleswich. Illi autem memores bonorum, quæ impenderat eis Kanutus, receperunt virum, parati pro eo ferre mortem & exterminium. Quamobrem Nicolaus, & filius ejus Magnus, præceperunt omni populo Da- 3
norum, ut descenderet ad pugnam, Sleswich, crevitq; obsidio in immensum. Porro lacus ille qui civitati adjacet, glacie concretus, pervius erat, impugnaveruntq; civitatem terra mariq;. Tunc Sleswicenses miserunt nun- 4
cios ad Comitem Adolfum, offerentes ei centum Marcas, ut cum gente Nordalbingorum civitati præsidio foret. Sed & Magnus tantundem obtulit, ut bello abstineret. Inter hæc Comes incertus quid ageret, consuluit majores provinciæ. Illi consuluerunt, civitati subveniendum, eo quòd mercibus ejus sæpe potirentur. Congregato ergo exercitu, Adolfus Comes transiit Egdoram fluvium, visumq; ei fuit paululum subsistendum, quousq; universus conveniret exercitus, eundumq; in terram hostilem cum diligenti cautione. Sed populus prædarum avidus, retineri non potuit. Tanta enim festinantia præterlapsi sunt, ut venientibus primis ad sylvulam Thievela(a), novissimi Egdoram fluvium vix attingerent. Audito ergo, Magnus, Comitis adventu, eligit de exercitu mille loricatos, abiitq; in occursum exercitus, qui exierat de Holzatia, & commisit cum eis prælium. Et fugatus est Comes, percussiq; populi Nordalbingorum attritione maxima. Comes autem, & quotquot fugerant de acie, reversi per Egdoram salvati sunt. Magnus ergo potitus victoria, reversus est ad obsidionem, frustrato tamen labore: nam neq; civitate neq; hoste potitus est. Laxata enim hyeme pariter & obsidione, Ericus elapsus venit in mariti- 5

mam Sconiæ regionem, conquerens ubiq; innoxiam fratris cædem, & pro-
6 prias calamitates. Audiens ergo Magnus quia comparuit Ericus, accedente æstate, direxit expeditionem in Sconiam cum innumera classe. At ille conse-derat è regione, stipatus accolarum licet brevi numero. Soli enim Sconenses universis Danis restiterant. Cùm ergo Magnus in sacro die Pentecostes aciem urgeret ad congressum, dixerunt ad eum venerabiles Pontifices: Da gloriam Deo cœli, & habe reverentiam diei tantæ, & quiesce hodie, pugnaturus in crastinum. Qui monita contemnens, aggressus est prælium. Produxitq; Ericus exercitum suum, & occurrit ei in manu valida. Ceciditq; b) Magnus in die illa, percussaq; sunt universa Danorum agmina à viris Sconensibus, & ad internecionem deleta. Et factus est Ericus ea victoria insignis, & creatum est ei nomen novum, ut Ericus Emum (c) hoc est, memorabilis ap-
7 pellaretur. Porrò Nicolaus rex senior navi elapsus venit Sleswich, percussusq; est à viris (d) civitatis in gratiam victoris. Ultusq; est Dominus sanguinem Ka-
8 nuti, quem interfecit Magnus, prævaricator jurisiurandi quod juravit. Et regnavit Ericus in Dania, generavitq; ex concubina Thunna filium nomine Suein. Sed & Kanuto erat filius nobilis Waldemarus. Magnus quoq; genuit Kanutum. Remanseruntq; hæc regalia incrementa Danorum populis, in quibus exercerentur, ne forte amisso usu præliandi quandoq; insolescerent. Solis enim civilibus bellis præpollent.

Thievela, a) Theuel, *Herman. de Lerbek.*

Cecidit, b) Cum Magno cecidisse Petrum Episcopum Roskildensem, & Henricum Suediæ Episcopum, omnesq; Jutiæ, præter unum, Antistites refert *Saxo fine libri XIII.* Juxta *Erici Regis Chronicon*, & *Hermann. Kornerum* ceciderunt sex Episcopi, quatuor ex Iutia, unus ex Scandia, unus item ex Suedia, *Chron. MS. f. XXVI. b. Johan. Suaning.* addit, LX. sacri ordinis viros cum illis Episcopis occubuisse.

Emun, c) ita juxta *MS. L.* legendum, vel Emund, ut Historici Danici scribunt. Non Enum, ut erat in editis.

à viris, d) à sutoribus Slesvicensibus, ut narrant *Ericus Rex in Chron.* & *Hermann. Kornerus ibid.*

CAPUT LII. (LIII.)

1. *Pribislaus Wagrios & Polabos, Niclotus Obotritos ad paganismum reduxerunt.*
2. *Dij & religio harum gentium.*
3. *Suantevitus summum illarum Numen.*
4. *Crudele ingenium, & Christiani nominis extremum odium.*

Postquam

POstquam ergo mortuus est Kanutus cognomento Lawardus rex Obotritorum, successerunt in locum ejus Pribizlaus atq; Niclotus, bipartito principatu, uno scilicet Wagirensium atq; Polaborum, altero Obotritorum provinciam gubernante. Fueruntq; hi duo truculentæ bestiæ, Christianis valde infesti. Invaluitq; in diebus illis per universam Slaviam multiplex idolorũ (a) cultura, errorq; superstitionum. Nam præter lucos atq; penates, quibus agri 2
& oppida redundabant, primi & præcipui erant, Proue Deus Aldenburgensis terræ, Siwa Dea Polaborum, Radigast Deus terræ Obotritorum. His dicati erant flamines & sacrificiorum libamenta, multiplexq; religionis cultus. Porrò solennitates diis dicandas sacerdos juxta sortium nutum denunciat, conveniuntq; viri & mulieres cum parvulis, mactantq; diis suis hostias de bobus & ovibus, pleriq; etiam de hominibus Christianis, quorum sanguine Deos suos oblectari jactitant. Post cæsam hostiam sacerdos de cruore libat, ut sit efficacior oraculis capessendis. Nam sanguine dæmonia facilius invitari, multorum opinio est. Consummatis juxta morem sacrificiis, populus ad epulas & plausus convertitur. Est autem Slavorum mirabilis error: nam in conviviis & compotationibus suis, pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam consecrationis sed execrationis verba, sub nomine Deorum, boni scilicet atq; mali, omnem prosperam fortunam à bono Deo, adversam à malo dirigi profitentes, ideo etiam malum Deum sua lingua Diabol sive Zcerneboch, id est, nigrum Deum, appellant. Inter multiformia autem Slavorũ nu- 3
mina præpollet Zuantevith Deus terræ Rugianorum, utpote efficacior in responsis, cujus intuitu cęteros quasi semideos æstimabant. Unde etiã in peculium honoris annuatim hominem Christicolam, quem sors acceptaverit, eidem litare consueverunt. Quin & de omnibus Slavorum provinciis statutas sacrificiorum impensas illò transmittebant. Mira autem reverentia circa fani diligentiam affecti sunt: nam neq; juramentis facilè indulgent, neq; ambitum fani vel in hostibus temerari patiuntur. Fuit præterea Slavorum genti cru- 4
delitas ingenita, saturari nescia, impatiens ocii, vexans regionum adjacentia terra mariq;. Quanta enim mortium genera Christicolis intulerint, relatu difficile est, cùm his quidem viscera extorserint, palo circumducentes, hos cruci affixerint, irridentes signum redemptionis nostræ. Sceleratissimos enim cruci affigendos autumant: eos autem quos custodiæ mancipant pecunia redimendos, tantis torturis & vinculorum nodis plectunt, ut ignoranti vix opinabile sit.

idolorum. a) Uti in plurimas gens Slavica erat divisa nationes: ita varia diversis in locis colebat numina, idq; tanta cum veneratione, ut eisdem non bestiarum, tantùm

tantum, sed & Christianorum sanguine crebrò litarent. Ex istis tria illa, quæ nostris in locis à profana gente mira superstitione culta sunt, quæq; Auctor hîc & alibi commemorat, breviter hoc loco describere operæ pretium fuerit, ut nos fœditate immanis idololatriæ adducti gratis animis immensum veri DEI agnoscamus & deprædicemus beneficium, qui Majores nostros tandem ex Cimmeriis istis paganismi tenebris liberatos in clarissima Evangelii luce locavit, & dispulsa impiæ superstitionis caligine animos nostros beata sui cognitione & Servatoris nostri JESU CHRISTI illustravit.

Prove, Wagriorum deaster, magna in veneratione apud gentem superstitiosissimam habitus fuit. Meminit ejus Auctor & infra *c.69.* & *83.* Nomen dupliciter effertur: Proue & Prono. Prior lectio est in *MS. L.* & *S.* altera in *Chron. antiquo Saxoniæ.* Priorem confirmat nomen vici in Wagria, ubi idolum ejus in luco stetit, qui vicus ab illo Provenaw dictus, idem nomen in hunc usq; diem retinet. Sunt, qui scribant, etiam in veteri Lubeca aliquod ejus idolum ad cultum stetisse, quorum sententiam cum antiquorum Annalium suffragio destitui videam, suis eam auctoribus relinquo. Hic Prono, virili forma in columna stabat, coronâ caput redimitus, oblongis atq; erectis auribus, altero pede tintinnabulo insistens, ocreas etiam indutus. Dextrâ ferrum rubrum & q. candens tenebat; alterâ vexilli contum quatiebat. Ferrum qua forma fuerit, non usq; adeo certum. Vomeris speciem retulisse quidam non sine causa prodidere. Nostra illa figura ex *Chronico Sax.* expressa est; in quo vocatur ein provensen / quasi dicas, ferrum probationis, fortè quòd in ipsius luco & fano, & ad sacras illas quercus, inter quas stabat idolum, (uti refertur infra *c.83.*) qui criminis alicujus rei essent, contrectatione ferri aut vomeris candentis examinandi & explorandi essent. Ita enim illa examinis per ferrum superstitio in Wagriorum animis radices egerat, ut eam ne tunc quidem, cùm jam ad veri DEI cultum operâ Episcoporũ & sacerdotum erudirentur, deponere prorsus vellent. Vide infra *c. 83.*

Radegastus, celebre Obotritorum numen, præcipua quadam religione à cœca gente diu cultus fuit. Totus ille in urbe Rethra in fano suo stabat aureus, uti scribit *Helmoldus* supra *c.2.n.7.* Capillis capitis avicula dispassis alis inhærebat. Pectori tauri caput nigrum, gentis insignia, additum, quod dextra fulciebat. Sinistra bipennem jactabat. Imaginem ejus ex *Chronico Saxon.* adjecimus. Nomen illi à Radegasto, Rege quondam Obotritorum bellicosissimo, inditum fuisse putatur. Hunc enim cùm post res magnas feliciter gestas & præclara edita facinora in prælio occubuisset, pro numine colere cœperunt. Si quis tamen contendat, idolum Rege fuisse antiquius, & hunc ab illo denominatum esse, non multum refragabor. Sed cùm illa Rethre in Pomerania sita fuerit, & verò præcipue ab Obotritis Radegastus cultus sit, etiam in urbe Mechlenburgo, atq; vicino oppido Gadebuscho templa illi & statuas dicatas fuisse, *Reimarus Kock Chronico Lubec. MS.* ex veterum Annalibus retulit: atq; inde Gadebuscho nomen inditum, ut *Dei lucus* vocaretur. Res confirmatur etiam appellatione amnis, qui Gadebuschum alluit, & inde ab ipso oppido Gadebuscho longo per agrum Mechlenburgensem tractu Radegastus nuncupatur, donec Stöpenissæ nomen ille subit; quod retinet, donec in lacum Dassoviensem se exonerat. Sed & vicus post tertium à Gadebuscho

buſcho lapidem ſupereſt, cui idem in hunc uſq; diem nomen. Oſtentant etiam incolæ oppidi in templo Gadebuſchiano genus metalli in feneſtra verſus Occidentem, cujus ſimile hodie nulli artifices norint. Atq; id de corona ſtatuæ Radegaſti ſupereſſe ex Majorum traditione dictitant.

Ditmarus, Epiſcopus Merſeburgenſis, qui circa annum Chriſti cIↄ. vixit, in literas retulit, in Redariorum pago, i.e. diſtrictu, urbem antiquam Riedegaſt fuiſſe. In hac fanum affabrè factum, in parietibus fani deorum & dearum imagines mirificè ſculptas extitiſſe. Urbem binominem, & eandem cum Rethre fuiſſe, atq; alterum nomen ab idolo ſuo Radegaſto traxiſſe vero ſimile eſt. Vide *Ditmar. l.VI. p.65.*

Nec à veritate alienum videri poteſt, Radegaſto aut ſemper, ex quo ille Numinis loco haberi cœpit, plura templa dicata in his locis fuiſſe, idq; exemplo aliorum Deorum, quorum nomini diverſis in locis fana conſecrata fuere, aut, cùm Otto M. anno 960. urbem Rethram cum Radegaſto idolo everteret, & tamen Auctor noſter tempore Pribislai & Nicloti, i.e. circa annum 1130. poſt annos videlicet 170. Radegaſtum ab Obotritis cultum eſſe commemoret, illam gentem antiquæ atq; avitæ ſuperſtitionis tenaciſſimam Radegaſti idolum aliis in locis denuo ſtatuiſſe, & Majorum numina retinuiſſe, donec ipſa tota abjecto idolorum cultu ad CHRISTI fidem converſa eſt.

Qui genealogiam Principum Mechlenburgenſium ad Anthyrium referunt, caput illud taurinum à Bucephalo Alexandri M. eſſe contendunt. Anthyrium enim Alexandro militaſſe, & poſtquam ille in fata conceſſiſſet, ad ſuos Obotritos navi reverſum eſſe, atq; inſignia bucephali caput in prora, gryphum in puppi oſtentaſſe; quam ſententiam nos in ſuſpenſo relinquimus.

Radegaſtus autem, ut illud de nomine adjiciamus, Græcis Ροδογάϊσος, ut *Zoſimo l.V. in Arcadio & Honorio*, & *in Olympiodori Excerptis*, Latinis nonnullis Radagaiſus appellatur, ut *Iſidoro Hiſpalenſi Chron. Goth. Era 437. Freculpho Epiſcopo Chron. Tom. II. l.5. c.5.* Gaſt/ vox noſtra, non, ut hodie, hoſpitem, ſed quemvis hominem ad omnia promtum & habilem ſignificabat. Multæ hinc apud veteres appellationes, cum hac voce compoſitæ. Inter *Auctores Legis Salicæ* apud *Baſilium Joann. Herold* occurrunt Bodogaſt, Salogaſt, Windogaſt, & Wiſogaſt. *Carolus M. Præfatione Capitulorum*, quæ ad Legem Longobardorum addenda, ſcribit Ducibus, Comitibus & Gaſtaldiis. *Leg. Francor. l. IV.* Alias voces hinc factas collegit *Meibomius Not. in Witichind. pag. 42.*

Sivva Raceburgenſium Dea fuit. Stabat illa utraq; manu in tergum rejecta, altera uvam cum folio viridi, pomum aureum altera tenens. Capilli per tergum ad poplites uſq; fluebant. Ea Venus Polaborum fuit, atq;, uti nonnulli autumant, eodem in monte culta fuit, in quo poſtea ab Henrico Leone templum cathedrale conditum. Apud eoſdem ei lucum dicatum ferunt, quem in eodem monte fuiſſe, credibile eſt.

Podaga, Plunenſium idolum, cujus Auctor infra *c. 83.* meminit, qua forma fuerit, nulli ſcriptores, quod equidem ſciam, memoriæ prodidere.

CAPUT

CAPUT LIII. (LIV.)

1. Vicelinus Lotharium Bardevici adit, & de arce Sigebergo monti imponenda admonet.

2. Lotharius in Holsatiam descendit, & arcem condere cœpit. 1134.

3. Principes Slavorum graviter ideo Vicelino succensent.

4. Lotharius templum ibi fundat.

5. Vicelino ecclesiam Sigebergensem & Lubecensem: Vicelinum Pribislao commendat.

1 CUm ergo inclytus Cæsar Lotharius & reverendissima conjunx ejus Rikenze, plenam erga divinum cultum devotionis curam gererent, adiit eum Sacerdos Christi Vicelinus, Bardewich consistentem, & suggessit ei, ut Slavorum genti, secundum datam sibi cælitus potentiam, aliquod salutis remedium provideret. Præterea intimavit ei, quia in Wagirensi provincia mons haberetur aptus, cui propter tutelam terræ, regale possit castrum imponi. Nam & Kanutus rex Obotritorum olim eundem montem occupaverat, sed miles illic positus immisso noctu latrone captus est, dolo senioris Adolphi, metuentis se à Kanuto, si fortè invalesceret, facilè posse premi.
2 Imperator ergo audito Sacerdotis prudenti consilio, transmisit viros idoneos, qui specularentur aptitudinem montis. Certior ergo factus verbis nunciorum, transmisso amne venit in terram Slavorum ad locum destinatum. Præcepitq; omni populo Nordalbingorum, ut occurrerent ad ædificationem (a)
3 castelli. Sed & Principes Slavorum aderant in obsequium Imperatoris, facientes operationem, sed cum grandi tristitia, eo quòd sentirent clàm sibi suscitari pressuram. Dixit ergo quidam principum Slavorum ad alterum: Vides hanc structuram firmam, & præeminentem? Ecce vaticinor tibi, quia castrum (b) hoc erit jugum universæ terræ. Hinc enim egredientes primùm effringent Plunen, deinde Aldenburg, atq; Lubeke, deinde transgressi Trabenam Racesburg, & omni Polaborum terra abutentur. Sed neq; Obotritorum terra effugiet manus eorum. Cui ille respondit: Quis nobis malum hoc paravit, aut regi montem hunc quis prodidit? Ad quem princeps, Vides, inquit, homuncionem illum caluum, stantem prope regem? Ille induxit super nos universum malum hoc. Perfectum ergo est castrum, & numeroso milite communitum, vocatumq; Sigeberg, posuitq; in eo quendam satellitem suum
4 Hermannum, qui castro præesset. Nec his contentus, ordinavit fundationem novæ Ecclesiæ (c) ad radices ejusdem montis, deputans in subsidium divini cultus, & stipendia fratrum illic adunandorum, sex vel eo amplius oppida,
5 juxta montem privilegiis constabilita. Porrò dispensationem ejusdem basilicæ,

licæ, commisit Domino Vicelino, ut ædificiis suberigendis, & personis coadunandis instaret propensius. Idem quoque fecit de Lubecensi Ecclesia, præcipiens Pribislauo sub obtentu gratiæ suæ, ut memorati Sacerdotis, vel qui vicem ejus egisset, plenam gereret diligentiam, proposuitque, ut ipse protestatus est, omnem Slavorum gentem divinæ religioni subigere, & de ministro Christi statuere (d) Pontificem magnum.

ædificationem. a) Fundatum est castrum Sigeberg. ab Imperatore anno 1134. ut *Albert. Stad.* & *Hermann. de Lerbeke.*

castrum. b) Liberi populi ægerrimè arces sibi imponi semper tulerunt, quòd illæ nihil aliud sint, quàm avitæ libertatis vincula. Græci bellum cum Philippo Macedone gerentes, per legatos Romam missos contenderunt, ut Philippo Chalcidem, Corinthum & Demetriadem, munitissimas arces extorquerent: illas enim à Philippo πέδας Ἑλληνικάς, compedes Græciæ, verè appellari. *Polybius lib. XVII.* Nihil potentius fuit ad animos Saxonum contra Henricum IV. inflammandum, quàm quòd ille & alias arces, & imprimis Hartesburgum ad illos opprimendos conderet; quod supra narravit noster *c. 27. n. 3.* Cùm Carolus V. Cæsar de arce in urbe Genua instauranda (quæ à Ludovico, Galliæ Rege anno 1506. extructa, & ab Octaviano Fregosio anno 1512. dejecta erat, *Nicol. Machiavell. de Rep. lib. II. c. 24.*) cogitaret, Joh. Andreæ Auriæ, Reipubl. principi, nullis rationibus, nec proprio quidem periculo territo, persuadere potuit, ut arcem urbi, hoc est, jugum patriæ imponi pateretur. *Jac. Aug. Thuanus l. LXI. anno 1575.* Belgii Ordines facto civium concursu arces ac munitiones Antverpiæ, Gandaviæ, Trajecti ad Mosam, Insulæ ac Valencenis anno 1577. diruunt. *Idem l. LXIV.*

Ecclesiæ. c) Monasterium hoc, quod Imperator religioni per Slaviam propagandæ novo castro adjecit, triennio pòst ædificatum esse, literæ fundationis ostendunt; quas, quòd huic loco lucis aliquid allaturæ sint, subjungo: In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Lotharius divinæ ordinationis clemētia Romanor. Imperator Augustus. Notum esse volumus omnibus fidelibus, tam præsētibus quàm futuris, quod nos pro persecutione paganorum in Christianos, castrum in Slavia construximus, quod à modernis vocatur Siegeburg/ ab antiquis Aelberg: & ante castrum fecimus ecclesiam ad honorem Dei, & virginis Mariæ, & B. Joannis Evangelistæ, pro fide Catholica ibi propaganda. Ordinationem verò supra dictæ Ecclesiæ commisimus fideli nostro fratri Vicelino, viro religioso & bonæ conversationis, cujus vitam in bonis operibus probatam cognovimus, suisque successoribus, quos sanior pars elegerit, fratrum Deo ipsi servientium concedimus pro remedio animæ nostræ ac dilectæ conjugis nostræ Righzem/ omnem terrā, quæ est in occidentali parte castri usq; ad fluvium Travene/ ex utraq; parte viæ cum sylva in meridionali plaga adjacente, cum sex pagis. Et ut hæc omnia rata, & inconvulsa permaneāt, impressione sigilli nostri signari præcepimus. Testes fuerunt, Adelbertus Archiepiscopus Bremensis, Tithmarus Verdēsis, Marchio Albertus, Friedericus

R Comes

Comes Palatinus, Sifridus Comes de Homburg / Adolphus Comes, Conradus Comes, Comes Sifridus de Erkelenburg/ Bernhardus Vice-Dominus, Ludolphus de Waletigerota / Ludolphus Advocatus, Præpositus Bernico, Præpositus Hardamannus, Præpositus Suelhardus, cæteriq; plures tam Liberi quàm ministri alii. Data ab in carnatione Dominica 1137. 16. Kal. April. Anno verò regni nostri 12. Imperii 5. Actum Bardewick in Christi nomine feliciter, Amen.

statuere. d) Habebat in animo Lotharius, inter alia jura, etiam investituram Episcoporum & Abbatum Imperio iterum asserere, quæ per Henrici V. transactionem ferme perierat. Quare plures Archiepiscopos, Episcopos & Abbates investivit, quos recenset, *Cyriacus Spangenb. Chron. Quernfurt. l. II. c. 37.* Quid? quod non tantùm controversias Episcoporum ad se deferri jussit, easdemq; composuit, sed etiam Episcopos & Abbates, si commeriti essent, de sede deturbavit. Et fatetur infra Præsul Bremensis cum Canonicis suis ingenuè, solius Imperatoris esse investire Pontifices, *c. 69. n. 11.*

CAPUT LIV. (LV.)

1. *Lotharius Bavaro Ducatum Saxoniæ confert. - - - 1136.*
2. *Vicelinus Lubicensi & Sigebergensi ecclesiis de sacerdotibus prospicit.*
3. *Lotharius Rogerium ex Apulia pellit. - - - - - 1136.*
4. *In reditu moritur. - - 1137.*
5. *Lotharij morte labefactata est res ecclesiastica apud Slavos.*
6. *Henricus Bavarus, & Albertus Ursus, Marchio, de Ducatu Saxoniæ contendunt.*
7. *Conradus III. Imperator juvat partes Alberti.*
8. *Albertus Luneburgam &c. occupat: Adolphum II. pellit. 1139.*
9. *Holsatiam & arcem Sigeberg. Henrico de Badewide tradit.*

1 HIs ita (a) peractis, Imperator ordinatis rebus tam Slavorum quàm Saxonum, dedit Ducatum Saxoniæ Henrico genero suo, Duci Bavariæ, quem
2 etiam secum assumens paravit secundam profectionem in Italiam. Interea Dominus Vicelinus legationis sibi creditæ soles curator, idoneas Evangelio personas ad opus ministerii conscivit, ex quibus venerabiles Sacerdotes Ludolfum, Hermannum, Brunonem in Lubeke constituit, Luthmundum cum cæteris Sigeberg esse mandavit. Factumq; est misericordia Dei, & virtute
3 Lotharii Cæsaris, seminarium novellæ plantationis in Slavia. Sed accedentibus ad servitutem Dei, non desunt tentationes. Sic & patres novellæ Ecclesiæ, permaximas invenere jacturas. Imperator enim bonus, cujus erga
4 vocationem gentium virtus probata, postquam Roma cum Italia potitus est, Rogerium quoq; Siculum Apulia pepulit, cùm jam redire pararet, immatura
5 morte (b) præventus est. Conturbatæ sunt hac fama omnes potestates imperii,

rii, virtus quoque Saxonum tanto principe illustrata, penitus concidisse visa est: & in Slavia res Ecclesiasticæ labefactatæ sunt. Statim enim ut corpus defun- 6
cti Cæsaris perlatum est in Saxoniam, & Lutturæ tumulatum, ortæ sunt seditiones inter Henricum, regis generum & Adelbertum Marchionem, contendentium propter ducatum Saxoniæ. Conradus autem Rex in solium re- 7
gni levatus, Adalbertum in ducatu firmare nisus est, injustum esse perhibens, quenquam principum duos tenere ducatus. Nam Henricus duplicem sibi vendicabat principatum, Bavariæ atque Saxoniæ. Bellabant ergo hi duo principes, duarum sororum filii intestinis præliis, & commota est universa Saxonia. Et quidem Adalbertus præripiens castrum Luneburg cum civitatibus 8
Bardewich, atque Brema, occidentali Saxonia potius est. Sed & Nordalbingorum fines partibus ejus appliciti sunt. Quamobrem Comes Adolphus provincia pulsus est, eo quòd fidem juratam Imperatrici Rikenze & genero ejus, temerare noluisset. Comitiam ejus, urbes, & servitia Henricus (c) de 9
Badwide beneficio Adalberti assecutus est. Sed & castrum Sigeberg in custodiam accepit, mortuo scilicet Hermanno, & cæteris exturbatis, quos Cæsar imposuerat.

His ita. a) Henricus, cognomine Superbus, Henrici Nigri filius, Dux Bavariæ Richensam, filiam Lotharii, duxit anno 1127. Ducatu autem Saxoniæ à socero anno 1136. donatus est. *Albert. Stad.*

morte. b) Mortem Lotharii pleriq; scriptorns in ann. 1137. collocant, ut *Albertus Stadensis*: *Auctor addition. ad Schafnaburgensem*: *Dodechinus append. ad Scotum*: *Robertus append. ad Gemblacensem*: *Levoldus à Northof, Chronic. Comit. de Marka*: *Aventinus Ann. Boj. l. IV. p. 623.* In die mortis tamen variant. Nam *Stadensis* III. Non Dec. *Dodechinus* III. Kal. Dec *Aventinus* IIX. Id. Dec. habent. Alii mortem ejus in ann. 1138. rejiciunt; qui tamen & ipsi de die discrepant. Nam *Onuphr. Panvinius* anno 1138. pridie Kal. Octobr. *Baronius*, & *Georg. Fabric.* III. Non. Decemb. mortuum esse referunt. Hanc de die mortis diversitatem *Cyriacus Spangenberg.* inde natam autumat, quòd Lotharius quidem pridie Kal. Octobr. anno 1138. exspiraverit, sed corpore ipsius Augustam delato, 30. Octobr. exsequiæ factæ, & tandem ipse 6. Decemb. tumulo in Königslutter illatus sit. *Chron. Quernfurt. l. II. c. 36.*

Henricus. c) Hic Henricus ortus fuit ex familiâ Comitum de Orlemunde, juxta *Hermann. Kornerum Chron. MS. f. XXVI.* Idem conditor est familiæ Comitum Raceburgensium, ut infra patebit.

CAPUT LV. (LVI.)

1. Pribislaus suburbium & novum cœnobium Sigeberg. demolitus est.
2. Races, ex familia Cruconis, & Pribislaus, ex Henrici Regis prosapia, de imperio Slavorum inter se digladiantur.
3. Races arcem Lubecensem, & reliquias urbis penitus evertit. 1139.
4. Hoc Lubecæ excidio cursui Evangelij insignis mora apud Slavos injecta est.
5. Fratres Falderensis Collegij sanctè vivunt, & miracula edunt.
6. Vicelinus exorcismo diabolum ex obsessa virgine pellit.

1 HIs ergo turbulentiis per Saxoniam usquequaq; concitatis, Pribizlaus de Lubeke occasionem nactus, assumpta latronum manu, suburbium Sigeberg & omnia circumjacentia, in quibus Saxonum erant conturbernia, penitus demolitus est. Ibi oratorium novum & Monasterii recens structura igne consumpta sunt. Volkerus frater magnæ simplicitatis, ictu gladii percussus est. Cæteri fratrum qui evaserant, ad Falderensem portum refugerunt. Ludolfus autem Sacerdos & qui cum eo Lubeke demorati sunt, ea vastitate non sunt dissipati, eo quòd in castro & tuitione degerent Pribizlavi, stantes utiq; loco & tempore difficili & pleno formidine mortis. Præter egestatem enim, & quotidiana vitæ pericula, cogebantur aspicere vincula & varia tormentorum genera Christicolis illata, quos latronum manus passim capti-
2 vare solebat. Non multo pòst venit quidam Race, de semine Cruconis cum classica manu, arbitratus se hostem suum Pribizlaum reperturum Lubeke. Duæ enim cognationes, Cruconis atq; Henrici, propter principatum conten-
3 debant. Cùm ergo Pribizlaus adhuc fortunatus esset, Race cum suis castrum & circumjacentia demoli sunt, Sacerdotes inter arundineta salvati, Falde-
4 rense præsidium apprehenderunt. Venerabilis ergo sacerdos Vicelinus, cæteriq; prędicatores verbi, gravi mœstitia confecti sunt, eo quòd novella plantatio in ipsis initiis emarcuerit, continueruntq; se in Falderensi Ecclesia, ora-
5 tionibus & jejuniis assiduè intenti. Quanta verò austeritate, quanta ciborum temperantia, omniq; conversationis perfectione Falderense illud collegium primitus claruerit, non satis explicari potest. Dedit ergo eis DOMINUS gratiam sanitatum, juxta quod ipse pollicitus est, infirmos sanatę, Dęmones effugare. Quid enim dicam de(a) arreptitiis? Obsessorum, qui latè advecti sunt, plena erat domus, ita ut fratres quiescere non possent, clamantes sanctorum virorum præsentia ignes suos accendi. Sed quis illuc venit, & Dei gratia li-
6 beratus non est? In diebus illis contigit virginem quandam, Ymme dictam, vexari à dæmone, & ad Vicelinum sacerdotem perduci, Quem cùm interrogationi-

gationibus urgeret: Curvas incorruptum ipse autor corruptele, temerare præsumpsisset? ille diserta voce respondit, Quia, inquit, tertio me offendit. In quo, ait, te offendit? Quia, inquit, negotium meum præpedivit. Bis enim transmisi fures ad perfodiendum domum, sed hæc assidens focis, clamoribus suis eos absterruit. Nunc quoq; legatione principis nostri in Daniam functurus, hanc in via offendi, ulturusq; quod mihi tertio offendiculo fuerit subter ipsam devolutus sum. Sed cùm vir Dei conjurationum verba adversus eum coacervaret, ille, cur, inquit, propellis paratum ultro egredi? Iam enim abibo ad proximam villam, visitaturus sodales meos, qui ibi delitescunt. Hoc etenim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi, ait, nomen? & qui socii tui? aut cum quibus habitant? Ego, inquit, Rufinus vocor: porro sodales mei, de quibus requiris, duo hic sunt, unus cum Rothesto, alter cum muliere quadam, ejusdem oppidi. Hos ergo hodie visitabo, crastina priusquàm signum Ecclesiæ Primam increpuerit, huc valedicturus revertar, & ita demum in Daniam proficiscar. Et hæc dicens, egressus est: Virgo quoq; passione vexationis liberata. Tunc jussit eam sacerdos refici, & crastina ante horam Primæ, ad Ecclesiam reduci. Quam cùm parentes proximo mane ad Ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, & prima pulsari, & vexari virgo cœpit. Nec tamen boni pastoris diligentia prius abstitit, quàm spiritus, præsidentis potentia Dei actus, abscessit. Porrò ea quæ de Rothesto prædixerat, rei exitus probavit: nam in brevi maligno spiritu acerrimè correptus, laqueo semet strangulavit. In Dania quoq; occiso Erico perturbatio gravis erupit, adeo ut oculis probari potuerit magnum eò diabolum adventasse in adflictionem gentis illius. Bella enim, & tempestates, pestilentias & cætera humano generi inimica, dæmonum ministerio fieri quis nesciat?

arreptitiis. a) arreptitius est, qui à dæmone correptus. Idem energumenus appellatur *infra l IV. c. 23.*

CAPUT LVI. (LVII.)

1. Slavi, bello Henrici & Alberti invitati, Holsatiam & Falderense Collegium infestant.
2. Vicelinus Holsatos suos verbo DEI in istis malis confirmat.
3. Henricus de Badewide Slavos Wagrios vastat.
4. Holsati sine Henrico denuo Slavos invadunt, & Plönam occupant.
5. Bavarus Saxoniam recipit, & Adolphum II. reducit. - - 1139.
6. Henricus Comes Sigebergensem & Hamburgensem arces ex invidia succendit.
7. Bavarus exercitum contra Conradum Imperatorem educit.
8. Factis induciis paulò post moritur. - - XIII. Kal. Oct. 1139.
9. Henricus Leo, filius, ei succedit.
10. Ger-

10. Gertrudis, Leonis mater, Henrico de Badewide Wagriam dono dat.
11. Adolphus contrà apud Henricum Leonem nititur.
12. Adolphus igitur tota Wagriâ: Henricus Raceburgo & Polaborum terra potitur.

1 AGitabantur autem, ſicut in Dania, ſic & in Saxonia variæ bellorum tempeſtates, inteſtina ſcilicet prȩlia magnorum principum, Henrici Leonis, & Adalberti, contendentium propter Saxoniæ Ducatum. Super omnia autem lavicus furor propter occupationes Saxonum, veluti ruptis loris efferveſcens, Holzatorum fines inquietabat, adeo ut Falderenſis pagus jam pene in ſolitudinem redigendus eſſet, propter quotidianas interfectiones hominum,
2 villarumq́ deprædationes. Inter has tribulationum anguſtias, Vicelinus ſacerdos hortabatur populum in Deo ſpem ſuam conſtituere, agere litanias, in
3 jejunio & attritione cordis, eo quòd dies mali inſtarent. Henricus itaq́ qui Cometiam adminiſtrabat, vir ocii impatiens, & ſtrenuus in armis, congregato latenter de Holzatis & Sturmariis exercitu, hyemali tempore intravit Slaviam, aggreſſusq́ eos, qui præ manibus erant, & quaſi ſudes defixæ in oculis Saxonum, percuſſit eos plaga magna, omnem ſcilicet terram Plunenſem (a), Luthilenburgenſem, Aldenburgenſem, omnemq́ regionem quæ inchoat à rivo Sualen, & clauditur mari Baltico, & flumine Trabena. Omnem hanc terram una incurſione, præda, & incendio vaſtaverunt, præter urbes quæ
4 vallis & feris munitæ, obſidionis propenſius ſtudium perquirebant. Proxima æſtate Holzati ſe mutuo adhortantes etiam ſine Comite caſtrum Plunen adierunt, divinoq́ adjuti præſidio munitionem hanc cæteris firmiorem, præter ſpem obtinuerunt, Slavis, qui inibi erant, occiſioni traditis. Geſſeruntq́ eo anno bellum perutile, vaſtaveruntq́ crebris incurſibus terram Slavorum, feceruntq́ eis, ut ſibi facere propoſuerant, omni terra eorum in ſolitudinem redacta. Habueruntq́ Holzati pro omine bellum illud Tranſalbianum Saxonum, eo quòd inveniſſent libertatem ulciſcendi ſe de Slavis, nemine ſcilicet obſiſtente. Nam principes Slavos ſervare ſolent tributis ſuis augmentandis.
5 Poſtquam ergo Henricus, gener Lotharii regis, auxilio ſocrus Rikenzæ Imperatricis ducatum obtinuit, & nepotem ſuum Adalbertum Saxonia deturba-
6 vit, Adolfus Comes rediit in Cometiam ſuam. Videns autem Henricus de Badewid, quia ſubſiſtere non poſſet, ſuccendit caſtrum Sigeberg, arcemq́ firmiſſimam Hammenburg, quam Comitis Adolfi mater murato opere cpnſtruxerant, ut eſſet firmamentum urbi contra impetus Barbarorum. Hanc ergo domum, & quidquid nobile ſenior Adolfus conſtruxerat, Henricus fugam meditans,

ditans,demolitus est. Post hæc Henricus Leo cæpit armari adversus Conra- 7
dum regem,duxitq; contra eum exercitum in Thuringiam,ad locum qui dici-
tur Cruceburg. Bello itaq; per inducias protracto,dux rediit in Saxoniam, & 8
post non multos dies mortuus est. Obtinuitq; filius ejus Henricus Leo duca- 9
tum Saxoniæ,puer adhuc infantulus. Tunc Domina Gertrudis,mater pueri, 10
dedit Henrico de Badewid Wagirensium provinciam , accepta ab eo pecu-
nia , volens suscitare pressuras Adolfo Comiti , eo quòd non diligeret eum ,
Postquam autem eadem Domina nupsit Principi Henrico (b), fratri Conradi 11
regis , & alienata est à negotiis ducatus , accessit Adolfus Comes ad Ducem
puerum , & consiliarios ejus , acturus causam suam super Wagirensi terra ,
prævaluitq; & justiori causa & auctiori pecunia. Dissensiones ergo,quæ fue- 12
runt inter Adolfum &Henricum,taliter compacatæ sunt,ut Adolfus Sigeberg
& omni wagirorem terra potiretur , Henricus in recompensationem accipe-
ret Racesburg & terram Polaborum.

Plunensem. a) Hic auctor Wagriam septentrionalem in tres districtus dividit; in Plönensem , Lütkenburgensem & Aldenbürgensem.

Henrico. b) Juditha , Henrici Superbi soror , nupta primùm Friderico , Sueviæ Duci,ei Conradum III.pòst Imperatorem, & Fridericum,Ducem Sueviæ peperit.Pòst matrimonio juncta fuit Luitpoldo, Marchioni Austriæ. Hic ex illa Luitpoldum & Henricum hunc suscepit.

Tabula genealog.



CAPUT LVII. (LVIII.)

1. Adolphus II. Sigebergum instaurat.
2. Ad desertas Slavorum sedes incolendas Hollandos &c. evocat.
3. Aldenburgum & Lütkenburgum Slavis relinquit.
4. Lubeca nova ipsius auspicio surgit. - - - - - - 1140.
5. Niclotum amicitiâ sibi jungit.
6. Vicelinus prædia recipit, quæ Lotharius cœnobio Sigebergensi legaverat.

HIs verò in hunc modum ordinatis , Adolfus cœpit reædificare castrum 1
Sigeberg,cinxitq; illud muro. Quia autem terra deserta erat,misit nun- 2
cios

cios in omnes regiones, Flandriam, & Hollandiam, Trajectum, Westphaliam, Fresiam, ut quicunq; agrorum penuria arctarentur, venirent cum familiis suis, accepturi terram optimam, terram spaciosam, uberem fructibus, redundantem pisce & carne, & commoda pascuorum gratia. Dixitq; Holsatis & Sturmariis: Nonne vos terram Slavorum subegistis, & mercati eam estis in mortibus fratrum & parentum vestrorum? Cur ergo novissimi venitis ad possidendum eam? Estote primi, & transmigrate in terram desiderabilem, & incolite eam, & participamini deliciis ejus, eo quòd vobis debeantur optima ejus, qui tulistis eam de manu inimicorum. Ad hanc vocem surrexit iñumera multitudo de variis nationibus, assumptisq; familiis cùm facultatibus, venerunt in terram Wagirensium ad Comitem Adolfum, possessuri terram quam eis pollicitus fuerat. Et primi quidem Holzatenses acceperunt sedes in locis tutissimis ad occidentalem plagam Sigeberg, circa flumen Trabenam: Campestria quoq; Zuentineveld, & quicquid à rivo Sualē usq; Agrimesou(a), & lacum Plunensem extenditur. Dargunensem pagum Westfali, Utinensem Hol-
3 landi, Susle(b) Fresi incoluerunt. Porro Plunensis adhuc desertus erat. Aldenburg verò & Lutilenburg(c), & cæteras terras mari contiguas dedit Sla-
4 vis incolendas, factiq; sunt ei tributarii. Post hæc venit Comes Adolfus ad locum qui dicitur Bucu (d), invenitq; ibi vallum urbis desolatæ, quam ædificaverat Cruco olim tyrannus, & insulam amplissimam, gemino flumine cinctam. Nam ex una parte Trabena, ex altera Wochniza præterfluit, habens uterq; paludosam & inviam ripam. Ex ea verò parte, qua terrestre iter continuatur, est collis contractior, vallo castri præstructus. Videns ergo industrius vir competentiam loci, portumq; nobilem, cœpit illic ædificare civitatem, vocavitq; eam Lubeke, eo quòd non longè abesset à veteri portu & civitate,
5 quam Henricus princeps olim constituerat. Transmisitq; nuncios ad Niclotum Obotritorum principem, componere cum eo amicitias, omnes nobiliores donariis sibi adeo adstringens, ut omnes ei obsequi, & terram ejus compacare certarent. Cœperunt ergo inhabitari deserta Wagirensis provinciæ,
6 & multiplicabatur numerus accolarum ejus. Vicelinus quoq; sacerdos invitante pariter & adjuvante Comite prædia recepit, quæ Lotharius Imperator ad constructionem monasterii & subsidium servorum Dei jam olim ipsi coram castro Sigeberg contradiderat.

Agrimeson. a) Nominibus & locis his Zuentinefeld, Suale, Agrimeson, corruptè editum erat Agrimenson) & aliis ante Auctorem nostrum etiam *Adamus Brem.* in limitibus, Saxonum & Venedorum describendis usus est, *Ita ille l. II. c. 9.* Tunc (limes

(limes Holsatiæ) in Horbistenon vadit, in Travennam sylvam, sursumq; per ipsam in Bulilunken; mox in Crimesou, & rectè ad vadum, quod dicitur Agrimesvvedel ascendit. Ab eadem aqua sursum procurrens terminus, in stagnum Colse vadit. Sicq; ad orientalem campum venit Zuentifeld, usq; in ipsum flumen Zuentinam, per quem limes Saxoniæ, usq; in pelagus Scythicum. Res ita se habet. Prope villam Blünckẽn (*Adamo* Bulilunchen) ex paludibus rivi oriuntur duo, fontibus haut longè dissiti; quorum alter, hodie Tensebeck (veteribus Crimeßauw) dictus in septentriones vergit, atq; fluxu non ita longo in lacum Stocksee (veteribus Agrimeßwedel) se diffundit. Hinc procurrens in Plönense stagnum (Colsee *Adamo*) una cum Suentina fluvio, à quo campus Schwentinfeld olim dictus, recipitur. Ex lacu Plönensi cum Suentina egressus, idem cum illa nomen accipit, & longo tractu versus septentrionem fertur, donec in Chiloniensem sinum se effundit, & mari Balthico miscetur. Alter verò, priore etiam nobilior, Trava dictus, in meridiem Oldesloam usq; excurrit. Hinc flexus Orientem versus, Lubecam præterlabitur, atq; inde leni meatu, Travæmundam usq; delatus, in mare se exonerat, & Lubecensibus portum sic satis commendum efficit. Hi ergo duo fluvii Wagriam suo ambitu comprehendunt, adeoq; olim Wagrios à Saxonibus & Obotritis distinxerunt. Vide *Casp. Danckw. Tab. XXX. & XXXI.*

Susle. b) Hodie idem nomen vico isti manet, diciturq; Süsel. In antiquis tabulis Comitum Holsatiæ, Susela Latinâ terminatione vocatur, & in antiquo carmine de Vicelino Zusla. Jacet haut procul à litore maris Baltici.

Luttilinb. c) Lütkenburg. *supra cap. 12. n. 7.*

Bucu. d) Finis Veteris Lubecæ *supra cap. LV. n. 3.* ab Auctore expositus est: nunc Novæ initia narrat. Hic igitur de utriusq; loco pauca dicere operæ pretium fuerit. Vetus, cujus primò Auctor *supra cap. XX. n. 5.* meminit, ubi sita fuerit, non immeritò quæritur. Ad amnem Schwartow aliquamdiu stetisse, certum est. Sed semper ne ibi fuerit, non abs re ambigas. Veteres annales diligentiùs excutienti videtur illa primùm eodem loco ædificata, quo hodie floret. Postea ad amnem Schwartow translata: indeq; rursum in pristinum locum revocata. Godschalci, Obotritorum Reguli, pietas aut prima urbi initia dedit, aut etiam, quod magis credo, ut illa innotesceret, in causa fuit. Altum enim apud veteres Saxonicarum & Slavicarum rerum Scriptores de Lubeca silentium est, donec ad Godschalci principatum descenditur. In hujus studio erga cultum divinum commemorando omnium primò Lubecæ mentionem isti faciunt. Lubecæ à religiosissimo Principe cœnobia ædificata fuisse *Adamus Bremensis*, *Helmoldus* & *Albertus Stadensis*, locupletes inprimis in hoc argumento testes, literis prodiderunt; quod *Georg. Fabricius* ad annum 1035. refert. Atq; hanc Lubecam eodem stetisse loco, quo hæc nostra impræsentiarum conspicitur, statuendum.

Quæ à quo condita primùm sit, non satis liquet. Sunt qui ad Godschalcum referunt, ut *Georg. Fabric. Rer. Sax. anno 1041. Henning. in Tab. Geneal. p. 292. Johann.* Peterßen *Chron. Holst. p. 30.* Alii illam etiam ante tempora Godschalci extitisse affirmant. Ex his *Auctor Chronici Lubec. MS. l. I. c. 1.* ita scribit: Incertum est, si Godschalcus Princeps in fine

S Chri-

Christianissimus, eam (Lubecam veterem) fundaverit, cujus tempore Lubeca jam erat; sed ante eum nulla ipsius memoria invenitur. Et *cap.2.* Quapropter si quis in annalibus scriptum offenderit, Henricum constituisse Lubecam, de firmatione accipiat, non antem de primæva fundatione. *Erasmus Sarcerius* in sua de Lubeca veteri Oratione hæc habet: Graviter errant qui Godscalcum ejus fundatorem faciunt, quum Lubecam ante illum fuisse, certò constet, vel ex antecessoribus Godscalci, cujus avus Mistiuojus nomine, veteri Lubecæ præfuisse legatur. Hoc tamen non negamus, sub Godschalco famosissimo & fortissimo Vandalo, primùm veterem Lubecam clarè innotuisse, & ante eum perexiguam illius memoriam extitisse. Et paulò pôst: Godscalcus cœnobia in usum juventatis instituta, tum prorsus collapsa restituit. Idem *Reimarus Kock Chron. Lub. MS.* asserit. Non desunt, qui illam à Vicboldo, seu Vikbodo, Dano, conditam scribant. Ex his est *Franciscus Irenicus*, qui ita: Lubecum est urbs tribus regnis contraria, secundum Æneam, à Vicboldo duce condita, à Vandalis Buccena nomitur, à Kittone Principe aucta anno Christi clɔ CIII. *in Germania sua l. XII. f. CCXVI.* Subscribit illi *Hartmannus Schedel* his verbis: Lubeca Saxoniæ urbs illustris ac Cæsarea civitas, à Vikbodo, Cimbrorum Duce, ad Cimbriam Chersoneson quondam ædificata in eo loco, quem Venedes, qui & Vandali, adhuc Saxoniæ partem tenentes, Buccoviam (Bucкow) dixere. Aucta per sevissimum Principem, qui Kitto dicebatur, quem & Trutonem appellabant, anno Christi 1104. *in Chronico de ætatibus, ann. 1493. edito.* Cum Schedelio eadem fere inculcat *Raphael Volaterranus*, cum scribit: Lubicum, civitas imperialis, ab Umbodo Vitigo, Cimbrorum Duce, ædificata, in eo loco, quem Venedes, adhuc Saxoniæ partem tenentes, Luceoniam dixere. Adeo crevit, ut Lubicensium auxilium sæpe Daciæ Reges ad suos in officio continendos imploraverint, *Geograph, l. VII. p. 159.* De loco & conditore urbis etiam *Krantzius* ita commentatur: Anno XL. salutis Christianæ, post centum atq; mille, Adolphus Comes Holsatiæ, jam Wagriæ Dominus, usq; ad lacum Wakenisse, tenebat ditionem, cernens quæ optimè Cimbrorum olim Dux, & deinde Crito Wandalus, inter lacum & flumen in colle, urbis mœnia inchoassent, sed tempestatibus bellorum impliciti, ab opere destitissent, tertius ipse futuræ civitatis fundamenta cœpit jacere; Lubicamq; de Zuartovv, cum nomine transtulit in superiora, civitatem, quæ propitio Deo in diebus nostris ita effloruit, ut invidiam sit prætergressa omnium in circuitu principum, & urbium. Locum ante dixere Bucu, *Wandal. l. IV. c. 1.* Exscribit hæc Auctor *Chronici Lub. Latini MS.* & addit: Estq; verisimile, quod ante urbis erectionem in eo loco fuerint nonnulla piscatorum tuguria; quorum præcipuum & magistrum Lubam multi arbitrantur appellatum, *lib. II. c. 2. Nicolaus Marescalcus*, Henrici, Ducis Mechlenburgici Consiliarius, qui se historiam suam ex monumentis Majorum hujus Principis optima fide transcripsisse confirmat, ita de Lubeca nostra scribit: Urbs ea præsignis etiamnum sub Imperio Romano venerationis, inter Travam & Bagnisum amnes, qui ambo χάλυσος, Chalusus CL. Ptolomæo, loco amœnissimo sita est, Luconiorum caput. A piscatoribus proditur temporibus antiquissimis portu eo habitata, unde Romanis

nis olim nota. A Godschalco dein Herulorum sive Obotritorum Rege instaurata, qui & arcem & lararium ibi primus excitavit, Bute est nuncupata, seu à Bute filio, sive ad imitationem βϋτη, quæ Sauromatarum ad Mæotida, teste CL. Ptolomæo, aut deniq; in honorem amasii Veneris, qui Bute. At Henricus, qui Butes germanus, idemq; Regis Godscalci filius, Coloniam Luconiorum magnam dixit, vulgus Lubecum, linguâ Vandalorum gentili, quod amiculam significat, *Annal. l. II. c. 38.* Veteri huic Lubecæ Crito Princeps circa ann. CHristi 1066. quo ille in locum peremti Godschalci à Slavis surrogatus est, arcem adjunxit.

Postquam autem & Crito ab Henrico, Godscalci filio, anno 1105. occisus esset, (supra *c. 34. n. 3.*) Henricus Critonis sedem deseruit, & Lubecam ad fluvium Schwartow transtulit. Atq; ideo ille istam constituisse scribitur ab *Helmoldo* infra *c. 57. n. 4.* Hîc illam brevi admodum tempore stetisse, nec unquam propter crebras Rugianorum, cædem Critonis ulcisci cupientium, incursiones in modum justæ urcis muniri vallo aut muro potuisse existimare licet. Nã & sæpe aliás eã infestarũt, & cùm Zuentepolchus Obotritis præesset, illam demoliti sunt, ut supra *cap. 48. n. 7. Auctor* narravit, donec tandem illam tempore Pribislai funditus everterunt, de quo hoc loco. Tunc enim, ut scribit *Herm. Kornerus,* Race cum suis relicta in Lubeke urbe & castro, & omnia circumjacentia solo æquarunt. Et locus urbis & castri planus relictus est.

Jam anno 1140. Adolphi Comitis auspicio Lubeca postliminio ad pristinam sedem redit. Disertè enim *Helmoldus* infra *c. 57.* scribit, Adolphum in loco Bucu invenisse vallum urbis desolatæ, quam Cruco olim ædificaverit.

Sententiam nostram de loco veteris Lubecæ claris verbis confirmat *Auctor Chronici Lubecensis membranacei*, qui fuit Lector ordinis Franciscani, & jussu duorum urbis Prætorum, seu Judicum Thomæ Moerkerken & Hermanni Langen anno 1385. historiam suam scripsit. Hîc Lubecam omnium primò hîc, inter Travam & Wakenissam, sitam fuisse, idq; se ex antiquissimis Annalibus transcripsisse testatur. Verba codicis digna judicavi, quæ adscriberem, cùm etiam compendio enarrent, quoties Lubeca locum mutaverit: By des Keiser Hinrikes Tyden / de de Veerde was an den Namen / do wart begrepen unde ghebuwet de eerlike Stadt Lübeke / de in deseme Jare lach by der Swartowe / dat noch olde Lubeke heet. Voren hadde ze gheleghen tuschen der Traven unde der Wokenisse / dar ze noch licht. GOD beware ze an ewighen Daghen. Wen ze dar wart erst ghebuwet / edder wu langhe ze dar lag / des en beschriven nyne Coroniken. Mer an ener Historien hebbe ik ghelesen / dat ze in meniger Jeghen hefft gheleghen / unde is oversettet van der enen jeghene to der anderen. Erst wart se begrepen in der stede / dar ze noch licht. darna wort se oversettet by der Swartowe / dat noch olden Lubeke heet. dar na wort se up der ersten stede ghebuwet / wedder darna wart ze verstöret / unde wart gesettet over de Wakenisse / unde het do de Louwenstad. dar blef se ene korte wile mit Wederwillen der Borghere / wente de Schepe kunden nicht by dem Overe belanden. Alduß sind se in Wandelbaricheit edder dorch der Viande Vorvolghinghe willen / de ze verstörden / edder dorch Watersnot / dat id to zere upvlogede to Verderf der Stad / edder

edder dorch Büres willen / dar de Stadt an vorghink. Alduß hefft de Stadt an vele nöden ghewesen van anbeghinne erer ersten Begripinghe. Mer GOtt hefft jo angeseen Jungheit in sime loue / Rechtverdicheit in eme menen Gude / da gywerlde ghewesen hefft in der Stadt / unde hefft de Stadt untholden / unde van aller Anvechtinghe beschermet. Hinc *Hermannus Kornerus*: Ex quo manifestè apparet, primam fundationem esse factam à Trutone in loco, ubi jam situata existit, *Chron. MS. membranaceo f. XVII. a.* Non contemnenda præterea est *CL. Clüveri* sententia, adserentis, Trevam Ptolomæi, qui anno CH.LXX. scripsit, Lubecam nostram esse, à Trava flumine facili unius literæ immutatione ita dictam, *lib. III. Germ. antiq. c.27.* Quo in loco eidem *Clüvero* Marionis prima Ptolomæi hodie Hamburgum est; Marionis altera, Wismaria.

Sive autem Godschalcus, sive alius quispiam Obotritorum Principum prima urbis fundamenta posuerit, certè nullus Poloniæ Rex posuit; uti frustra Polonorum scriptores gloriantur. *Alexander Guagninus* Visimirum, Poloniæ Regem, superato Sivardo, Danorum Rege, in hæc loca progressum Lubecam, Wismariam & Daniscum condidisse scribit, *Rer. Polonicar. Tom. I. Jodocus Ludovicus Decius* ita scribit: Est ad Balthei maris finum Lubecum, Imperii Romani opibus, armisq; pollens oppidum. Hoc à Polonorum quondam majoribus, (ut vetustates eorum habent) conditum Buccovecium fuit appellatum, *lib. de Sigismundi Regis temporib. Tom. 2. edit. Pistor. Martinus Cromerus*, Episcopus, ab aliquo filiorum aut posterorum Lesci III. exstructam esse affirmat, *l. II. de Rep. Polon.*

Omnia hæc testimonia domestica sunt: deinde, nullius antiqui Scriptoris auctoritate confirmata. Præterea, si urbs ab extero aliquo Rege primùm condita esset, Helmoldum istud latere non potuisset. Fuerunt denique Polonorum & Obotritorum, quamvis utraque gens Slavica esset, semper distincta regna & terræ. Habuere Obotriti & Wagrii jam inde ab antiquissimis seculis, longè ante jacta Lubecæ fundamenta, suos Regulos, viros fortissimos, & ditionum suarum defensores acerrimos. Ab his urbes & arces antiquas terræ ipsorum, ut Lubecam, Mechlenburgum, Aldenburgum, Herulam, seu Werlam, Kissimum, Rethram, Iloam & alias ædificatas esse quis dubitet? Nec tandem, si Rex aliquis Poloniæ cum exercitu irruptionem aliquãdo in has terras fecit, statim urbes ibi condere vel voluit, vel potuit. Slavum ergo Principem urbem struxisse certum esse: Polonum eum fuisse, nondum monstratum est. Videlicet omnis Polonus Slavus est: at non Slavus omnis Polonus.

CAPUT LVIII. (LIX.)

1. Vicelinus cœnobium & templum in Hagersdorff condit.

2. Dithmarus, Vicelini discipulus Collegio Hagersdorffensi se jungit.

1 VIsum autem fuit eis propter incommoda fori, & tumultus castrenses, monasterium in proximo oppido, quod Slavicè Cuzalina, Teutonicè Hagerestorp (a) dicitur, fundatione commodissimum esse, misitq; eo venera-

bilem

bilem Sacerdotem Volckwardum cum industriis viris, qui oratorio & claustralibus officinis subrigendis operam darent. Porrò forensis Ecclesia, in curam Parochiæ, ad radicem montis posita est. In diebus illis nobilissimus vir 2
Thethmarus, Domini Vicelini quondam discipulus, & in studio apud Franciam socius, relicta præbenda & decania Bremensi, devovit se Falderensi collegio, vir contemtor hujus seculi, sectator voluntariæ paupertatis, & in spirituali conversatione summæ perfectionis. Cujus per omnia extollenda sanctitas, tanto humilitatis culmine, & benignitatis vigore subnixa erat, ut videres inter homines angelum, scientem compati infirmitatibus singulorum, tentatum autem per omnia. Destinatus post hæc Hagerestorph, quæ & Cuzelina, cum aliis fratribus, hominibus novæ transmigrationis magno solatio fuit. Dominus quoque Vicelinus novellæ Ecclesiæ sibi commissæ solers curator, omni studio enisus est, ut Ecclesiæ locis opportunis ædificarentur, providens eis de Faldera tam Sacerdotes quàm reliqua altaris utensilia.

Hagerestorp. a) Slavis Cuzalina, (Küss-lin) hodie Högelsdorff/è regione Sigebergi, ad alteram Travæ ripam sita. Huc circa annum 1140. Sigebergo cœnobium translatum est, ut hîc narrat Auctor. Geroldus verò illud Sigebergum postliminio transtulit, circa ann. 1154. *infra c. 83. n. 15.*

CAPUT LIX. (LX.)

1. *Bernhardus Abbas in Comitiis Imperij miracula edit.* - 1146.
2. *Adolphus Comes experimento Bernhardi in patrandis miraculis virtutem explorat.*
3. *Bernhardi monitu Imperator, Reges, Principes, populi expeditionem sacram suscipiunt.* - - 1147.
4. *Militum sacrorum pars una in Asiam: altera in Hispaniam: tertia contra Slavos destinatur.*

CIrca tempora dierum illorum ortæ sunt res novæ, & toti orbi stupendæ. 1
Præsidente enim sanctissimo Papa Eugenio, Conrado quoque tertio gubernacula regni moderante, claruit Bernhardus Clarevallensis Abbas, cujus fama tanta signorum fuit opinione celebris, ut de toto orbe conflueret ad eum populorum frequentia, cupientium videre quæ per eum fiebant mirabilia. Hic itaque egressus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam Franckenvordt, quo tunc forte Rex Conradus cum omni principum frequentia festinus occurrerat. Cùm ergo sanctus vir in Ecclesiis positus, curandis ægrotis in nomine Domini propensius instaret, astante Rege & summis potestatibus, incertum erat inter tantas populorum catervas, quid quis pateretur, aut

2 cui fortè subveniretur. Aderat illic Comes noster Adolfus, certius nosse cupiens ex operatione divina virtutem viri.

Inter hæc offertur ei puer cæcus & claudus, cujus debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cœpit ergo vir sagacissimus intentare solerter, si fortè posset in hoc puero, sanctitatis ejus experimentum capere. Cujus incredulitati, veluti divinitus edoctus vir Dei, remedium providens, puerum præter morem jussit sibi applicari, cæteros enim verbo tantùm consignavit. Hunc verò exhibitum, manibus excepit, oculisq; morosa contrectatione visum restituit: Deinde genua contracta corripiens, jussit eum currere ad gradus, manifesta
3 dans indicia, recuperati tam visus quàm gressus. Cœpit sanctus ille, nescio quibus oraculis edoctus, adhortari Principes, cæterasq; fidelium plebes, ut proficiscerentur Hierusalem, ad comprimendas, & Christianis legibus subigendas Barbaras orientis nationes, dicens, appropinquare tempora, quo plenitudo gentium introire debeat, & sic omnis Israel saluus fiat. Protinus ad verba adhortantis, incredibile dictu est, quanta populorum caterva se ad profectionem eandem devoverit, in quibus primi & præcipui erant, Conradus Rex, Fredthericus Sueviæ Dux, qui postea regnavit, Welph Dux, cum Episcopis & Principibus, militia nobilium & ignobilium, vulgariumq; numero æstimationem excedente. Quid dicam de Teutonicorum exercitu, cùm & Ludowicus Parisiorum Rex, & omnis Francigenarum virtus, in id ipsum aspiraverint. Non est recognitum vicinis temporibus, nec auditum à diebus seculi, tantum convenisse exercitum, exercitum, inquam, grandem nimis. Fue-
4 runtq; signati titulo crucis, in vestibus & armatura. Visum autem fuit autoribus expeditionis, partem exercitus unam destinari in partes orientis, alteram in Hispaniam, tertiam verò ad Slavos, qui juxta nos habitant.

Circa. a) Prima hujus mali labes erat Edessæ urbis amissio. Hæc Medorum metropolis, Rages olim dicta, iter unius diei trans Euphratem sita, inde ab Apostolorum temporibus in Christiana fide persiterat. Hîc enim egregium & magnificum templum, Thomæ Apostolo dicatum, Christiani habebant. Ad quod orthodoxa illa mulier euenda, puerum secum ad martyrium trahens, tantopere festinabat, cùm omnes, qui in illo reperti essent, Valens occidi jussisset. *Socrates Histor. Eccles. l. IV. c. 14. Freculphus Episc. Lexov. Tom. II. l. 4. c. 17.* Christiani Occidentales cùm terras suas in Oriente in quatuor Principatus seu Comitatus dividerent, unum horum in Edessa constituebant. Sanguinus, Turcorum Princeps, intellecto, Comitem Edessanum & Principem Antiochenum simultates inter se alere, occasione utendum ratus, urbem anno 1142. capit. Sanguino paulò pòst mortuo, cùm urbs infirmo præsidio teneretur, cives eam Christianis reddebant. At Nora-

Noradinus, qui Sanguino successerat, istam deditionem ægerrimè ferens, anno 1145. eam magno exercitu oppugnat, capit, atq; immane quantum in cives & milites Christianos sævit. *Wilh. Tyr. l. XVI. c. 16. Mar. Sanut. l. III. part. 3. c. 19. & part. 9. c. 2.*

Cùm igitur Turci Edessa denuo capta totam fere Syriã depopularentur, cæterasq; urbes & castella Christianorum in potestatem suam redigerent, atq; sacros milites multis præliis affligerent, implorabant illi Eugenii III. auxilium. Ille per emissarios suos, in quibus vel præcipuus Bernhardus, Reges, Principes & populos Occidentales ad subveniendum terræ sanctæ exhortabatur. *Wilhelm. Tyr. l. XVI. c. 18. Mar. Sanut. l. III. part. 9. c. 2.*

vestibus. b) Crucem illam in vestibus & armis fuisse, constat etiam ex *Fulcherio Carnotensi ad ann. 1097. & Guiberto Abbate l. II. c. 5. & l. III. c. 1.* Abbas quispiam, sacræ militiæ comes, signum illud fronti insculpsit. *Guib. Abbas l. IV. c. 17.*

CAPUT LX. (LXI.)

1. Conradus Imperator cum exercitu in Græciæ fines perrexit.
2. Terrentur ostentis.
3. In valle quadam torrente aquarum subitò orto multi pereunt.
4. Reliqui Bosporum trajiciunt.
5. In Asia in duos divisi exercitus præliis, fame & siti omnes ferme extinguuntur.

PRimus ergo, qui & maximus, abiit terrestri itinere cum rege Alemanno 1
Conrado, & rege Franciæ Ludovico & præcipuis utriusq; regni Principibus, transieruntq; regnum Ungariæ, quousq; pervenirent prope fines Græciæ. Miseruntq; legatos ad regem Græciæ, ut daret eis conductum, mercatumq;, transire cupientibus terram ejus. Ille licet admodum territus, annuendum tamen decrevit, siquidem pacifici venissent. Cui remandaverunt, se nihil inquietudinis moliri, qui propter ampliandos fines pacis, peregrinationem ultroneam assumpserint. Dedit ergo eis Rex Græciæ juxta placitum, conductum, forumq; abundans rerum venalium, ubicunq; castra locanda fuissent. Multa verò portenta visa sunt in exercitu illis diebus, futuræ cladis demon- 2
strativa. Quorũ vel præcipuum fuit, quòd vespere quodam nebula densissima cooperuit castra, qua recedente, universa papilionum tegmina, vel quæ sub diuo fuerant, adeo sanguine respersa cõparuerunt, ac si nimbus ille sanguinẽ compluerit. Quod videns Rex, cæterique principum, coniecerunt, se ad maximos labores & mortium pericula evocatos. Nec fefellit (d) eos conjectura. Non 3
enim

enim multo pòst venerunt in montana quædam, ubi cùm invenissent vallem pratis rivóque decurrente commodissimam, metati sunt castra ad devexum montis latus. Porrò jumenta oneraria, cum bigis & quadrigis, victualia sarcinásque militum portantibus, armentorum quoq; in carnis esum ingens numerus, in vallis medium collocata fuerant, prope decursum aquæ, & pascuorum commoda. Appropinquante verò nocte, audita sunt in montis supercilio fragor tonitruum sonitúsque tempestatis: tum ecce noctis medio nescio an nubium eruptione, vel quo eventu, torrens ille auctior erumpens, quicquid vallis humilior habuit in hominibus & jumentis, in momento eluit & in mare projecit. Hanc ergo primam exercitus jacturam exceperunt milites peregri-
4 nationis illius. Cæteri qui residui fuerant, perrexerunt cœpto itinere, transeuntesq; Græciam, pervenerunt ad regiam urbem Constantinopolim. Qua per dies aliquot recreato exercitu, venerunt ad sinum maris, qui vulgari more dicitur Brachium sancti Georgii. Ibi providerat eis rex Græciæ naves ad transducendum exercitum, adhibens notarios e), qui expeditorum sibi numerum referrent. Quo relecto, graviter ingemuit, & ait: Quare eduxisti Domine Deus populum hunc multum de sedibus suis? Verè brachio virtutis tuæ indigent, ut iterum videant terram desiderabilem, terram, inquam, nati-
5 vitatis suæ. Transmisso (f) ergo mari, Ludovicus Rex Franciæ direxit iter versus Hierosolymam, & pugnantibus secum barbaris universum perdidit exercitum. Quid dicam de Rege Alemaniæ, & his qui cum eo fuerant? Universi perierunt siti & fame, transducti in desertum maximum, dolo legati Regis Græciæ, qui eos in fines Persarum ducere debuerat. Adeo contabuerunt fame & siti, ut incursantibus (h) Barbaris ultro cervices præbuerint. Rex & validiores quique, qui neci superfuerant, in Græciam refugerunt. O judicia excelsi. Tanta fuit clades exercitus & miseria inexplicabilis, ut eorum qui interfuerunt, adhuc hodie lachrymis deplangatur.

Primus. a) Suscepta est altera hæc Christianorum Occidentis in Palæstinam expeditio anno 1147. cùm Romano Imperio Conradus Suevus; Constantinopolitano Manuel Comnenus, princeps rebus gestis clarissimus, præessent. Describunt eam *Nicetas Choniata de Manuele Comneno: l. I. c. 4. & seq. Wilhelm. Tyr. lib. XVI. c. 18. & seq. Mar. Sanut. l. III. part. 6 c. 29.* Ex novitiis addatur *Petrus Bizarus*. Imperatorē mense Majo iter ingressum paulò pòst sequebatur Ludovicus Rex Galliæ. Uterq; maximum ducebat exercitum. Nam in solo Imperatoris exercitu ad LXX. millia loricatorum, exceptis peditibus, parvulis & mulieribus, atq; equitibus levis armaturæ, fuere: In Regis Ludovici autem comitatu LXX. millia loricatorum, excepta classe secunda. Tantus scil. exercitus, quo non Palæ-

stinam

stinam solùm, sed & totum Orientem subjicere sibi potuissent, nisi fata obstitissent. *Wilh. Tyr. & Mar. Sanut. ibid.* Erant in exercitu mulieres, non conjunctis cruribus, sed virorum more divaricatis equitantes, hastatæ atq; virili habitu armatæ, Martio vultu Amazonibus audaciores. *Nicetas.*

Ille. b) Rex re inexspectata & nova territus, tamen rebus suis non defuit. Nam & cōsilium Imperatoris collaudavit, & copiam rerum venalium, quà transiturus esset Imperator, comportari jussit. Sed quia non parum periculi sibi ab illo peregrino exercitu metuebat, urbem muniebat, & legionum alias ad urbis præsidium retinebat, alias exercitum Conradi haut longo intervallo subsequi jubebat, ad eos, qui extra aciem ad prædam & rapinas evagarentur, coercendos. Ita Imperator cum exercitu pacatè Adrianopolin usq; processit. Ubi cùm quidam ex ejus cognatis ægrotus mansisset, isq; à Græcis quibusdam improbis unà cum diversorio crematus fuisset, res ad atrocem pugnam devenisset, nisi quorundam prudentiâ ira Friderici, (is erat ejus ex fratre nepos, qui post eum imperavit) cui ultio demandata erat, mitigata fuisset. *Nic. c. 5.*

mortium. c) In ipso itinere infelices nostros Argonautas gravissimæ calamitates obruunt. Tota expeditio infelicissima fuit. Nec multò meliore successu cæteræ, quas Germani, Galli, Burgundiones, Flandri, Angli, Veneti & Genuenses maximis exercitibus susceperunt, finitæ sunt. Quanquam enim Hierosolymam & terram sanctam recuperarunt, & Veneti atq; Genuenses multas Orientali Imperio provincias eripuerunt, tamen plæraq; hæc amissa iterum. Scilicet in fatis erat, ut Mahumedani rerum in Oriente potirentur; quam causam reddit & prolixè explicat *Philippus Nicolai de regno CHr. l. I. c. 6.*

Nec fefellit. d) Pleniùs cladem hanc descripsit Nicetas; quare operæ pretium me facturū spero, si integram huc transscribā. Post dies aliquot, inquit, in Cherobachorum planiciem perveniunt, castra locant: sed vallum ut nec in reliquo toto itinere, non obducunt, Romana (Græca) fide & pactione freti. Campos illos fluvius Melas perfluit, neq; latus, neq; profundus: qui æstate arescens, in voraginem limosam coit. Hyeme verò aut rapidis imbribus ex parvo fit maximus & vorticosus, ut mare potius quàm flumen videatur, nec jam vado, sed navibus trajicitur: & ventorum procellis exagitatus, vicina rura vastat. Is igitur torrens tum imbribus, & noctu ex improviso latè ultra ripas effusus, non secus ac si cœli cataractæ apertæ essent, ex castris Alemannorum non modò arma, phaleras equorum, vestes, & si qua alia à jumentis vehebantur, sed etiam equos, mulos & viros armatos abripuit: spectaculum sanè miserabile & lachrymosum: cadunt sine bello, cæduntur nemine cædente: non staturæ proceritas, non invicta bello dextera quicquam opis tulit, pereunt instar fœni, instar palearum dissipantur, cum atroci & immani ululatu, ut qui eam rem viderunt, numinis iram castra Alemannorum invasisse crederent.

notarios. e) Manuel Rex multitudinem exercitus describi, & quot quaq; vice trajicerent, annotari jussit. Sed ii, quibus id negocii datum erat, tantæ multitudinis descriptione fatigati, re infecta domum redierunt. *Nic.*

Transmisso.f) Imperator primus Hellespontum transiit, & à viæ ducibus, quos Rex Græciæ dederat, in Cappadociæ solitudines ductus & hostibus proditus est. Ibi enim à Paramo, Soldani Icoviensis Satrapa, ita variis conflictibus exercitus Imperatoris attritus est, ut de tanta multitudine vix decima pars evaserit. *Wilhelm. Tyr. l. XVI. c. 20. 21. 22.* Transit paulò pòst & Rex Galliæ cum suis copiis, cui cum reliquiis suis occurrit Imperator, & habita deliberatione statuit cum eodem alia viâ in Syriam tendere. Sed Ephesum usq; progressus mutato consilio Constantinopolin ad Manuelem, Affinem suum, reversus est. Rex interim progreditur, & non procul Laodicea ingentem cladem à Turcis patitur. Tandem apud Attaliam urbem conscensa navi in Syriam navigat. Imperator & Rex Hierosolymis conveniunt, & in urbe Ptolemaide de Damasco expugnanda deliberant. Verùm Imperator videns, se omnia irato Numine in hac expeditione tentare, domum remeavit, Rege Galliæ diutiùs in Syria subsistente. *Wilh. Tyr. lib. XVI. cap. 23. & seq.*

dolo. g) Curabat quidem Rex Græciæ, ut duo illi Germanorum & Gallorum exercitus in itineribus commeatum venalem reperirent; sed tamen in locis oportunis, & angustis tramitibus, insidias collocabat, quibus non pauci ex iis peribant. Ipso sive jubente sive connivente incolæ urbium peregrinis militibus quoquo modo poterant, nocebant. Nam & calcem, vel gypsum contusum farinæ & panibus miscebant, quos nostris vendebant, & monetam adulterinam, ex improbo argento jussu Manuelis cusam, iis dabant, si quid hi vendituri essent. Nec ullum mali genus fuit, quod Rex Manuel non vel ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset. Quin ipse Turcos ad bellum Alemannis faciendum concitabat. *Nic. c. 5. Anton. Sabell. Enn. IX. l. 4.*

incursantibus, h) Cùm tamen ad fluvium Mæandrum Conradus pervenisset, & Turci magnis agminibus in ulteriori ripa ipsum exspectarent, amnem equis præter omnem Turcorum exspectationem transibat, & tantam cladem in iis edebat, ut campi cadaveribus planè tegerentur, & postea ex ossibus crebi & alti tumuli, collium instar, fierent; quos ipse Nicetas, qui hæc ad posteritatem transmisit, suis usurpavit oculis. Quanquam *Tyrius* hanc stragem in Turcis factam Regi Galliæ tribuit, eamq; post debellatum Imperatorem accidisse commemorat, *lib. XVI. cap. 24.* Idem facit *Marin. Sanut. l. III. p. 6. c. 19.*

CAPUT LXI. (LXII.)

1. *Alter exercitus, circa Rhenum & Visurgim collectus, Olisiponem obsidet.*
2. *Olisipo, pulsis Saracenis, fit Christianorum colonia.*

1 SEcundus verò navalis exercitus, Colonia & aliis civitatibus Rheni conflatus, prætercа littore fluminis Wiseræ, navigare cœperunt latissima Oceani spacia, quousq; venirent in Britanniam. Ubi per aliquot dies resarcita classe, non modica etiam Anglorum & Britannorum adjecta manu, torserunt vela versus Hispaniam, applicueruntque ad Portugalensem nobilissimam Galatiæ (a) urbem, adoraturi apud Sanctum Iacobum. Rex (b) ergo Galatiæ

lætior effectus de adventu peregrinorum, rogavit, ut si propter Deum pugnaturi exissent, fierent sibi auxilio contra Lacebonam & ejus incolas, qui fines Christianos inquietabant. Cujus petitioni faventes abierunt Lacebonam cum magna navium copia: Rex quoque terrestri accedens itinere, validum adduxit exercitum, & obsessa est civitas terra marique. Multum ergo temporis effluxit in obsidione civitatis. Ad ultimum capta civitate, pulsisque Barbaris, Rex Galatiæ rogavit peregrinos, ut darent sibi civitatem vacuam, divisa prius inter eos socialiter præda. Factáque est illic Christicolarum colonia, usque in præsentem diem. Hoc solum prosperè cessit de universo opere, quod peregrinus patravit exercitus. 2

Galatiæ, a) Gallæciam intelligit. De qua vide *Luc. Marineum l. III. de reb. Hispan. Paull. Merulam Cosm. part. II. l. 2. c. 16.*

Rex, b) Hic erat Alfonsus I. Rex primus Lusitaniæ, qui præmiis propositis classem è Germania, Anglia & Gallia Belgica in belli societatem ad Olisiponem, quam Mauri adhuc tenebant, expugnandam evocabat. *Joann. Mariana l. X. c. 19. Duard. Nonius de Regibus Portugall. p. 1253.* De urbis nomine, conditoribus, situ & forma, agit *Damianus à Goes*, in *Olisiponis descriptione*, *Ludovicus Nonius de Hispania c. 35.* Melior scriptorum pars ab Ulysse conditam asserit. *Damianus* tamen, *Ludov. Nonius* & *Paull. Merula c. 26.* Olisipo scribendum esse contendunt. *Hieronymus Conestagg.* Lisybona scribit, *lib. de Portugall. & Castell. conjunct.*

CAPUT LXII. (LXIII.)

1. Tertius exercitus Obotritis & Lutitiis debellandis destinatur.
2. Niclotus sua munit, & Adolphi Com. auxilia & colloquium expetit.
3. Adolphus honestè ea denegat.
4. Id ægerrimè fert Niclotus.

Tertius signatorum exercitus devotaverunt se ad gentem Slavorum, Obotritos scilicet & Luticios, nobis confines, ulturi mortes & exterminia quæ intulerunt Christicolis, præcipuè verò Danis. Hujus verò expeditionis capitanei erant, Albero Hammenburgensis & universi Saxoniæ Episcopi: præterea Henricus Dux adolescens, Conradus Dux de Zaringe, Adalbertus Marchio de Saltwidele, Conradus de Within. Audiēs ergo Niclotus quia congregandus esset in brevi exercitus ad destruendum eum, convocavit universam gentem suam, & cœpit ædificare castrum Dubin, ut esset populo refugium in tempore necessitatis. Direxitque nuncios ad Comitem Adolfum, commo- 1 2

nens eum fœderis quod pepigerant, simul etiam rogans præberi sibi faculta-
3 tem colloquendi ei & consilio participandi. Cùmque Comes renueret, dicens, hoc incautum sibi propter offensam principum, ille mandavit ei per
4 nuncios dicens: Decreveram quidem esse oculus tuus & auris tua in terra Slavorum, quam incolere cœpisti, ne quas patereris molestias Slavorum, qui olim Wagirensium terram possederunt, & causantur se privatos injustè hæreditate patrum suorum. Quare ergo dissimulas amicum tuum in tempore necessitatis? Nonne tentatio probat amicum? Hactenus continui manus Slavorum, ne læderent te, nunc tandem libet retrahere manum, & permittere te tibimet, eo quòd fastidieris amicum tuum, nec recordatus fueris fœderis, & negaveris mihi faciem tuam in tempore necessitatis. Dixerúntque nuncii Comitis ad Niclotum: Quod Dominus noster hac vice non loquitur tibi, impedit ea quam nosti necessitas. Habe ergo adhuc gratiam fidei & sponsionis tuæ erga Dominum nostrum, ut si videris contra eum bella Slavorum clàm consurgentia, præmunias eum. Et promisit Niclotus. Dixit ergo Comes habitatoribus terræ suæ, habete cautelam jumentorum & substantiarum vestrarum, ne fortè rapiantur à furibus vel latronibus: de publico verò periculo meum erit prospicere, ne qua improvisi exercitus incursione involvamini. Putabat enim vir sapiens, repentinas bellorum jacturas sese consilio conclusisse, sed res aliter cesserunt.

CAPUT LXIII. (LXIV.)

1. Niclotus in Wagriam irruit, & Lubecæ plusquam CCC. viros occidit.
2. Westphalos & Hollandos, novos Wagriæ incolas, cædibus & rapinis vastat.
3. Holsati antiqui ab hac incursione immunes fuerunt.

1 Sentiens enim Niclotus irrevocabilem esse juratæ expeditionis profectionem, clàm parat navalem exercitum, transmissóque freto, applicat classem ad ostium Travenæ, percussurus omnem Wagirensium provinciam, priusquam Saxonum exercitus infunderetur suis terminis. Transmisitque vespere nuncium Sigeberg, eo quòd promisisset Comiti, præmunire eum, sed supervacua legatione: Comes quippe defuit, & non erat tempus congregandi exercitum. Illucescente ergo die qua sanctorum Ioannis & Pauli passio veneranda celebratur, descendit navalis Slavorum exercitus per ostium Travenæ. Et cives Lubicanæ urbis audito murmure exercitus, inclamaverunt viros urbis, dicentes; Audivimus vocem clamoris maximi, quasi vocem supervenientis multitudinis & ignoramus quid sit. Miserúntque ad civitatem & ad forum, nunciare eis imminens periculum. Sed populus multa potatione ebrius

brius neque strato neq; navibus admoveri potuit, quousque hostibus circumvallati, naves mercibus onustas injecto igne perdiderũt. Interfectique sunt illic eo die ad trecentos & eo amplius viros. Rudolphus sacerdos & Monachus dum fugeret ad castrum, præventus à Barbaris, mille vulneribus confossus est. Porrò hi qui in castro erant, biduo atrocissimam obsidionem pertulerunt. Duæ quoque equitum turmæ omnem Wagirensium terram pervagantes, 2
quicquid in suburbio Sigeberg repererunt, demoliti sunt. Pagum quoque qui Dargune dicitur, & quicquid infra Travenam à viris Westphalis, Hollandis, cæterísque extraneis populis incultum fuerat, flamma vorax absumpsit. Fecerúntque cædes virorum fortium, qui fortè armis obsistere tentassent, & duxerunt uxores eorum & filios in captivitatem. Pepercerúntque viris Hol- 3
zatensibus, qui habitant ultra Travenam ad occidentalem plagam Sigeberg, substiterúntque in agris oppidi Cuzalinæ, & non adiecerunt ultra progredi. Villas præterea, quæ erant in campestribus Zuentinevelde, & extenduntur à rivo Sualen, usque ad rivum Agrimeson, & lacum Plunensem, non devastaverunt Slavi, nec quicquam attigerunt de substantiis hominum illic degentium. Sermo fuit eo tempore omnium ore pertritus, quosdam Holzatensium hoc perturbationis malum conflasse propter odium advenarum, quos Comes latè congregaverat ad incolendam terram. Unde etiam communis jacturæ soli Holzati extorres inventi sunt. Sed & Utinensis civitas adiuta locorum firmitate salvata est.

CAPUT LXIV. (LXV.)

1. Slavi Frisios in pago Süsel oppugnant.
2. Ad deditionem propensos revocat & animat Gerlacus sacerdos.
3. Ipsi animo sumto, numero pauci, contra tria millia Slavorum locum tuentur.

Rem dicam posteritatis memoria dignam. Quando Slavi Wagirensium 1
terra ad libitum abusi, novissimè venerunt ad pagum Susle, vastaturi Fresonum coloniam, quæ illic erat, quorum numerus ad quadringentos & eo amplius viros supputatus fuerat. Adventantibus autem Slavis vix centum reperti sunt in munitiuncula, cæteris in patriam reversis, propter ordinandum peculium ibi relictum. Succensis ergo quæ foris erant, videres his, qui in munitione erant, gravissimam inferri expugnationis jacturam. Tota enim die à tribus millibus Slavorum fortiter impugnati sunt, illis quidam victoriam præsumentibus veluti indubiam, his verò supremum spiritum pugnæ dilatione redimentibus. Sed cùm viderent Slavi, quia victoria non cederet eis incruenta, promittunt Fresonibus vitam, & membrorum integritatem, si mu-

2 nitione progressi dedissent arma. Cœperunt ergo quidam ex obsessis appetere deditionem, ob spem vitæ. Quos arguens fortissimus Sacerdos: Quid est, inquit, ô viri, quod agere vultis? Putatis vos deditione vitam redimere, aut barbaris fidem inesse? Fallimini viri compatriotæ. Stulta est hæc opinio. An nescitis, quia in omni advenarum genere, apud Slavos nulla gens detestabilior Fresis? Sanè fœtet eis odor noster. Quare ergo abiicitis animas vestras ultro properantes ad interitum? Contestor vos per Deum factorem orbis, cui non est difficile salvare in paucis, ut adhuc paululum experiamini vires vestras, & conferatis manus cum hostibus. Quamdiu enim vallo hoc circundamur, sumus manuum nostrarum & armaturæ compotes, vita nobis in spe sita est: inermibus verò præter ignominiosam mortem reliquum nihil est. Gladios ergo vestros quos ultro sibi expetunt, mergite prius in medullis eorum, & estote ultores sanguinis vestri. Hauriant gustum audaciæ vestræ, nec vi-
3 ctoria redeant incruenta. Et hæc dicens, ostendit eis magnanimum spiritum, objectúsque portis cum uno tantùm viro, hostium cuneos propulit, percussitque manu propria ingentem Slavorum numerum. Excusso denique uno oculo & ventrem perfossus, nihil remissius egit in pugna, divinum quoddam robur tam in animo quàm in corpore præferens. Nihil itaque melius à notissimis illis filiis Sarviæ (a), vel à Machabeis quondam pugnatum est, quàm à sacerdote Gerlavo, virisq; perpaucis in castro Susle, defenderuntq; munitionem de manu vastatorum. His auditis Comes congregavit exercitum, ut pugnaret cum Slavis, & ejiceret eos de terra sua. Quo rumore comperto, Slavi redierunt ad naves, & abierunt onusti de captione hominum, & de varia supellectile, quam prædati fuerant in terra Wagirorum.

Sarviæ. a) Intelligit בני צרויה, Joabum & Abisai, Davidis ex sorore nepotes, *2. Sam. XVI. 9.*

CAPUT LXV. (LXVI.)

1. Exercitus Saxonicus Dobinum & Deminum arces obsidet. 1148.
2. Dani in obsidione Dobini cladem accipiunt.
3. Saxones propter avaritiam remissiores in oppugnando facti, intempestiviùs cum Slavis pacificantur.
4. Slavi simulate baptismũ recipiunt.

1 INterim volat hæc fama per universam Saxoniam & Westphaliam, quia Slavi facta eruptione bellum priores adorsi fuerint, & festinavit omnis illa expeditio, signo crucis insignita, descendere in terram Slavorum, & zelare iniquitatem ipsorum. Partitoq; exercitu, duas munitiones obsederunt, Dubin &
2 Dimin, & fecerunt contra eas machinas multas. Venit quoque Danorum exercitus, & additus est his qui obsederant Dubin, & crevit obsidio. Una ergo dierum

dierum, considerantes ii qui tenebantur inclusi, quia Danorum exercitus segnius ageret (ii enim domi pugnaces, foris imbelles sunt) facta subita eruptione, percusserunt ex eis multos, & posuerunt eos crassitudinem terræ. Quibus etiam subveniri non poterat propter interiacens stagnum. Ob quam rem exercitus ira permotus, pertinacius instabant expugnationi. Dixerunt autem 3
satellites Ducis nostri, & Adalberti Marchionis ad invicem: Nonne terra quam devastamus, terra nostra est? Et populus quem expugnamus, populus noster est? Quare ergo invenimur hostes nostrimet, & dissipatores vectigalium nostrorum? Nonne jactura hæc redundat in Dominos nostros? Cœperunt ergo à die illa facere in exercitu tergiversationes, & obsidionem multiplicatis induciis alleviare. Quoties enim in congressu vincebantur Slavi, retinebatur exercitus, ne fugitantes insequerentur, & ne castro potirentur. Ad ultimum nostris jam pertæsis, conventio talis facta est, ut Slavi fidem Christianam reciperent, & laxarent Danos, quos in captivitate habebant. Multi ergo 4
eorum falsò baptizati sunt: & de captione hominum relaxaverunt omnes senes & inutiles, cæteris retentis, quos servitio robustior aptaverat ætas. Taliter illa grandis expeditio cum modico emolumento soluta est. Statim enim postmodum in deterius coaluerunt: nam neq; baptisma servaverunt, nec cohibuerunt manus à deprædatione Danorum.

Danorum. a) *Pontan. l. V. in Suenone Gratenhede, anno 1148.*

CAPUT LXVI. (LXVII.)

1. *Adolphus fœdus cum Nicloto & cæteris Slavis renovat.* | 2. *Vicelinus & Dithmarus sunt munifici in pauperes.*

Comes autem noster convulsas reparans amicitias, fecit pacem cum Nicloto, & cum cæteris orientalibus Slavis. Nec tamen integrè credebat 1
eis, eo quòd fœdera prima violassent, & percussissent terram suam attritione maxima. Cœpitque consolari populum suum, quem vastitas hostilis attriverat, orans eos, ne casibus adversis cederent, hoc cognoscentes, quòd Marcomannos oportet duram habere patientiam, & prodigos esse sanguinis sui. In redimendis quoq; captivis devotus extitit. Quid dicam de sacerdote Christi 2
Vicelino? In ea calamitate qua barbaricus (a) furor multos attriverat, & frumentorum penuria famem parturiverat, omnibus qui in Faldera & Cuzelina fuerunt, summopere commendavit, ut pauperum memores essent. Ad quod opus vir Dei Thethmarus fuit incomparabiliter idoneus, dispergens & dans pauperibus minister fidelis & prudens, ubiq; caritativus, ubique largus, in cujus,

jus laudem parum est quod loquor. Sanè pectus Sacerdotis misericordia refertum, suavissimo fragrabat odore, jacebántq; præ foribus monasterii greges egenorum, expectantium eleemosynam de manu viri Dei: Adeo ut locus ille ad inopiam redigendus videretur, propter largitatem viri. Obserabantur ergo à procuratoribus ostia domesticæ rei, ne curia subjaceret detrimento. Quid faceret homo Dei? Clamores pauperum ferre non poterat, nec fuit ad manus quod daret. Cœpit ergo vir misericors, curiosius agere, & circuire horrea, explorare callidus aditum, quo etiam secretius reperto, egit in modum furantis, dans quotidie pauperibus juxta opportunitatem. Ferebatur autem à fidissimis nobis, quòd iisdem diebus exinanita frumentaria penus, divinitus recuperata sit. Præbet huic facto firmitatem opus Heliæ, nec non Helisæi, quorum æmulos sicut virtutis, sic etiam miraculi adhuc superesse, non est ambiguum.

barbaricus. a) Possidebat Vicelinus etiam Ecclesiam Bishorst, ad Albim infra Hamburgum sitam, quam illi Adalbero Archiepiscopus donaverat, uti notavimus suprà ad cap. 47. De qua donatione Poëma de Vicelino:

Ecclesiã Bishorst illi subjecit & Ichhorst, Huc confugere, quoties Slavi fide Christiana abjecta ita sævirent, consueverat. Helmoldi *Continuator Anonymus*, Presbyter Bremensis, postquam narrasset, Slavos illis XXX. annis, quibus Vicelinus in Holsatia & Wagria docuit, frequenter à religione defecisse, addit: Aliquando etiam Novum-Monasterium in Faldera desolabant, quorum furorem S. Vicelinus cum suis declinare volens, ad reservandum personas notabiliores, & ornamenta Ecclesiæ & libros, habuit ecclesiam Bisthorst in palude Haseldorp in asylum ac refugium. Ubi etiam Oratorium habebat ad exorandum auxilium divinum. *Cypræus p. 140.*

CAPUT LXVII. (LXVIII.)

1. *Occiso Erico Emundo (V.) regnum Daniæ tutorio nomine Ericus VI. cognomine Spac accipit.* 1140.
2. *Ericus VI. moriens Suenonem, Emundi filium, successorem designat.* - - - - - - 1148.
3. *Kanutus Suenonem, & Waldemarum, illius socium, oppugnat.*
4. *Quod Adolphus Com. partes Kanuti sequeretur, Sueno Wagriam invadit.*
5. *Multi Holsatorum duce Ethelero ad Suenonem se applicant.*
6. *Hi ad Adolphum auctoritate Leonis revocantur.*
7. *Comes Kanutum vocat ad Suenonem Slesvici opprimendum.*
8. *Fraude Etheleri Kanutus exercitum suum dimittit.*
9. *Comes de insidiis certior factus reducit paulùm exercitum.*

10. Comes

10. *Comitis exploratores intercipiuntur.*

11. *Comes paucos suos Holsatos ad virtutem cohortatur.*

12. *Ethelerus in primo prælio cadit: Sueno Slesvicum fugit.*

13. *Adolphus Holsatis & Stormaris optimè præfuit.*

14. *Holsati ex agrestibus civiliores facti sunt.*

15. *Adolphus cum Suenone, post ejectum Kanutum, in gratiam rediit.*

Modicum ergo temporis effluxit, quo Wagirensi terræ de præterita ca- 1
lamitate respirare concessum est,& ecce nova prælia surrexerunt ab Aquilone, quæ apponerent dolorem dolori, vulnus vulneri. Occiso enim Erico, cui cognomen erat Emun, remanserunt tria genimina Regum, scilicet Suein ejusdem Erici filius, Waldemarus Kanuti filius, Kanutus Magni filius. Qui cùm adhuc infantuli essent, consilio Danorum positus est eis tutor quidam Ericus cognomento Spac, qui Regnum cum regia sobole tutaretur. Fuítque vir ille pacificus, cum tranquillitate creditum sibi gubernans regnum, nisi quòd Slavorum furiis minus obstitit. Nam latrocinia Slavorum eo tem-
pore solito plus invaluerunt. Sentiens autem Ericus appropinquare diem 2
mortis suæ, convocavit tres adolescentes regios, adhibitóque magnatum consilio, Suein destinavit ad regnum, Waldemarum & Kanutum hæreditate pa-
terna jussit esse contentos, ordinatisque taliter rebus, defunctus est. Nec mora, 3
Kanutus, Magni filius, rupta curatoris sui dispositione, conatus est arripere regnum, movítque contra Suenonem prælia magna. Porrò Waldemarus, partes Suein adiuvabat, & commota est universa Dania, & visa sunt magna signa in cœlo versus aquilonem, species quasi ignearum facularum, & humani cruoris similitudo rutilantis. Nec fefellerunt portenta. Quis enim igno-
ret strages factas, factas inquam in eo prælio? Certabat ergo uterque regum 4
asciscere sibi Comitem nostrum, miserúntque nuncios cum donariis, plura offerentes, & ampliora promittentes. Complacuítque Comiti ad Kanutum, habitóque colloquio, fecit ei hominium. Quod factum est zelatus Suein, assumptáque manu armata, transivit in Wagirensem terram, & succendit Aldenburg, & demolitus est omnem terram maritimã, & digrediens inde succẽdit suburbium Sigeberg, & quæcunque in circuitu ejus erant, vorax absum-
psit flamma. Hujus autem mali fuit autor Ethelerus quidam de Thethmar- 5
schia natus, qui divitiis Danorum sublevatus, omnem fortem de Holzatia sibi sociaverat. Factúsque Ductor Regis, volebat Comitem provincia pellere, terrámque ejus addere regno Danorum. Quod factum cùm innotuisset Co-

 miti

miti, transiit ad Ducem ut protegeretur ab eo. Nec enim in Holsatia tutò consistere poterat, eo quòd increvissent homines Etheleri, qui insidiabantur vitæ ejus. Quicunque voluisset fieri homo Etheleri, veniebat ut acciperet in munere byrrum (b), clypeum, vel equum: atque donis hujusmodi corrupta, re-
6 pleta est terra seditiosis. Præcepit ergo Dux omni populo Holzatorum, & Sturmariorum, ut sicubi reperti fuissent homines Etheleri, aut renunciarent hominio, aut provincia secederent. Et factum est ita: juravítque omnis populus, stare ad mandatum ducis, & obaudire Comiti suo. Sociatúsque est sibi vir Holzatensis in die illa, seditiosis omnibus aut reductis in gratiam, aut
7 provincia pulsis. Misit ergo Comes nuncios ad Kanutum suggerens ut quantocyus cum exercitu veniret, oppressurus Suein. Cui etiam ipse occurrit cum quatuor millibus expeditorum, prope Sleswich. Fixerúntque castra longis ab invicem spaciis. Morabatur autem Suein in civitate Sleswich, cum non
8 minima bellatorum manu. Videns ergo Ethelerus, princeps exercitus Suein, quia duplicata sunt mala multúsque exercitus venit ad obsidendum eos, abiit ad Kanutum in dolo, datáque pecunia Principibus seduxit adolescentiam Kanuti, ut rediret in terram suam, inscio Comite Adolfo, & dimitteret exercitum in locum suum. Præfixis quoque induciis, spopondit se sine bello pacem Danis redditurum. His ad libitum peractis, rediit Ethelerus Sleswich, mane pu-
9 gnaturus cum Comite, & percussurus eum repente. Eo vespere quidam familiarium Comitis erat Sleswich, qui sentiens ea, quæ clàm parabantur, transiit cum festinatione lacum, & veniens in castra dixit ad Comitem: Deceptus es ô Comes, deceptus atque pessundatus es. Kanutus enim & exercitus ejus, in quorum auxilio tu venisti, reversi sunt in terram suam, & tu solus hîc jaces. Ecce venturus est Ethelerus diluculo pugnare tecum. Comes ergo supra quàm credi potest admirans imposturam, dixit ad suos: Quandoquidem in medio myricæ consistimus, & equi nostri afficiuntur inedia, bonum est nos hinc transire, locúmque quærere castris opportunum. Sensit ergo exercitus, animum Comitis sinistra legatione concussum. Moverúntque castra de loco qui dicitur Cuningisho, verterúntque iter versus Egdoram. Tanta autem festinantia prætetlapsi sunt, ut veniente Comite ad Egdoram, de quatuor millibus expeditorum, vix quadringenti cum eo reperti fuerint. Quos Comes adhortans, ait: Licet fratres & amicos nostros hujus ignaros rei fugaverit cassus timor, mihi tamen utile videtur, nos hîc consistere propter custodiam terræ nostræ, quousque directis nunciis certius cognoscamus, quid actitent ho-
10 stes nostri. Statímque misit nuncios, qui veritatem perferrent. Quibus apud

Sleswich,

Slefwich, comprehenfis, & in vincula conjectis, dixit Ethelerus ad regem Dominum fuum : Iam nunc feftinandum eft, & eundum cum exercitu, quia facile eft ut tradatur Comes ifte defolatus in manus noftras. Quo percuffo tranfibimus in terram ejus, & abutemur ea prout libuerit. Et abierunt cum manu forti. Comes ergo irritatus, quia nuncii juxta placitum non veniffent, alios mifit nuncios, qui vifis hoftibus cum celeritate nunciaverunt Comiti.
Ille licet intus morderetur fuorum paucitate, elegit tamen, virtutis intuitu, 11
confligere, dixitque ad focios: En tempus eft, ô focii, quo comperiendum fit, ubi fit vir audax, & virtutis continens, qui ruinas pronus excipere velit. Sæpius quidem mihi à noftratibus objectum eft cum infultatione, quafi cor muliebre & fugax habuerim, qui bellorum jacturas plus lingua quàm manu propulerim. Et hoc quidem non imprudens egi: quoties bella fine fanguine caveri poterant. Nunc autem quia immanius periculum indiget opera manuum, videre jam fas eft, fi fœmineus mihi, ut dicitis, infit animus. Quin potius videbitis dante Deo mihi cor ineffe virile. Animæquior autem ero, fi veftra concors mecum fuerit voluntas, fi in defenfionem patriæ mecum conjurata manu fteteritis. Hoc enim loco præfidium pugnæ flagitat, & verecundia fugæ, & certiffimum patriæ excidium. Hæc cùm peroraffet Comes, gratulati funt focii, grandique juramento fe obligaverunt, ut ftarent firmiter, pro falute fuimet, & patriæ. Præcepit ergo Comes effringi pontem, & pofuit cuftodiam in locis, quibus permeabilis erat fluvius. Venit autem nuncius, qui dice- 12
ret hoftes transduci prope villam, quæ dicitur Scullebi (d). Facta ergo oratione ad Deum, Comes feftinavit pugnare cum his qui transducti fuerant, priufquam univerfus tranfiret exercitus. Statimque ubi congreffi funt, Comes equo dejectus eft, & fuerunt ei præfidio duo milites, qui fublevatum equo reftituerunt. Et fuit pugna vehemens, & victoria utrinque ambigua, quoufque unus partium Comitis proclamavit, ut poplites equorum, quos hoftes infidebant, fortiter cæderentur, factumque eft, ut cadentibus equis, feffores quoque loricati collaberentur, gladiisque noftratum protriti funt, & cecidit Ethelerus, cæteri nobiles aut occifi funt aut capti. Quod videns Rex ex altera ripa fluminis, & qui cum eo erant, petiit fugam & reverfus eft Sleswich. Sed & Comes reverfus eft, clarus victoria, habens captivos infignes, quorum pecunia debitis fuis aliquantifper alleviatus eft. Habuitque de cætero præcipu- 13
am terræ fuæ diligentiam. Quoties enim motionis aliquid infonuit, aut de Danis, aut de Slavis, ftatim collocavit exercitum in locis opportunis, videlicet Travenemundæ, five ad Egdoram. Fueruntque parentes mandato ejus ple-

bes Holzatorum, Sturmariorum & Marcomannorum. Vocantur autem usitato more Marcomanni, gentes undecunque collectæ, quæ Marcam incolunt. Sunt autem in terra Slavorum Marcæ quàm plures, quarum non infima nostra Wagirensis est provincia, habens viros fortes & exercitatos præliis, tam Danorum quàm Slavorum. Super hos omnes functus est Comes honore Cometiæ. Fecitque justitiam populo suo, compacans diffidentia, & oppressos liberans de manu potentiorum. Clero fuit apprimè benevolus, quem nec in facto nec
14 in verbo passus est à quoquam injuriari. Multum verò laboris adhibuit in edomandis rebellibus Holzatorum: gens enim libera & cervicosa, gens agrestis & indomita, detrectabat ferre jugum pacis. Sed vicit eos altior sensus viri, & philosophatus est in eis. Multis enim præcantationibus allexit eos, quousque duceret sub lorum, illos inquam onagros indomitos. Viderit qui voluerit, faciem gentis hujus immutatam, eos scilicet qui soliti quondam fuerant, sævum caput abdere larvis, & deprædandis tendere decipulas, furari quæ rapere non poterant, viderit inquam eos convertisse mores, & revocas-
15 se gressus ad iter pacis. Nonne hæc est mutatio dexteræ excelsi? Post hæc reconciliatus est Comes Suein, regi Danorum. Ille enim crebris prosperatus victoriis, Kanutum ejecit de terra, & ad Saxones propulsum exulare coegit, penes nominatissimum Hartwigum Archiepiscopum, qui clarissimo genere natus magna pollebat hæreditate.

Occiso. a) Plogus, ex Jutia oriundus, publicè jus dicentem, anno 1140, lanceâ transverberavit, *Joh. Suaning. Adde Joh. Adolph. Cypræum c. 23. Joh. Isac. Pontan. l. V. in Erico Lam.*

byrrum. b) byrrus & birros, Græcis βίῤῥος & βηρίον, est chamys, lacerna, vilioris vestis genus. *Suidas*: ἐφεστρὶς, ἱμάτιον ῥωμαικὸν. λέγεται δὲ μανδύας, καὶ βίῤῥον. Usurpat & *Gregor. Turonensis l. II. c. 1.* E Græco etiam derivat *Isidorus l. XIX. c. 24.* Ad quem locum vide *Gerard. I. Voss. l. II. c. 3.* Adde *Joann. Meurs.* in βίῤῥος & βηρίον.

Cuningsho. c) Locus hic Koningshuie dictus, & in myrica Groppiana situs est, *Cypræus, c. 25.*

Scullebi. d) Schalebuja, *Cypræo ibid.*

CAPUT LXVIII. (LXIX.)

1. Henricus Leo ducit Clementiam Ducis Zeringensis filiam. 1147.

2. Expeditiones ejus in Slaviam huc usque institutæ pecuniam spectarunt, non religionem.

1 IN diebus illis, Dux noster adolescens, Dominam Clementiam, filiam Conradi ducis de Zeringge, duxit uxorem, cœpitque dominari in universa ter-

ra Slavorum, succrescens sensim & invalescens. Quoties enim offendissent eum Slavi, admovit eis Martiam manum, dederúntque ei pro vita simul & patria quicquid exigere voluisset. In variis autem expeditionibus, quas adhuc 2
adolescens in Slaviam provectus exercuit, nulla de Christianitate fuit mentio, sed tantùm de pecunia. Adhuc enim immolabant Dæmoniis & non Deo, & agebant piraticas incursationes in terram Danorum.

In diebus. a) Primas has Leonis nuptias *Chron. Lub. MS. Joh. Ruffi* refert ad annum 1147. his verbis: **In der tyt nam Hertoge Hinrik de junge lowe sin erste Wyff.** Clementia hæc fuit filia Conradi, Ducis Zeringensis, quam ex Clementia Godefridi Comitis Namurcensis filia suscepit. Conradus cum anno 1152. 8. Jan. in fata concederet, Bartholdum IV. filium successorem relinquebat. Extincta clara illa familia est in Bertholdo V. anno 1218. Kalendis Maji mortuo. Vide *Tabul. Joannis Pistorij in Chron. Constant. p. 666. Martin. Crus. Annal. Suevic. part. II. lib. 7. c. 3.* & *Comites Zaringenses Johann. Gualterij Chron. Polit. l. I.* Leo Clementiam pòst repudiavit. *Infra lib. II. c. 10. n. 6. Abb. Ursperg. ann. 1162.*

CAPUT LXIX. (LXX.)

1. *Hartwicus, Archiep. tres Episcopatus in vicinia instaurat. 1148.*
2. *Aldenburgensi antea decem Episcopi ordine præfuerant.*
3. *Ezonis tempore Albertus Archiep. dividit Episcopatum Aldenburg. anno 1058.*
4. *Ab anno 1066. hæ Ecclesiæ annos LXXXIV. Episcopis caruerant.*
5. *Hartwicus à Papa & Imperatore potestatem suffraganeos sibi faciendi non impetrat.*
6. *Hartwicus Vicelinum Episcopum Aldenburgensem facit. 1149.*
7. *Comes novo Episcopo decimas aufert.*
8. *Dux vult, ut Episcopus investituram à se recipiat.*
9. *Henricus de Witha hoc persuadere Episcopo conatur.*
10. *Vicelinus cogitandi spatium petit.*
11. *Archiepiscopus Vicelino multis dissuadet, ne à Duce investituram recipiat.*
12. *Dux jus suum urgens opem omnem Episcopo denegat.*
13. *Vicelinus interim Ecclesias suas visit.*
14. *Lubecæ altare dedicat.*
15. *Aldenburgenses iterū idola colunt.*
16. *Episcopus viam salutis & necessitatem Baptismi docet.*

Videns ergo Dominus Hartwicus Hamenburgensis Archiepiscopus, quia 1
pax erat in Slavia, proposuit reædificare sedes Episcopales, quas barbaricus furor olim destruxerat in Slavia, scilicet Aldenburgensem, Racesburgensem, Mikilenburgensem. E quibus Aldenburgensem Magnus Otto primus 2
instituerat, subiiciens ei Polabos & Obotritos, à terminis Holzatorum usq; ad flumen Panim, & civitatem Dimin. Posuitque in Aldenburg primum Pontificem

ficem Marconem. Poſt hunc ſecundus erat Ecwardus, tertius Wago, quartus Ezike, quintus Folchardus, ſextus Reinbertus, ſeptimus Benno, octa-
3 vus Meinerus, nonus Abelinus, decimus Ezo. Hujus temporibus ſurrexit in
Hammenburgenſi Eccleſia Magnus Adelbertus, qui de peregrinis Epiſcopis, quos in menſa ſua habebat, Ioannem ſtatuit Epiſcopum in Mikilinburg,
Ariſtonem in Raceſburg, atque in hunc modum Aldenburgenſis ſedes in tres
4 diviſa eſt Epiſcopatus. Poſtquam ergo permittente Deo propter peccata hominum, Chriſtianitas adnullata eſt in Slavia, vacaverunt hæ ſedes annis octu-
5 aginta quatuor, uſq; in tempora Hartwici Archiepiſcopi. Qui propter generis nobilitatem duplici principatu clarus, magno ſtudio eniſus eſt pro recuperandis ſuffraganeis Epiſcopis, univerſæ Daciæ, Norwegiæ, Suediæ, quos Hammenburgenſi Eccleſiæ quondam pertinuiſſe, commemorat antiquitas. Sed cùm obſequiis & variis largitionibus nil profeciſſet apud Papam & Cæſarem, ne omnino careret ſuffraganeis, aggreſſus eſt jam pridem abolitos E-
6 piſcopatus Slaviæ ſuſcitare. Accitum ergo venerabilem Sacerdotem Vicelinum Aldenburgenſi ſedi conſecravit Epiſcopum, cùm jam eſſet ætate provectus, & manſiſſet(b) in terra Holzatorum triginta annis. Porrò in Mikilinburg ordinavit Dominum Emmehardum, & conſecrati ſunt ambo in Roſſevelde, miſſique in terram egeſtatis & famis, ubi erat ſedes Satanæ, & habi-
7 tatio omnis ſpiritus immundi. Factáque ſunt hæc inconſulto Duce & Comite noſtro. Unde accidit ut amicitia quæ erat inter Dominum Vicelinum & Comitem noſtrum, deinceps turbata ſit: nam antea eum ut patrem venerabatur. Tulítque decimas omnes anni illius, quæ Pontifici novo provenire poterant, nec dimiſit ex eis parvas reliquias. Tunc abiit Epiſcopus ad Ducem, rogaturus veniam, & ſuſceptus eſt ab eo cum honore & reverentia.
8 Et ait Dux ad eum: Dignum quidem fuit, ô Epiſcope, ut vos nec ſalutarem nec reciperem, eo quòd nomen iſtud me inconſulto ſuſceperitis. Ego enim hujus rei moderator eſſe debueram, maximè in terra quam patres mei, favente Deo, in clypeo & gladio obtinuerunt, & mihi poſſidendam hæreditaverunt. Sed quia ſanctitas veſtra dudum mihi comperta eſt, progenitores quoque noſtri vos ab initio fidelem probaverunt, decrevi jam noxæ hujus oblivi-ſci, promotioníque veſtræ pleno favore concurrere, ſcilicet ea conditione, ſi inveſtituram epiſcopalem de manu mea recipere volueritis. Hoc enim pacto res veſtræ proceſſum habere poterunt. Et viſum eſt Epiſcopo verbum illud durum, eo quòd eſſet præter conſuetudinem. Epiſcopos enim inveſtire, ſoli-
9 us Imperatoriæ majeſtatis eſt. Quidam ergo fidelium ducis, Henricus de Witha, vir potens & militaris, & amicus Epiſcopi, dixit ad eum, Facite quod vobis

vobis utile est, & appropinquate Domino nostro,& facite voluntatem ejus,ut
ædificentur Ecclesiæ in Slavia, & dirigatur cultus domus Dei in manibus ve-
stris. Alioquin frustrabitur labor vester, eo quòd nec Cæsar, nec Archiepi-
scopus possit juvare causam vestram, domino meo obnitente: Deus enim de-
dit ei universam terram hanc. Quid autem grande requirit à vobis Dominus
meus, quod vobis aut illicitum sit, aut verecundum? Quin potius res facilis
est & conducens fructum magnum, ut Dominus meus accipiat virgulam, &
det in manum vestram, pro signo investituræ, sitísque de cætero familiaris
Ducis, habentes honorem inter gentes, ad quas ingrediemini convertendas.
Rogavit ergo Episcopus præberi sibi inducias, ut deliberaret super verbo 10
hoc. Dimissúsque pacificè, venit Bardewich, ubi mortali tactus ægritudine,
per dies aliquot moratus est. Illic enim incidit paralysin, in qua usque ad ex-
tremum vitæ suæ laborare visus est. Sedata verò aliquantulum ægritudi-
ne perductus est Falderam in vehiculo, multúmque temporis effluxit, quo
eum infirmitas ecclesiastico labori subtraxerat. Ætatis enim mole gravior
morbus accesserat Ubi autem ei vires Deus præstitit, abiit Bremam, consul- 11
turus Archiepiscopum & Clerum super verbo hoc, quod imposuerat ei Dux.
Qui omnes una eadémque sententia refragari cœperunt, dicentes: Scimus
quidem ô venerabilis Pontifex, sanctitati vestræ optimè cognitum esse, quid
vobis super verbo hoc expediat. Sed quia venistis participari consilio nostri,
breviter respondemus quod sentimus. Primum ergo in hoc negocio pensari
decet, qualiter investituræ Pontificum Imperatoriæ tantùm dignitati per-
missæ sunt, quæ sola excellens, & post Deum in filiis hominum præeminens,
hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisivit. Neque Imperatores
dignissimi levitate usi sunt, ut Episcoporum Domini vocarentur, sed com-
pensaverunt noxam hanc amplissimis regni divitiis, quibus ecclesia copiosius
aucta, decentius honestata, jam non vile reputet se ad modicum cessisse sub-
jectioni, nec erubescat uni inclinari, per quem possit in multos dominari. Ubi
enim Dux vel Marchio, ubi in regno principatus, quantumlibet magnus, qui
Pontificib. manus non offerat; recusatus, opportunè importunè, se nõ ingerat?
Certatim currunt, ut homines fiant Ecclesiæ, & participes fiant beneficiorum
ejus. Vos igitur honorem hũc pessundabitis, & infringetis jura magnis autori-
tatib. edita? Dabitis ne huic Duci manus vestras, ut hoc exemplo incipiant esse
principum servi, qui fuerant Principum Domini? Non decet ætatem vestram,
honestatis decore maturam, ut per vos incipiant abusiones fieri in domo Do-
mini. Longè fiat à vobis verbum istud. Quod si furor principis erga vos effre-
natius egerit, nonne satius est ferre jacturam bonorum quàm honoris? Aufe-

rant si velint decimas, occludant vobis introitum, si placet, Parochiæ vestræ, tolerabilis erit ista molestia. Habetis certè Falderensem domum, in qua tuta interim statione consistere possitis, & præstolari cum silentio salutare Dei. His & hujusmodi verbis averterunt eum, ne voluntatem Ducis adimpleret.
12 Parturivit sanè persuasio hæc novellæ plantationi multiplex impedimentum. Quoties enim Pontifex noster Ducem adiit interpellaturus pro negotiis Ecclesiæ, ille se paratum esse ostendit ad omnia, quæ poposcisset utilitas, si primum illi debitus honor exhibitus fuisset. alioquin frustra contra impetum fluminis iri. Pontifex autem humilis, facilè inclinatus fuisset, ut propter lucrum Ecclesiæ, Duci secularis honoris cupido, morem gessisset, si Archiepiscopus & cæteri Bremensium non obstitissent. Nam & ipsi vanigl orii, atque divitiis adultæ Ecclesiæ saturi, honori suo hoc in facto derogari putabant, nec magnopere fructum sed numerum suffraganearum sedium curabant. Quod vel in hoc maximè patuit, quia in possessionibus Falderensis Ecclesiæ Archiepiscopus multas Episcopo nostro fecit injurias, demens & convellens aliqua, nec tutum permanere sinens in statione, quam ipse ei deputaverat. Videres ergo virum antea magni nominis, possessorem libertatis, & compotem suimet, post acceptum Episcopale nomen, quasi innodatum vinculis quibusdam & supplicem omnium. Homo enim pacis suæ in quo speravit, avertit eum à via consilii & pacis, ne scilicet applicaretur his, per quos Ecclesiæ fructificatio
13 pullulare posset. Fecit ergo, quod status ille temporis permisit, visitavit Ecclesias parochiæ suæ, ministrans plebibus monita salutis, præbens eis pro jure officii sui spiritualia, cùm ipse tamen non meteret eorum temporalia. Siquidem Comes decimarum jura tollebat. Dedicatum est ergo eo tempore oratorium Cuzelinæ, quæ alio nomine Hogerestorp dicitur. Sed & Ecclesia
14 Bernhovede(c) tunc dedicata est. Venitque ad novam civitatem, quæ Lubeke
15 dicitur, confortare manentes illic, & dedicavit ibi altare Domino Deo. Inde progrediens visitavit Aldenburg, ubi sedes quondam Episcopalis fuerat, & receptus est à barbaris habitatoribus terræ illius, quorum Deus erat Prove. Porrò nomen Flaminis, qui præerat superstitioni eorum, erat Mike. Sed & princeps terræ vocabatur Rochel, qui fuerat de semine Cruconis, idolola-
16 tra & pirata maximus. Cœpit ergo Pontifex Dei, proponere Barbaris viam veritatis, quæ Christus est, adhortans eos, ut relictis idolis suis festinarent ad lavacrum regenerationis. Pauci autem Slavorum applicuerunt se fidei, eo quòd languor fortissimus esset, & nec dum inclinata essent corda principum, ad edomanda corda rebellium. Dedit autem Episcopus pecuniam cæsoribus lignorum, ad impensas sanctuarii, & cœptum est opus fabricæ prope vallum

lum urbis antiquæ, quo omnis terra die Dominica propter mercatum convenire solebat.

sedes. a) Albertus Archiepiscopus ante annos XC. videlicet anno 1058. ex Aldenburgensi Episcopatu tres fecerat. *Suprà c.22.n.1.*

mansisset. b) i. e. fuisset, substitisset, vel vixisset. Loci autem hujus istum sensum esse, videri potest, Vicelinum jam triginta annos in Holsatia vixisse & docuisse, cùm ad Episcopatum eveheretur. Exscripsit illa & suo more retinuit *Albert. Stad. ad ann. 1149.* Idem fecit *Auctor Historiæ Archiepisc. Bremens. anno 1149.* & *Krantz. Wandal. l. IV. c. 9.* Inde etiam *Joh. Peterßen Chron. Hols. ann. 1149.* & *Christ. Solinus Chr. Hols. p. 119.* verba Helmoldi non rectè accipientes statuunt, Vicelinum jam XXX. annos antè in Holsatia docuisse, quàm Episcopatum consequeretur. At si historiam Vicelini paulò accuratiùs excutiamus, reperiemus, hos triginta annos non ad solum istud tempus, quod ante adeptum Episcopatum docuit, sed ad omnem ipsius vitam, quam his in locis à primo adventu usq; ad mortem suam exegit, referendos esse. Primò enim constat, Vicelinum anno 1125. Lubecam primùm pervenisse, uti ostendimus supra ad *Cap. 41.* Ad Episcopatum autem anno 1149. evectus est, ut scribit *Albertus Stadensis* & cæteri. Atqui hinc anni quinq; & viginti, non triginta conficiuntur. Accedit autoritas *Antiqui Carminis* quod de Vicelino factum, XXV. annos disertè exprimentis, his metris:

Sed post hæc annis viginti quinq; peractis,
Per quos ingenuus vir & illustris Vicelinus
Multos sudores tulerat variosq; labores,
Et Christi cultum plantârat sanguine fratrum,
Hammaburg Hartvvikus præsedit nobilis ortus,
Qui divestitam dum sedem Metropolitam
Cerneret, ac gentes sibi subtractas boreales,
Danos cum Suedis, Nordmannos cum Scridevindis
Hammaburgensem reparari nisus honorem,
Est perscrutatus hoc munere quis foret aptus;
Strennus in rebus tunc inventus Vicelinus
Est sublimatus in honorem pontificatus.

Si autem anni illi quinq;, quos Vicelinus in gerendo Episcopatu exegit, (nam annos V. & hebdomades IX. teste ipso Helmoldo eum tenuit) addantur, demum inde XXX. anni exsurgent. Decessit enim anno CH. 1154. Hoc iterum firmat Carmen superius his rhythmicis versiculis:

In medio mensis qui dicitur esse Decembris;
Idibus ejusdem præsul defungitur idem,
Anno milleno centeno ter duodeno
Addas his annos bis dinumerando novenos, &c.
Annus erat quintus ipsius pontificatus,
Qui præsul dictus est Antiquipolitanus,
Ecclesiæ primus pastor nostræ Vicelinus,
Cujus & adventus fuit hic tricesimus annus.

Juvat autem hîc sub initium Episcopatus Vicelini, religionis Christianæ in Wagria initia & progressus, mutationesq; Episcopatus insigniores ὡς ἐν τύπῳ repræsentare. Quanquam Ludovicus Pius, cùm Episcopatum Hamburgensem instituerat, etiam Wagrios eidem subjiciebat, tamen in prædicando inter ipsos Evangelio tunc nihil effectum est, *Suprà cap. 6. n. 1. 2.* Sprevere ergo Wagrii prorsus religionis Christianæ sacra usq; ad tempora Ottonis M. Hic circa annum 948. (al. 952.) Episcopatum Aldenburgensem fundans initia Christianismo inter Wagrios dedit. Tunc enim illi religione Christiana receptâ, per terram suam templa atq; cœnobia exædificaverunt, *Cap. 9. n. 8. c. 11. n. 4. & c. 12.* toto. Ab illo tempore quatuor præfuere Episcopi:

I. Marco,
II. Edvvardus,
III. VVago,
IV. Ezico.

Anno 1013. Ezicone ecclesiam Aldenburgensem regente, Mistiuojo duce omnes Slavi, in quibus & Wagrii, fidem Christianam abjecere, postquam annos LXX. illam coluissent. Tunc & in Wagria templa omnia diruta sunt, *Cap. 16. n. 8. 9. 10.*

Post Eziconem Episcopatum tenuere

V. Volkvvardus,
VI. Reginbertus,
VII. Benno.

Quorum quam misera fuerit conditio, inde satis liquet, quòd Volckvvardus quidem à Slavis pulsus in Norvvegiam concesserit, *Cap. 17. n. 1.* Benno verò, cùm Slavi etiam vitæ subsidia illi denegarent, Hildesheimum ad Berenvvardum commigrarit, *Cap. 18. n. 8.*

Cùm Godschalcus anno 1032. cædem paternam ulturus, in Nordalbingia templa everteret, in Wagria nulla diruisse legitur. Ex quo statuere licet, nulla iterum post stragem à Mistiuojo illatam ad id usq; temporis ædificata fuisse.

Circa annum 1058. quando Godschalcus è Dania reversus Slaviam recuperabat, etiam ædes sacræ iterum per VVagriam & reliquam Slaviam excitabantur, *Cap. 20.* toto. Illo tempore etiam Episcopatus Aldenburgensis ab Adelberto Archiepiscopo in tres divisus est, Ezone ibi constituto Episcopo. A tempore Godschalci ergo hi tres fuere:

IIX. Meinherus,
IX. Abelinus,
X. Ezo.

Anno 1066. Slavi Godschalcum, Principem suum, & alios Christianæ religionis propugnatores interficiunt, Hamburgum exscindunt, omnesq; ad paganismum relapsi Episcopatum Aldenburgensem tollunt, & ædes sacras omnes alterâ vice dejiciunt, *Cap. 22. 23. 24.* Ab hoc tempore Episcopatus Aldenburgensis annos LXXXIV. Episcopo caruit, VVagriam autem post Godschalcum Crito tenuit.

Circa annum 1106. quo Henricus, Godschalci filius, è Dania revertebatur, & Slavos omnes imperio suo subjiciebat, nondum templa ulla reædificata erant. Nam in sola veteri Lubeca templum supererat, *Cap. 34. n. 8,* Quod unicum etiam adhuc

anno

anno 1125. in Slavia reliquum erat, cùm Vicelinus in Wagria docere inciperet, *Cap.41. n.6.*
Kanutus Rex circa annum 1130. Lubecæ templum dedicandum curat. Id de hoc ipso templo interpretor, *Cap.49. n. 10.*
Post mortem Kanuti Pribislaus & Niclotus, Reguli, VVagrios & Obotritos ad paganismum reducunt, *Cap.52.n.1.* Vicelinus tamen, vir religionis in VVagria propagandæ studio flagrantissimus, & jam Presbyteri dignitate insignis, tunc Lubecæ & Sigebergi docebat, *Cap.53. n.5.*
Circa annum 1139. VVagrii nondum omnes ad ecclesiam Christi redierant. Nam Holsatiam infestabant, & collegium Falderense turbabant, *Cap.56. n.1.* Nec verò quiescere priùs poterant, quàm ab Adolpho, Holsatiæ Comite pellerentur, novis incolis in eorum loca reductis, à quibus VVagria iterum ædibus sacris ornata est, *Cap.56. & 57.*
Tunc verò anno 1148. Hartvvicus Archiepiscopus instaurat Episcopatum Aldenburgensem, & Vicelinum, qui jam annos XXV. in Holsatia & VVagria docuerat, Episcopum facit, *Cap.69.*

XI. Vicelinus.

Intersunt inter divisionem Alberti, & restaurationem Hartvvici anni XC. Vicelino anno 1154. successit

XII. Geroldus,

sub quo anno 1163. Episcopatus Lubecam translatus est, infra *Cap. 89.*

Bornhovede. c) Bornhövet (alio nomine Schwentifeld. Noster infra *Cap.91. n.4.*) sita est ad fontes lacus, qui hodie incolis Schmalensee dicitur. Hîc nobile illud prælium gestum, in quo Lubecenses VValdemarum II. Regem ann. 1227. superarunt.

CAPUT LXX. (LXXI.)

1. *Vicelinus Ducem, in Bavariam moturum, adit, atq; ab ipso Investituram recipit.*
2. *Dux illi villam Bosau: Comes mediam partem decimarum concedit.*
3. *Dux Adolpho Slavos, Nordalbingos & aulam suam committit.*
4. *In aula Ducis omnia consilio Adolphi geruntur.*
5. *Kanutus, Magni filius, bis cum Suenone infeliciter confligit.*

IN diebus illis congregavit Dux exercitũ, ut abiret in Bavariam, & requireret ducatũ, quem vitricus suus, Henric9, frater Conradi Regis, occupaverat. 1
Venit ergo ad eũ Dominus noster Episcopus Vicelinus, Lunenburgi, rogans, ut semper solebat, pro Episcopatus sui promotione. Cui Dux, faciam, inquit, quod hortamini, si ad nos respectum habere volueritis. Ad quem Episcopus, paratus sum, ait, propter eum, qui se humiliavit propter nos, meipsum in proprietatem dare alicui de clientibus vestris, nedũ vobis, cui Dominus ampliorem inter principes contulit magnificentiam, tam generis quàm potentiæ. Et his dictis fecit quod necessitas imperabat, & suscepit episcopatum per virgã, de manu Ducis. Animæquior autẽ factus Dux, ait: Quia videmus vos obedi- 2

 entes

entes esse voluntati nostræ, oportet & nos sanctitati vestræ condignam gerere reverentiam, & petitioni de cætero proniores adesse. Sed quia nunc in procinctu sumus itineris, & ordinatio vestræ causæ prolixius tempus requirit, damus interim vobis villam Buzoe, quam petistis, cum sua pertinentia Dulzaniza, ut ædificetis vobis domum in medio terræ nostræ & præstolari possitis reditum nostrum. Tunc enim propicio Deo disponendis rebus vestris propensius instabimus. Rogavitq; Comitem Adolfum, ut huic donationi præberet assensum. Cui respondit Comes: Ex quo Dominus meus flexus est ad pietatem, decet nos voluntati ejus occurrere, & pro posse nostro ei suffragari. possessionem ergo quam dominus Dux permisit Episcopo, & ego permitto. Insuper cedo de medietate decimarum, ut cedant in usus episcopi, non ex debito sed ex gratia vestri, eo quòd res Episcopales necdum
3 ordinatæ sint. Commisit ergo Dux custodiam terræ Slavorum atq; Nordalbingorum Comiti nostro, compositisq; rebus in Saxonia, profectus est cum
4 militia, ut reciperet ducatum Bavariæ. Porrò ductrix, Domina Clementia, remansit Lunenburg, fuitq; Comes clarissimus in domo ducis, & officiosus in obsequio Ductricis, paterq; consilii. Quamobtem venerabantur eum principes Slavorum, maximè verò reges Danorum, qui laborantes intestino bel-
5 lo, certabant eum prævenire muneribus. Kanutus n. qui profugus exulabat apud Archiepiscopum conflato de Saxonia conductitio exercitu, reversus est in Daniam. Et additi sunt ei omnes penè qui habitabant Iuthlandiæ. Hoc audito, Suein contraxit maritimas copias, transmissoq; mari venit ad civitatem Wiberge, & commiserunt reges prælium, & fusæ sunt copiæ Saxonum & ad internecionem deletæ. Kanutus fuga elapsus, venit in Saxoniam. Post modicum tempus, rursum venit in Daniam, & receptus est à Fresonibus, qui habitabant Iuthlandiæ, venitq; Suein & pugnavit cum eo, debellatumq; ad Saxones fugere compulit. Cui crebrò per fines Holzatorum itineranti, Comes noster beneficus extitit, præbens conductum, & cætera humanitatis officia. Regnavitque Suein in Dania cum maxima tyrannide, maximis semper victoriis fortunatus. Slavorum furiis minus obstitit, præliis irretitus domesticis. Fertur tamen eos in Selande strage maxima tempore quodam percussisse.

CAPUT LXXI. (LXXII.)

1. Niclotus à Leonis conjuge auxilia petit.
2. Adolphus ipsum in coercendis rebellibus juvat.
3. Hinc firmior inter utrumq; amicitia, & Lubecæ incrementa.

4. Vice-

4. Vicelinus insulam Bosau sub quercu incolit.
5. Templum ibi condit.
6. Supellectilem domesticam è cœnobio Falderensi capit.

IN diebus autem, quibus Dux aberat, venit Niclotus, Princeps terræ Obotritorum, ad Dominam Clementiam Ductricem, Lunenburg, & conquestus 1
est in facie ejus & amicorum Ducis, quia Kycini & Circipani paulatim rebellare cœperint, & obniti tributis juxta morem persolvendis. Et destinatus est 2
Comes Adolfus, & populus Holzatorum & Sturmariorum, ut adjuvarent Niclotum, & coercerent rebellionem contumacium. Abiitque Comes cum duobus millibus & amplius electorum. Niclotus quoque contraxit exercitum de Obotritis, & abierunt pariter in terram Kycinorum & Cyrcipanorum, & pervagati sunt terram hostilem, omnia vastantes igne & gladio. Fanum quoque celeberrimum cum idolis & omni superstitione demoliti sunt. Videntes autem indigenæ, quia non essent eis vires resistendi, redemerunt se immensa pecunia, defectúmque vectigalium integraverunt cum cumulo. Tunc 3
Niclotus delectatus victoria, gratias Comiti retulit amplissimas, revertentemq; prosecutus est ad extremitatem finium suorum, cautissimam exercitui adhibens diligentiam. Ab eo die firmatæ sunt amicitiæ inter Comitem & Niclotum, habuerúntque frequentius colloquium Lübeke sive Travennemundæ, pro commodis utriusq; terræ. Fuitq; pax in terra Wagirorum, accepitq; per gratiam Dei novella plantatio sensim incrementum. Forum quoq; Lubicense crescebat in singulos dies, & augebantur naves institorum ejus. Domi- 4
núsq; Vicelinus Episcopus incolere cœpit insulam quæ dicitur Bozoe, & habitavit sub fago, quousq; extruerent casas, in quibus consistere possent. Cœ- 5
pit autem ibi Ecclesiam ædificare in nomine Domini & in commemorationem beati Petri, Apostolorum principis. Porrò utensilia domus, & quæ suffi- 6
cerent curandis aratris, providit Episcopus de Cuzelina & de Faldera. Initia verò Episcopatus erant in magna teneritudine, eo quòd Comes aliàs optimus, Episcopo soli fuerit mediocriter bonus.

CAPUT LXXII. (LXXIII.)

1. Dux frustrà in recuperanda Bavaria nititur, quòd Henricus, Marchio Austriæ, vitricus ejus, à Cæsare juvaretur.
2. Imperator educit exercitum Brunsvicum versus.
3. Dux intellecto Cæsaris consilio Brunsvicum venit.
4. Imperatoris conatus irritos reddit.
5. Conradus Imperator moritur: Fridericus Barb. succedit. 1152.

1 CUm hęc ergo in provincia Slavorum gererentur, Dux noster morabatur
in Suevia, intentans vitrico suo bellū, sed non valens. Ille enim adiuvaba-
tur à rege fratre, injustum esse perhibente, quenquam Principum duos habere
2 ducatus. Audiens ergo Adalbertus Marchio, & alii quàm plures Principum,
ducem nostrum minimè prosperari, & veluti inter hostes conclusum, mise-
runt ad regem, ut quantocyus cum exercitu veniret in Saxoniam, obsessurus
Brunsuich, & oppressurus amicos ejus. Posuit ergo Rex custodiam per o-
mnem Sueviam, ne fortè Dux elaberetur, ipse verò abiit Goslariam acceptu-
3 rus Brunswich, & omnia castra Ducis. Instabat autem sacra nativitas Domi-
ni. Intelligens ergo Dux consilium regis in malum, & intercisum sibi digres-
sum Sueviæ, fecit denunciari omnibus amicis suis, tam liberis quam ministe-
rialibus, ut convenirent ad urbem quandam acturi cum eo diem solennem.
Fecítque verba hæc diffamari & personari in auribus vulgi. Assumptisque
tribus fidissimis viris, vespere quodam mutavit vestem, & elapsus de castro,
nocturnum aggressus est iter, & transiens medias hostium insidias, quinto de-
mum die apparuit Brunswich, & amici ejus antea mœrore affecti, insperatam
4 resumpsere fiduciam. Castra verò Regis approximabant Brunswig, con-
stituta in loco qui dicitur Heninge. Venit ergo nuncius qui diceret Regi,
comparuisse Ducem in Brunswig. Quo certius recognito, dissimulabat pro-
gredi, reversúsq; est Goslariam, & annullata sunt ea, quæ fuerant Regis mo-
limine suscepta. Et defendit se Dux de circumuentione principum, qui insi-
diabantur animæ ejus, & obtinuit Ducatum Saxoniæ, succrescens & invale-
scens per singulos dies. Porrò Ducatum Bavariæ requirere non poterat o-
5 mni tempore, quo Conradus Rex supervixit. Quo non longè postea defun-
cto, successit in regnum Fridericus, fratuelis ejus. Conradus enim Rex plu-
res habuit fratres, quorum primi erant Henricus Dux Bavariæ, & Fridericus
Dux Sueviæ, cujus filius aquivocus positus est in regnum. Anno (a) ergo in-
carnati verbi, millesimo centesimo quinquagesimo primo regnavit Frideri-
cus hujus nominis primus Rex, & elevatum est solium ejus super solium Re-
gum, qui fuerant ante eum diebus multis. Invaluitq; sapientia & fortitudi-
ne super omnes inhabitantes terram. Mater ejus, fuit amita Ducis nostri.

Anno. a) Conradus Imperator anno 1152. XV. Kal. Martii obiit: Fridericus statim III. Non. Mart. eodem anno unanimi Principum suffragio electus est, juxta *Ottonem Frising. l. I. c. 63. l. II. c. 1.* Hunc αὐτόπτην testem rerum à Friderico gestatum in hoc narratione sequitur *Otto de S. Blasio, append. ad Otton. Frising. c. 4.* & *Abbas Ursperg. in Friderico.* Ad annum 1151. cum Auctore nostro refert *Auctor Chronici Stederburgensis MS.* qui circa ann. 1180. scripsit. Longiùs à vero anno discedit *Guntherus in Ligurino*, annū 1154. inculcans, his versibus:

Vel magis, ut Christi, qui tempora condidit ortu,
Tempora distinguas, millenis adjice centum,
Mox quinquagenis, subnectis quattuor annis.

CAPUT

CAPUT LXXIII. (LXXIV.)

1. *Henricus L. & Albertus Marchio de bonis occisi Hermanni, Comitis Winceburgici concertant.* 1152.
2. *Ad hos, & Reges Daniæ inter se conciliandos Imperator Merseburgi Comitia agit.* - - 1152.
3. *Vicelinus interest Comitiis.*
4. *Sueno Rex confirmatur: Principes simultates continuant.*
5. *Archiepiscopus Vicelino suadet, ut à Cæsare investituram accipiat.*
6. *Vicelinus domum reversus Dithmarum vitâ functum reperit.*
7. *Dithmari studia: mores: beneficentia in afflictos: mors.*

CIrca tempus dierum illorũ occisus estHermannus Comes in castro Wint- 1
zeburg, vir potens & magnarum pecuniarum, & ortæ sunt contentiones
inter Ducem nostrum & Marchionẽ Adalbertum propter castra & facultates
ejus. Propter(a)hos compacãdos denunciavit Rex curiam apud Marcipolim, 2
civitatem Saxoniæ, mandavitq; Principibus soleñiter adesse. Missaq; legatione, Reges Danorum tumultuantes evocavit, ut decerneret inter eos, mediante justitia. Tunc Kanutus, quem tertiò Dania pulsum suprà dictum est, venit ad Ducem nostrum, rogans ut ejus conductu & auxilio in curia potiri
mereretur. Porrò Archiepiscopus conduxit Suein Regem, habens inter mul- 3
tos religiosos & honestos viros Dominum Vicelinum Episcopum in comitatu
suo. Et habita est curia illa celebris apud Marcipolim, ubi Principes Dano- 4
rũ confœderati sũt, Suein(b)coronato in regẽ, cæteris eidẽ hominio subactis.
Dissensio autem quæ erat inter Ducem & Marchionem sedari non poterat,
eo quòd principes elati, regis adhuc recentis monita parvi penderent. Per- 5
suasit ergo Archiepiscopus Vicelino Episcopo, ut investituram de manu
regis perciperet, non fructum Ecclesiæ, sed odium Ducis intentans. At ille
non consensit, ratus iram Ducis implacabiliter accendi. In hac enim terra sola Ducis authoritas attenditur. Soluta est Curia. Vicelinus Episcopus rever- 6
sus est in Parochiam suam, invenitque sanctissimum virum Thethmarum presenti vitæ subtractum. Quod nimirum Episcopo maximam intulit mœsticiam. Ille enim dulcissimus vir omnium semper devotione complectendus, neminem suo tempore visus est habuisse comparẽ. Ut enim de vita ejus quiddam 7
breviter summatimque perstringam, ante cõceptum matri sanctæ revelatus, ab ipsis cunabulis mancipatus est altaris ministerio, commendatúsque bono magistro discipulus optimus perseveravit in disciplina usque ad viriles años, discipulus in Brema, socius in Francia, sustinuit jugũ Magistri cum patientia, juxta illud Ieremiæ: Bonũ est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua. Post reditum à Francia, abeunte Domino Vicelino in Slaviam, veluti sublato

pædagogo,

pædagogo, relictus est sibimet. Qualis ergo apud Bremam in regendis scholis, qualis in Decania fuerit, dixerint Bremenses. Hoc commemorasse sat est, Quia post digressum ejus, lumen Ecclesiæ illius sublatum Brema clamabat. Translatus ergo in Falderam, desiderio melioris vitæ, magnum gaudium attulit sua præsentia Domino Vicelino. Sed & omnibus, quos angulus ille horroris & vastæ solitudinis continebat, nova quædam facies orta est de adventu tanti hospitis. Post aliquot annos dilatante Deo fines Ecclesiæ, missus est Cuzelinam, quæ & Hogerestorp, & incolis novæ habitationis magno solatio fuit. Captivis enim & despoliatis, tanta pietate concurrebat, ut dandi magnitudo vires domus illius adhuc teneræ excedere videretur. Inter orandum enim sive legendum, aures ejus semper vigilabant ad ostium suspensæ, quando veniret egenus pulsans & petens. Reverebatur eum Comes Adolfus, eo quòd redargueret culpas ejus, nec parceret delinquenti. Duriciam enim cordis ejus, quam exhibuit Episcopo, venerabilis ille sacerdos adhibitis emplastris emollire satagit, sed omne medicamentum altior morbus evicit. Audito tamen eo multa faciebat, sciens eum virum justum & sanctum. Expletis ergo postquam in hac terra mansit annis decem, infirmitate correptus est, absente scilicet Episcopo, & apud Marcipolim posito. Cùm autem fratres lecto ægrotantis appliciti, spem recuperandæ salutis instaurarent, ille cum magna recusatione ajebat: Nolite fratres dilecti præsentis vitæ dilationem mihi repromittere: nolite spiritum meum de peregrinationis fatigio ad patriam tendentem hujuscemodi verbis affligere. Ecce decem anni sunt, ex quo vitam meam sub professionis hujus titulo protrahi rogavi, & exauditus sum, nunc tandem laborum requies oranda est. Et confido de solita pietate Dei, quia nec hac petitione frustrabor. Augebantur ergo torsiones vitalium, nec tamen in defectu corporis vigor interioris hominis emarcuit. Completum est in eo illud Salomonis: Fortis est ut mors dilectio, flumina & venti non potuerunt extinguere eam. In moriente vivebat caritas, quæ in exhausto corpore integrabat affectum, præbentem fratribus solatium de mœrore, consilium in rebus ambiguis, morum ædificationem, imprimentem cordibus amicorum novissima quædam valedictionis vestigia, nunquam abolenda. Sed nec immemor dilectissimi patris sui Vicelini, orabat perintimè vias ejus à Deo dirigi, per hunc sibi viam salutis, & spem regni patefactam multoties congratulans. Venerunt ergo ad ægrotum fraterna solicitudine, Prior Falderensis Ecclesiæ Eppo, & Bruno sacerdos, & post visitationem exhibuerunt ei sacræ unctionis officium. Quo venerabiliter percepto, participatione nihilominus vivifici corporis Domini communitus, perseverabat in

gra-

gratiarum actione. Nocte verò qua vigilia Pentecostes obuenerat, hoc est, 16. Cal. Iunii, pervigil in oratione, precibus invitavit angelos, suffragia sanctorum interpellavit omnium, jámque recedente anima, movebatur adhuc lingua in oratione & confessione laudis. O dignissimum sacerdotem, ô gratissimam Deo animam. Fœlicem dixerim in cursu, sed fœliciorem in perventione, qui brevissimi laboris compendio apud Deum gloriam meruit sempiternam, apud homines sanctæ recordationis affectum.

Propter. a) *Albert. Stad.* & *Herm. de Lerb. ad ann. 1152. Johan. Isac. Pontan. IV. in Suenone* ad 1153. referunt. Marcipolis autem est Merseborg.

Suein. b) *Guntherus in Ligurino* pro Suenone habet Petrum; pro Kanuto Guidonem. *l. I. p. 293.*

investit. c) Erat enim moris, ut ab imperatore regalibus investirentur Episcopi, ut scribit *Conradus Episcopus Chron. Mogunt. p. 453.* & Noster *supra c. 69. n.*

CAPUT LXXIV. (LXXV.)

1. Luthbertus Monachus excessum Dithmari prædixerat.

2. Dithmarus sepelitur.

3. προσφώνησις ad Lubecenses.

Cujus venerabilis sacerdotis transitũ longè antè prædicere solebat Luthbertus frater, qui militiam hujus seculi servitute Dei commutans, cum famulo Dei Thethmaro, pauperum, qui erant in hospitali, curam gessit. Hic tempore quodam visitans Falderam, vultum prætendit plus solito subtristem, atque lachrymis suffusum. Interrogatus causas mœsticiæ, respondit meritò se tristari, qui patris amantissimi præsentia destituendus esset in brevi. Fatetur nihilominus de his non somniantem, sed vigilantem divinitus se instructũ. Nec lõgè pòst prophetãtis verbũ, velox sacerdotis obitus subsecutus est. Fratres quoque quos intimus viri affectus flere coegit, revertentes ad cor, hauserunt spem, & resumpserunt spiritum consolationis, memores oraculi. Ubi 2
ergo in Faldera nunciatum est de obitu ejus, statim miserunt nuncios ad trãsferendum corpus, eo quod ipse discedens hoc intentius oravisset. Quod tamen venerabilibus fratribus Theodorico Ludolfo, Luthberto, & cæteris, qui illic degebant, nullatenus persuaderi potuit, dicẽtes, omnes se malle mori; quàm tanto pignore privari, quod Wagirensi Ecclesiæ noviter cœptæ futurum esset & honori & solatio. Confluentibus ergo de Sigeberge & de vicinis oppidis fidelium populis, corpus sanctum terræ commendatum est, cum multa pauperum lamentatione, de sua destitutione conquirentium. Magnificetur ergo Deus in sanctis suis, qui virum hunc perfecit sibi dignum sacerdotem, consummatum vocatione fœlici. Vobis quoque ô patres Lubicanæ rei- 3
pu-

reipub. salus abundantior erit à Domino, si virum talem dignè excolueritis, statuentes eum in fronte eorum, qui diruta Ecclesiæ nostræ in nova culmina surgere fecerunt.

CAPUT LXXV. (LXXVI.)

1. Propter certamina Ducis & Archiepiscopi Vicelinus Merseburgi nihil obtinuerat.

2. Vicelinus in villam suam Bosau remeat, ubi domum & templum condere coeperat.

3. Inde Falderam reversus in paralysin incidit.

4. Hinc diversa de eo judicia.

5. Eppo, Prior Falderensis, & Ludolphus, Præpositus Cüslinensis, Vicelino ægrotante, curant ecclesias.

1 POst decessum præclari sacerdotis Thethmari, Vicelinus Episcopus reversus est de curia Marcipolitana frustrato labore propter sterilitatem principum. Dominus enim Archiepiscopus, & Dux, in quibus summa rerum in hac terra consistebat, præpedientibus simul odio & invidia, nullos Deo placitos fructus facere poterant. Certabat uterque cujus esset terra, vel cujus esset potestas statuendi episcopos caverántq; diligentissimè, ne quilibet eorum cederet alteri. Sed nec Comes Adolfus, licet in multis probatus, rebus Episcopalibus animum plenè accomodaverat. Accesserat his malis Episcopo nostro amplior tristicia de obitu Domini Thethmari, quo adhuc superstite tolerabilius videbatur omne quod urgebat. Afficiebatur ergo tædio spiritus in
2 singulos dies, quæsivit consolantem se, & non invenit. Transactis autem, postquam de curia venerat, paucis diebus, venit Buzo, ubi domum & Ecclesiam ædificare cœperat, & plebibus illic aggregatis præbuit verbum salutis. Iam enim circumiacentia oppida incolebantur paulatim à Christicolis, sed cum grandi pavore, propter insidias latronum. Castrum enim Plunense necdum reædificatum fuerat. Consummans ergo Pontifex sacra mysteria, & offerens novissimum Deo sacrificium, pronus adoravit in terra coram altari Domini, rogans fortissimum Dominum, ut cultus ipsius propagaretur tam in
3 eo loco, quàm in universa latitudine Slaviæ. Multotiens autem hominibus transmigrationis inter exhortatoria verba præsagiebat, cultum domus Dei sublimem in brevi futurum in Slavia, & ne deficerent animis, habentes duram patientiam ob spem meliorum. Valedicens ergo sacerdoti venerabili Brunoni, & cæteris, quos eidem loco præfecerat, & confortans manus eorum in Domino: reversus est Falderam, ubi infra septem dies correptus est virga Dei, & adeo paralysi dissolutus est, ut manus ejus & pes, totum denique latus dextrũ exaruerint, quódque omnibus miserabilius fuit, privatus est officio linguæ.

Con-

Conturbati ſunt hoc ſpectaculo omnes, qui viderant, virum ſcilicet incomparabilis facundiæ, Doctorem magnum, exuberantem verbo ſacræ exhortationis, & veritatis defenſione, ſubito lingua membriſque deſtitutum, & per omnia factum inutilem. Quàm diſſonæ ergo fuerint populorum ſententiæ, 4
quàm temeraria multorum nomine tenus judicia religioſorum, piget reminiſci, nedum verbis proſequi. Dicebant, quia Dominus dereliquit eum, nec intendebant ſcripturæ dicenti: Beatus qui corripitur à Domino. Dolebant autem irremedicabili dolore omnes, qui erant in Faldera & Cuzelina, maximè verò ii, qui in has terras primi cum eo venerant, & conſenuerant cum eo, ſub pondere diei & æſtus. Adhibebatur autem ægroto Medicorum opera, ineffícax tamen, providente ſcilicet divinitate meliora de eo, & viciniora ſaluti. Diſſolui enim & eſſe cum Chriſto multo eſt melius. Duobus ergo annis & dimidio verſatus eſt in lecto ægritudinis, nec ſedere nec jacere contentus. Curabatur autem propenſius fratrum diligentia, præbentium ei neceſſaria corporis, & ad Eccleſiam eum deferentium. Nunquam enim miſſarum ſolenniis, vel communioni ſacræ abeſſe voluit, niſi fortè infirmitas gravior obſtitiſſet. Tantis Dominum gemitibus, & interno cordis clamore compellabat, ut aſpicientes vix à fletu temperaverint. Gubernabat eo tempore domum Prior ejus- 5
dem loci, venerabilis Eppo, vir magni in Chriſto meriti. Porrò Cuzelinam & Eccleſias, quæ in Wagira erant, regebat Dominus Ludolfus, ille, inquam, qui olim in Lubeke multos propter Evangelium Chriſti labores pertulerat. Huic præpoſituram Cuzelinæ, dum adhuc ſanus eſſet, Epiſcopus commendaverat.

CAPUT LXXVI. (LXXVII.)

1. Dux à Comite mediam Lubecam ſibi permitti petit. - - 1151.
2. Denegante Comite Dux mercatum Lubecæ inhibet.
3. Venas ſalinarum Oldesloæ corrumpit.

UNa ergo dierum allocutus eſt Dux Comitem Adolfum dicens: Perlatum 1
eſt ad nos jampridem, quòd civitas noſtra Bardewich magnâ diminutionem civium patiatur propter Lubecenſe(a) forũ, eo quòd mercatores omnes eò commigrent. Idem conqueruntur ii, qui ſunt Luneburg, quòd Sulcia(b) noſtra devorata ſit propter Sulciã quã cœpiſtis habere Thodeſlo. Rogamus ergo, ut detis nobis medietatem civitatis veſtræ Lubike, & Sulciæ, poſſimusq́ tolerabilius ferre deſolationem civitatis noſtræ. Alioquin præcipiemus, ne fiant mercationes de cætero in Lubike. Non enim ferendum eſt nobis, ut propter aliena cōmoda, deſolari patiamur hæreditatem patrum noſtrorum. Sed 2
cùm renueret Comes, reputans incautam ſibi hujuſcemodi conventionem, mandavit Dux, ne de cætero haberetur forũ Lubike, nec eſſet facultas emen-

di sive vendendi, nisi ea tantùm, quæ ad cibum pertinent. Et jussit mercimo-
3 nia transferri Bardewich ad sublevandam civitatem suam. Sed & fontes salis qui erant Thodeslo, ipso tempore obturari fecit. Et factum est verbum illud Comiti nostro & terræ Wagirensi in offensionem, & profectuum impedimentum.

Lubic. a) Lubecense forum hîc, & infra *c. 83. n. 6.* significat ipsam urbem Lubecam, & cives, in ea mercaturam facientes. Plura exempla ex antiquis Diplomatibus promit *Auctor Deductionis civitat. Lindav. p. 628.*

Sulciæ. b) Salinæ sunt, ubi sal coquitur.

CAPUT LXXVII. (LXXVIII.)

1. Dux denuo Episcopatum Raceburgensem instaurat, Evermodo ibi constituto Episcopo. 1154.
2. Henricus, Comes Raceburg. Episcopo novo CCC. mansos, & decimas assignat.
3. Adolphus Comes simili munificentia in Episcopũ Aldenburgensem utitur.

1 Nec hoc prætermittendum videtur, quòd dilatante Deo fines Ecclesiæ, ordinatus est in Racesburg Episcopus Dominus Euermodus (a), præpositus de Magdeburg, deditq; ei Comes Polaborum Henricus insulam ad inha-
2 bitandum prope castrum. Præterea trecentos mansos resignavit Duci dandos in dotem episcopii. Porrò decimas terræ recognovit Episcopo, quarum tamen medietatem recepit in beneficio, & factus est homo episcopi, exceptis trecentis mansis, qui cum omni integritate tam redituum quàm decimarum
3 sunt Episcopi. Interfuit his rebus agendis Dominus Ludolfus præpositus de Cuzelina, & dixit ad Comitem, præsente Comite nostro Adolfo: Quoniam Comes terræ Polaborum benefacere cœpit erga Pontificem suum, decet ut noster Comes non faciat minorem partem suam. Ampliora enim de ipso præsumenda sunt, utpote de homine literato, habente scientiam rerum Deo placentium. Tunc Comes noster secutus factum Comitis Polaborum, remisit de beneficio suo trecentos mansos, qui oblati per manus Ducis in dotem Aldenburgensis episcopatus.

Evermodus. a) Everhardum vocat *Hermann. de Lerbek.* Fuit Præpositus Monasterii gratiæ Dei ad confluentem Salæ & Albis in diœcesi Magdeburgensi, ut habet *Chronicon Lauterbergense ad ann. 1131.* Interfuit consecrationi novi Monasterii Stederburgensis anno 1174. juxta *Chronicon Stederburgense MS.* De illius miraculis & sepultura *Krantz. Wãd. l. V. c. 42. Metrop. l. VI. c. 28. & 40.*

CAPUT

CAPUT LXXVIII. (LXXIX.)

1. *Dux cum Imperatore Italiam ingreditur.* 1154.
2. *Vicelinus moritur.* 1154.
3. *Spectrum monet, animam Vicelini liberalitate in egentes redimendam esse.*
4. *Vicelinus non vult fleri ab Eppone.*
5. *Apparet alij, cujus adhuc viventis nomen Auctor supprimit.*
6. *Mulieri cæcæ visum restituit.*
7. *προσφώνησις ad Lubecenses.*

POst hæc abiit Dux noster in Italiam cum Rege pro Corona Imperiali. 1
Quo absente Vicelinus Episcopus ingravescente morbo, diem clausit ex- 2
tremum. Obiit autem 2. Idus Decembris, anno videlicet incarnati verbi, 1154. Sedit autem in Episcopatu annis quinque, hebdomadibus novem. Corpus ejus tumulatum est in Falderensi Ecclesia præsente scilicet Domino Racisburgensi episcopo, & officium consummante. Agebatur ergo intensius memoria boni patris tam in Faldera quàm in Cuzelina. Fuitque præfixum à curatoribus, quid singulis diebus dari deberet in eleemosyna pro remedio
animæ ejus. Fuit autem in Cuzelina sacerdos quidam Volchardus nomine, 3
minister mensæ, quique primus ad Falderam cum Domino Vicelino venerat, industrius in actionibus extrinsecis. Hic ergo eleemosynas pro boni sacerdotis anima constitutas dare neglexit, parcus in rebus supra quàm necesse esset. Apparuit ergo venerabilis Pontifex mulieri cuidam consistenti in pago Sigeberg, circumamictus cultu sacerdotali, dixitque ad eam: Vade & dic Volchardo Sacerdoti, quia impiè agit circa me, subtrahens ea, quæ pro
remedio animæ meæ fratrum mihi devotio supputavit. Cui mulier: Quis, 5
inquit, Domine vitam vobis atque linguam donavit? Nonne fama latius percrebuit, vos multis diebus vel annis lingua privatum, postremo etiam morte defunctum? Unde ergo hæc? Quam ille blando vultu consolans: Ita est, ait, ut loqueris, sed hæc melius nunc instaurata recepi. Nuncia ergo memorato sacerdoti, ut celerius adimpleat, quod subtraxit, quin etiam hoc adjunges, ut novem officia expleat post me. Et his dictis recessit. Ubi ergo nunciata sunt hæc sacerdoti, abiit Falderam consulere super verbo hoc. Interrogatus autem, confessus est culpam, juxta sermonem viri Dei, promisitque meliorationem. Porrò de novem officiis post eum à sacerdote complendis, nobis diversa commentantibus, veritas incognita fuit, sed rei eventus verbum quod latebat, citius aperuit. Idem enim presbyter, novem post episcopum hebdomadibus vixit, declaratumque est septimanas officiis præsignatas. Sed & hoc commemorare devotio persuadet, quòd vir clarissimus

Eppo,Pontifici pro vitę reverētia valde familiaris existens,incōsolabiliter lu-
gebat pro defuncti patris absentia. Quod cum multis diebus ageret,sæpe di-
ctus Pontifex virgini cuidam castæ & simplici in somnis astitit dicens : Dic
fratri nostro Epponi,quatenus cesset flere,quia bene sum, & fletibus ejus con-
doleo,ecce enim lacrymas ejus in vestibus meis porto. Dixerat hæc,& osten-
5 dit ei vestem nivei candoris totam lacrymis infusam.Quid dicam de illo nobis
notissimo, cujus supprimo nomen, ita enim placuit,eo quòd adhuc superstes
sit,& habitet inFaldera,velitq; latere.Hic post mortemPontificis necdum ex-
pletis triginta diebus,audivit eum in visione dicentem, repositam sibi requi-
em cum famosissimo illo Bernhardo Clarevallensi. Cui cum diceret: Utinam
vos essetis in requie,ille respondit:Sum,Dei gratia,& vos quidem credidistis
6 me mortuum. Ego autem vivo,& semper præterea vixi. Grata profectò nec
onerosa fiet devoto lectori unius adhuc rei descriptio, quam in laudem Dei,
& in commendationem Pontificis nostri gestam,multorum probat memoria.
Erat in Falderensi Parochia in villa quæ dicitur Horgene, matrona quædam
Adelburgis nomine, Pontifici propter vitæ simplicitatem admodum fami-
liaris. Hanc postmodum luminibus orbam, venerabilis pater consolari fre-
quentius assuevit,adhortans eam,virgam paternæ correptionis patienter su-
stinere,nec deficere in tribulationibus,oculos scilicet ei in cœlo repositos es-
se repromittens. Post transitum ergo Pontificis vix annus emensus est,vidit-
que mulier illa in visione nocturna, assistentem eum sibi, & de statu salutis
ipsius solicitè percunctantem.Cui illa,Quę mihi,inquit,salus,quæ in tenebris
sum, & lumen non video.Ubi quæso Domine consolationes tuæ, quibus ocu-
los meos in cœlo repositos dicebas? Ego autem protrahor in hac miseria, &
cæcitas inveterata perdurat. Noli,ait, diffidere de gratia Dei nostri. Statim-
que prætendens dextrâ signum venerabile Crucis oculis ejus impressit, ad-
hibens benedictionem. Mane ergo facto evigilans fœmina,sensit ex operati-
one Dei cum tenebris noctis pulsas tenebras cæcitatis. Tunc exiliens è strato
mulier,prona cecidit in terram,exclamans in gratiarum actione,& dedigna-
ta ducem, proprios direxit gressus ad Ecclesiam,pulchrum de illuminatione
sua præbens spectaculum omnibus notis & amicis. Fecitque postmodum de
manu propria velum ad operiendum sepulcrum Pontificis in testificationem
& monumentum illuminationis suæ.Multa quidem & alia fecit Dominus per
virum hunc laudabilia, dignaque relatu, quæ non sunt scripta in libro hoc.
Faldera ergo, Pontificis magni læterur honore, Virtutes animo contegat os-
7 sa solo.Vos quoque qui residetis in architriclinio Ecclesiæ Lubikanæ,excipi-
te virum hunc, virum, inquam, quem mera narratione vobis propino, ideo
utique

utique mera, quia vera. Neque enim hoc dissimulare penitus valebitis, quia primus in civitate vestra nova, erexit lapidē in titulū fundens oleū desuper.

Post hæc. a) Expeditio hæc Friderici Imperatoris in Italiam prima fuit, anno 1154. suscepta. Circa initium mensis Octobris in Campania colligebat exercitum: in Novembri jam ad Padum pervenerat. *Otto Frising. l. II. c. 11. 12. Cyr. Spangenb. Chron. Mansf. part. I. c. 223.*

Corpus. b) Epitaphium Vicelini in æde Bordesholmiana hoc olim in pariete lectum fuit:
Ossa pii patris hîc condita sunt Vicelini.
Carmen quadratum, quod adscriptum fuit, item quid anno 1614. de ossibus Vicelini factum sit, vide apud *Casp. Danckwerth. part. III. c. 4.*

CAPUT LXXIX. (LXXX.)

1. Falderenses Monachi Episcopatui Aldenburgensi se subtrahunt.
2. Geroldi laudes.
3. Geroldus à Leonis conjuge mystis in Wagria commendatus, omnium consensu eligitur. - - 1154.
4. Hartwicus, Archiepiscopus, Gerol-do sacrum Ordinem conferre detrectat.
5. Arces quasdam contra Ducē munit.
6. Interest conventui Principum, qui contra Ducem habebatur.
7. Geroldo præterito alium surrogare studet.
8. Geroldus Ducem in Italiam sequitur.
9. Imperator Dertonam oppugnat.
10. Romani Imperatori iniquas conditiones proponunt.

POst transitū Vicelini Episcopi fratres de Faldera recesserunt à subjectione 1 Aldenburgensis episcopatus, ob laboris fastidium, & elegerunt sibi præpositum Dominum Epponem, virum sanctum. Porrò episcopalis electio Do- 2 mino Duci reservata est. Fuit autem eo tempore Sacerdos quidam Geroldus nomine, Suevia natus, parentibus non infimis, Capellanus (a) Ducis, scientia divinarum scripturarum adeò imbutus, ut neminem in Saxonia videretur habere parem, in corpore pusillo magnanimus, Magister scholæ in Brunswich, & Canonicus urbis ejusdem, familiaris Principi propter continentiam vitæ. Præter mundiciem enim cordis Deo cognitam, castissimus habebatur in corpore. Propositum ergo habens habitum assumendi monachicum in loco qui dicitur Radegeshusen (b) sub obedientia Abbatis Conradi, ad quē ipsi erat germanus sanguis & amor: Hærebat autem in curia Ducis, corpore magis quàm animo. Ubi ergo fama vulgavit Vicelinum episcopum obiisse, 3 Domina Ductrix allocuta est Geroldum sacerdotem, Si tibi propositum est serviēdi Deo sub austeritate vitæ, assumito tibi laborem utilem & lucrosum, & perge in Slaviam, & ita in opere, in quo fuit Vicelinus Episcopus: hoc enim faciens & tibi & aliis proderis. Omne bonum si in commune dedu-

ctum

ctum fuerit, majus bonum eſt. Accerſivit ergo Domina per literas Ludolfum
præpoſitum de Cuzelina, commendatumq́ue ſacerdotem tranſmiſit cum eo
in Wagirenſem terram, eligendum in Epiſcopum. Acceſſitq́ue petitio Prin-
4 cipis, cleri plebiſq́ue concors electio. Aberat tunc fortè Epiſcopus, qui con-
5 ſecraret Epiſcopum: ille enim Duci ab initio infenſus, tunc verò amplius in-
ſidiabatur calcaneo ejus, eo quòd Dux occupatus eſſet expeditione Italica,
& communita ſunt adverſus eum caſtra Epiſcopi Staden, Vorden, Horeborg,
6 Friburg. In diebus illis orientalis Saxoniæ Principes & aliqui de Bavaria,
conſpirationis ut dicebatur gratia, condixere colloquium, evocatusq́ue Ar-
chiepiſcopus occurrit eis in ſaltu Bohemico. Quo poſtea reditum maturan-
te, vetitus eſt à Ducenſibus redire in Parochiam ſuam, excluſusq́ue manſit
7 toto penè anno in orientali Saxonia. Surgens ergo noſter electus, abiit poſt
eum in Saxoniam, quæſitumq́ue reperit apud Marcipolim, Aldenburgen-
ſem epiſcopatum in alteram perſonam demutare parantem. Enimuero præ-
poſitum quendam in partibus illis, bene erga ſe meritum, hoc honore remu-
nerare decreverat, magna quædam, ſed ſupervacua de divitiis hujus epiſco-
patus jactitans. Audito ergo adventu Domini Geroldi, perturbatus eſt ani-
mo, cœpitq́ue velle irritare electionem, prætendens immaturam Eccleſiam,
& perſonis adhuc quaſi vacuam, ſine ſui permiſſione, nec eligere nec diſcer-
nere quicquam poſſe. At noſtri oſtendere cœperunt, ratum eſſe opus electi-
onis, quam perfeciſſet poſtulatio Principis, concordia cleri, aptitudo perſo-
næ. Tunc Archiepiſcopus, non eſt, inquit, hujus temporis vel loci talium
8 explanatio, expediet hanc cauſam, cùm rediero, Bremenſe capitulum. Vi-
dens ergo electus, Archiepiſcopum adverſantem ſibi, remiſit Ludolfum
præpoſitum, & eos qui cum ipſo venerant in Wagiram, ipſe verò ſuccinctus
abiit in Sueviam, deſignaturus Duci per nuncium ſuum de ſtatu ſuo. Cui
Dux remandavit, ut celerius veniret in Longobardiam, veluti proceſſurus
cum ipſo Romam. Quo mandatis parente, in exeundo Suevia, incurſatus
eſt à latronibus, amiſſoq́ue viatico, gladio graviter vulneratus in frontem eſt.
Nec his præpeditus, vir æſtuantis animi, profectus eſt itinere cœpto, perve-
niensq́ue Terdonam, ubi erant caſtra regis, benignè ſuſceptus eſt à Duce &
9 amicis ejus. Porrò Rex & univerſi Principes expugnabant Terdonam, &
obſeſſa eſt civitas diebus multis. Ad ultimum capta civitate, fecit deponi
muros ejus, & adæquari ſolo. Inde proficiſcente exercitu, fecit Dux epiſco-
10 pum noſtrum comitari ſecum in Italiam, ut offerret eum Domino Papæ. Mi-
ſerunt erpo Romani legatos ad regem in caſtra, qui dicerent ei paratum eſſe
Senatum, & univerſos cives urbis, ad excipiendum eum cum triumphalibus
pom-

pompis, siquidem Imperatorio more sese exhibuisset. Quo percunctante modum, quo sese exhibere deberet, illi ajunt, Regem propter Imperiale fastigium Romam venientem decet venire more suo, hoc est, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curribus suis tyrannos bello subactos, & divitias gentium. Præterea oportet eum honorare urbem, quæ caput orbis est, & mater imperii, & dare senatui quæ edictis præfixa sunt, videlicet quindecim millium libras argenti, ut per hoc suscitentur animi senatus ad benevolentiam, & exhibeant ei honorem triumphalem, & quem electio principum Regni creavit Regem, autoritas senatus perficiat Cæsarem. Tunc Rex subridens, grata, inquit, promisso, sed cara emptio. Magna requiritis, ó viri Romani, de exinanita camera nostra. Puto autem quia occasiones quæritis adversum nos, imponendo non imponenda. Consultius verò agitis, si his omissis, amicitiæ potius nostræ quàm armorum ceperitis experimentum. At illi pertinacius instabant, dicentes: jura civitatis nullatenus irritanda, sed gerendum morem senatui, alioquin adventanti claustra urbis objicienda.

Capellanus. a) Capella primùm, medio isto ævo, ædiculam sacram significat, & Capellanus, qui sacello præfectus. Deinde Capella eadem, quæ & Cancellaria vulgo: & Capellani, qui à secretis, & qui in hoc ordine primi essent, Cancellarii, summi Capellani & Archicapellani dicebantur. In regno Francorum antiquitùs, juxta *Hincmarum, Archiep. Rhemensem*, diversæ fuere dignitates Capellani & Cancellarii. Narrat enim ex *Adalhardo*, inter ministros regios primum locum hos duos tenuisse, Apocrisiarium, à Constantino M. primùm institutum, qui & Capellanus dictus fuerit, & Cancellarium. Capellanum de causis Ecclesiasticis respondisse, sua cura & dispositione clerum omnem Palatii sacri rexisse, atq; ad consilia Ecclesiastica semper adhibitum: Cancellarium autem secretis consiliis, & mandatis regiis exsequendis præfuisse, *Epist. III. c. 13. 16.* & *20.* Ita Eginhartus Archicapellanus & Notarius Caroli M, appellatur *Chronico Laurisham. anno 805.* In subscriptionibus *Diplomatum Ottonis M.* Archicapellani & Archicancellarii nomina eodem sensu usurpantur. Addatur *Goldast. Tom. II. Alamann. rer. p. 5. Joann. Meurs. in cap. IX. Ælnothi, Frid. Lindenbrog. in Gloss.*

Radegeshausen. b) Monasterium Riddagshusium, vulgo Riddershusen appellatum, à Ludolfo quodam Dynasta, ejusdemq; fratre Riddago, è vetusta Wendorum familia ortis, anno cIↃ C XLV. fundatum est. Primus eodem anno Abbas monasterii constitutus est Robertus; qui cùm anno cIↃ CL. III. Junii è vita migrasset, hic Conradus, Geroldi frater, illi successit. Vicelino, Episcopo Aldenburgensi, ad superos translato, Geroldus Episcopatum adipiscitur; quo anno cIↃ CLXIV. rebus humanus exemto, Conradus Abbas operâ Henrici Leonis ei surrogatur. Vide infra *c. 83. n. 5. lib. II. c. 1. n. 1.* & *c. 13. n. 3. Henric. Mei-*

rici Meibom. Chronicon Riddagshusense §.1.2. Georg. Fabric. rer. Saxon. l. II. ann. 1145.

electio. c) De introductione Geroldi apponam scripturam, quæ in lapide superliminari templi nostri cathedralis his verbis incisa: *Anno Domini cIↃ CLIV. Henricus Leo, Bawarie & Saxonie Dux, tunc temporis hujus civitatis Dominus, & hujus ecclesiæ fundator, Geraldum primum Episcopum Lubicensem hîc introduxit.* Quod hîc dicitur, Geroldum hoc anno primum Episcopum hîc introductum, cùm contra libri veteres editi & inediti testentur, ipsum primùm Aldenburgum missum esse, & anno 1163. demum Episcopatum Lubecam translatum, non pugnare intelligemus, si attendamus, etiam Lubecæ Evangelium prædicandi & sacra faciendi potestatem illum accepisse, cùm tota Wagria Episcopatui illius tributa esset, & Vicelino quoq; ejus antecessori, cura ecclesiæ Lubecensis demandata fuisset. Auctor *Chronici Slavici* inquit: Sedit annis quatuor: Nescio an simul in Oldenburg & Lubek, an solùm in Lubek, *c. 30.*

Terdona. d) Etiam *Guntherus* Terdonam vocat, *Ligurino l. II. & III.* Olim *Dertona* dicta, unde Dertona colonia *Plinio l. III. c. 5.* Hodie Tortona.

CAPUT LXXX. (LXXXI.)

1. *Fridericus I. Adrianum IV. ad se in castra evocatum, magna reverentia excipit. - - - - 1155.*
2. *Episcopus Bambergensis habita ad Papam oratione petit, ut Fridericum coronet.*
3. *Papa se non satis honorificè ab Imperatore exceptum conqueritur.*
4. *Imperator denuo illum ad se vocat.*
5. *Papa vult, ut Imperator Apuliam Siciliæ Regi eripiat, & Romanæ ecclesiæ reddat.*
6. *Consentit in Imperatoris coronationem.*
7. *Dux apud Papam pro Geroldo intercedit.*
8. *Fridericus I. à Papa inauguratur, XIIX. Junij. - - - 1155.*
9. *Romani cum Cæsarianis adverso Marte confligunt.*
10. *Papa ipse Geroldum consecrat.*

1 His auditis, Rex missa legatione per summos & honorabiles viros, accersivit Dominum Adrianum Papam in castra, propter participationem consilii. Siquidem Romani Papam in multis offenderant. Veniente ergo eo in castra, Rex festinus occurrit, & descendenti de equo tenuit strepam, du-
2 xitque per manum eum in tentorium. Facto autem silentio, locutus est Dominus Bauembergensis Episcopus verbum ex ore regis & principum, dicens: Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam, Apostolice Pontifex, sicut jamdudum sitienter desideravimus, ita nunc lætanter suscipimus, gratias agentes omnium bonorum largitori Deo, qui nos deduxit & adduxit in hunc locum, & sanctis-

& sanctissima visitatione tua dignos fecit. Notum ergo tibi esse cupimus, Reverende pater, quia omnis hæc Ecclesia de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerunt Principem suum ad tuam beatitudinem, provehendum ad culmen imperialis honoris, virum nobilitate generis conspicuum, animi providentia instructum, victoriis fœlicem, præterea etiam in his quæ ad Deum pertinent, præpollentem, observatorem sanæ fidei, amatorem pacis & veritatis, cultorem sanctæ Ecclesiæ, super omnia verò sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam amplexatur ut matrem, nihil negligens eorum, quę ad honorem Dei, & Apostolorum Principis exhibenda majorum jubet traditio. Dat huic rei credulitatem humilitas nunc exhibita. Enimuero venientem te suscepit intrepidus, & applicitus sanctissimis vestigiis tuis, fecit ea quæ justa sunt. Restat ergo Domine pater, ut & tu circa ipsum peragas ea quæ tua sunt, ut ea quæ de plenitudine culminis Imperialis ei desunt, per Dei gratiam tuo opere suppleantur. Ad hæc Dominus Papa respondit: Verba sunt, 3
frater, quod loqueris. Dicis Principem tuum condignam beato Petro exhibuisse reverentiam. Sed beatus Petrus magis videtur inhonoratus: denique cùm dexteram deberet tenere strepam, tenuit sinistram. Hæc cùm per interpretem regi nunciata fuissent, humiliter ait: Dicite ei, quia defectus hic, non fuit devotionis sed scientiæ. Non enim tenendis strepis magnopere studium dedi: enimuero ipse, ut memini, primus est cui tale obsequium dependi. Cui Dominus Papa, Si quod facilimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima: Tunc Rex aliquantisper motus, ait: Vellum melius instrui, unde mos iste inoleverit, ex benevolentia, an ex debito? Si ex benevolentia, nil causari habet Dominus Papa, si vacillaverit obsequium, quod de arbitrio, non de jure substitit. Quod si dicitis, quia ex debito primæ institutionis hæc reverentia debetur principi Apostolorum, quid interest inter dexteram strepam & sinistram, dum modò servetur humilitas, & curuetur Princeps ad pedes summi Pontificis. Diu itaque, acriterque disputatum est. Postremo discesserunt ab invicem sine osculo pacis. Timentes ergo ii, qui columnæ regni esse videbantur, ne 4
fortè rebus inactis, frustra laborassent, multa persuasione evicerunt cor regis, ut Dominum Papam revocaret in castra. Quem redeuntem suscepit Rex integrato officio. Omnibus autem exhilaratis, & conventioni adgaudentibus, dixit Dominus Papa: Adhuc superest, quod facere debeat Princeps 5
vester. Requirat beato Petro Apuliam, quam Willehelmus Siculus per vim possidet. Quo facto, veniat ad nos coronandus. Responderunt Principes, dicentes: Diu est ex quo fuimus in castris, & desunt nobis stipendia, & tu

 dicis,

dicis, tibi Apuliam requiri, & ſic demum ad conſecrationem veniri? Dura ſunt hæc, & ſupra vires noſtras. Quin potius impleatur opus conſecrationis, ut pateat nobis reditus patriæ, reſpiremusque paululum de labore: poſt-
6 modum expediti redibimus, expleturi quod nunc faciendum reſtat. Moderante ergo Deo, ſub quo curvantur qui portant orbem, ceſſit Apoſtolicus, & aſſenſus eſt poſtulationi Principum. Factaque concordia, aſſederunt in con-
7 ſilio, acturi de introitu urbis, & cavendis inſidiis Romanorum. Eo tempore acceſſit Dux noſter ad Dominum Papam, rogans eum pro conſecratione Aldenburgenſis electi: Qui cum modeſtia recuſavit, dicens, Libenter ſe facere poſtulata, ſi poſſet fieri ſine injuria metropolitani. Nam Dominus Hammenburgenſis Papam literis prævenerat, rogans eum abſtinere huic conſecrationi, quæ ſibi verecunda foret.

8 Cùm ergo appropinquarent urbi, miſit Rex clàm noctu nongentos loricatos ad domum beati Petri, unà cum legatis Domini Papæ, qui perferentes mandata ad cuſtodes, intromiſerunt milites per poſticum infra domum & arces. Mane ergo facto venit Rex cum omni exercitu, præcedensque Dominus Papa cum Cardinalium numero, ſuſcepit eum ad gradus & intrantes domum beati Petri, aggreſſi ſunt opus conſecrationis. Porrò miles (a) armatus ſtabat circa templum & ædem, obſervans regem quouſque conſummarentur myſteria. Poſtquam autem perfectum eſt in eo opus Auguſtæ dignitatis, egreſſus eſt muros urbis, & miles laſſitudine gravis cibo refectus
9 eſt. Inter prandendum, Lateranenſes, facta eruptione, tranſgreſſi ſunt Tyberim, & primum quidem caſtra Ducis, quæ muris erant contigua, turbaverunt, vociferansque exercitus de caſtris proruit ad obſiſtendum. Et factum eſt bellum potens in illa die. Illic Dux noſter fortiter dimicavit in capite. Romani victi paſſi ſunt ruinam magnam. Poſt factam victoriam,
10 magnificatum eſt nomen ducis, ſuper omnes qui erant in exercitu. Volens ergo Dominus Papa honorare eum, tranſmiſit ei munera, præcepitque nuncio, dicens: Dic ei, quia craſtina, ſi Dominus voluerit, electum ejus conſecrabo. Et lætatus eſt Dux de promiſſione. Mane ergo facto, fecit Dominus Papa publicam ſolennitatem, & conſecravit nobis Epiſcopum cum magna gloria.

---

miles, a) — — — — — armatus ubiq;
Adſtat eques, templiq; fores & limina ſervat.
Coronatus autem Imperator eſt XIV, Kal, Jul. *Gunther. in Ligur. l.IV.*

CAPUT.

CAPUT LXXXI. (LXXXII.)

1. Veronenses Cæsarem transitu per fauces montis prohibent. 1155.
2. Cæsar duces illorum captos suspendit.

Reductis ergo Romanis in gratiam Papæ, Cæsaris expeditio retorsit iter 1 ad reditum, & deserentes Italiam venerunt in Longobardiam. Qua nihilominus postposita, venerunt Veronam, ubi contigit Cæsarem cum exercitu grave incurrisse discrimen. Siquidem Veronensium lex est, Imperatori Longobardiam egredienti, pontem navibus sternere in flumine, quod dicitur Edesa (a), cujus impetus instar torrentis violentus, nemini vadosus est. Cùm ergo transisset exercitus, statim pons ille à fluminis impetu raptus est. Properansque exercitus, venit ad angustiam viæ, cui Clusa nomen est, ubi inter scopulos cælo contiguos, iter adeo inter arctum trahitur, ut duobus pariter incedentibus, commeatum vix præbeat. At Veronenses supercilium montis occuparant: missisque jaculis, neminem transire sinebant. Requirebant autem ab Imperatore, quid pro salute suimet atque suorum dare vellet. Cæsar ergo tam flumine quàm montibus undique cinctus, incredibile dictu est, qualiter animo consternatus fuerit: Ingressusque tabernaculum, discalciatus pedes, adoravit coram vivifico ligno crucis Domini. Nec mo- 2 ra, divinitus inspiratus invenit consilium. Fecit ergo vocari eos, qui de Verona secum erant, & ait ad illos: Ostendite mihi callem absconditum, qui ducit in supercilium montis, alioquin jubebo effodi oculos vestros. At illi timentes, detexerunt ei abditos ascensus montis, statimque conscendentes fortissimi militum (b) supervenerunt hostibus à tergo, & disiectos pugna, comprehenderunt nobiles eorum, & perduxerunt eos in conspectum Cæsaris. Qui fecit eos suspendio affici. Sicque remotis offendiculis, exercitus perrexit itinere suo.

Edesa, a) Athesis est, ex Tridentinis Alpibus fluens. *Plin. l. III. c. 16.*

Militum, b) Otto de Wittelsbach cum ducentibus militibus rupe conscensâ, ad claustra penetrat, hisq; occupatis, quingentos qui intus erant, capit, in crucemq; agit. *Aventin. l. VI. p. 633.*

CAPUT LXXXII. (LXXXIII.)

1. Geroldus reversus venit ad Episcopatum suum. - - - - 1155.
2. Non repertis vitæ subsidiis ad Archiepiscopum proficiscitur.
3. Archiepiscopus indignatur, Geroldū consecratione à Papa expetiisse.
4. Geroldus ab ipso necessaria vitæ subsidia petit, eidemq; recōciliatur.

5. Henricus Leo contra Rustringos movet.
6. Imperator Archiepiscopo prædia aufferet.
7. Geroldus cum Conrado fratre suo Aldenburgum se confert.
8. Geroldus & Comites, in quibus Helmoldus, à Pribislao convivio excipiuntur.
9. Slavi in hospitibus munificè excipiendis effusè largi sunt.

1 POst hæc Episcopus noster, accepta à Duce licentia, secessit in Sueviam, ubi venerabiliter ab amicis susceptus, & per dies aliquot retentus, divertit in Saxoniam. Deinde transmissa Albia venit in Wagiram, ingressurus laborem, cui mancipatus fuerat. Denique ingressus episcopatum, non inve-
2 nit stipendia, quibus vel ad unum mensem sustentari posset. Siquidem Falderensis domus post mortem beatæ memoriæ Vicelini episcopi, commodo simul & quieti consulens, ad Hammenburgensem Ecclesiam sese transtulerat. At Ludolfus præpositus & fratres in Hogerestorph satis sibi esse judicabant, ut Episcopum ingredientem & egredientem hospitio colligerent. Sola domus Bozoe stipendiis episcopalibus deserviebat, vacua admodum & inculta. Visitans ergo Episcopus & alloquens filios Ecclesiæ suæ, regressus
3 est ad Albiam locuturus Archiepiscopo, penes Staden. Quem cùm Archiepiscopus ob fastum elationis diutius protraheret, essetque difficilis admissio, dixit episcopus noster ad Abbatem de Reddegeshusen, & cæteros, qui secum venerant: Quid hîc residemus fratres? Eamus videre faciem hominis. Et nil trepidans, ingressus est ad Principem: accepitque osculum sine verbo salutationis. Ad quem noster episcopus, mihi, ait, non loquimini? Quid peccavi, ut non merear salutari? Demus, si placet, arbitros, qui judicent inter nos. Veni, ut scitis, Marcipolim, postulavi benedictionem, & renuistis. Necessitate ergo compulsus abii Romam; impetraturus ab Apostolica sede, quæ mihi negata sunt à vobis. Iustior ergo mihi est irascendi ratio, qui mihi onerosam itineris hujus necessitatem imposuistis. Ad quem Archiepiscopus: Quæ, inquit, tam inevitabilis causa vos propulit Romam, ad subeundum viæ laborem & expensas sumptuum? An quia in regione longinqua positus, postulationem vestram ad faciem Ecclesiæ nostræ distuli: Distulistis, ait noster Episcopus, veluti infirmaturus causam nostram, hoc enim, ut verum fateamur, verbis apertius prosecutus estis. Sed gloria Deo, qui perfecit nos in ministerio suo, laboriosa quidem sed grata assecutione. Tunc Archiepiscopus, Apostolica, inquit, sedes, potestate sua, cui certè obniti non possumus, usa est in consecratione vestri, quæ ad nos jure spectabat. Sed huic injuriæ rursus providit remedium, designando nobis per literas, nihil in hoc

facto

facto authoritati nostræ de vestra subjectione subtractum. Respondit Epi-
scopus : Scio quidem, nec diffiteor hoc ita esse ut dicitis, & ob hoc ipsum
veni, ut exhibeam me in his quæ digna sunt vobis, ut sopiantur discordiæ,
& instaurentur ea quæ pacis sunt. Iustum quoque arbitror, ut nobis quæ 4
subjecta sunt sentientibus, provideatis sustentationis adminiculum. Militan-
tibus enim debentur subsidia. Et his dictis statuerunt ad inuicem amicitias,
promittentes alterutrum in necessitatibus opem vicariam. Inde digredi- 5
ens episcopus noster Geroldus, abiit Bremam, occursurus Duci. Ille enim
offensus Fresonibus, qui dicuntur Rustri (a), venit Bremam in Calendis No-
vembris, & fecit comprehendi quotquot ad forum venerant, & substantias
eorum diripi. Interrogatus autem à Duce Præsul noster, qualiter susceptus
fuerit ab Archiepiscopo, locutus est bona de eo, & studuit lenire ani-
mum ejus circa Episcopum. Inveteratæ enim inimicitiæ, quæ dudum
fuerant inter eos, eo tempore invenerunt locum grassandi, eo quòd (b)
Archiepiscopus omisisset Italicam profectionem, transgressor juramenti,
essetque reus majestatis. Unde etiam Legatus Imperatoris veniens Bremam, 6
occupavit omnes curtes Episcopales, & quæcunque reperisset, addidit
fisci juribus. Idem factum est Othelrico, Halberstatensi Episcopo. Re-
deuntem ergo Ducem Brunswig prosecutus est noster Episcopus, & egit
cum eo festum natalis Domini. Quo expleto, rediit Episcopus in Wagi- 7
ram assumpto germano suo Abbate de Redegeshuse, & abiit Alden-
burg, acturus diem solennem Epiphaniæ in loco Cathedrali. Erat autem
urbs deserta penitus, non habens mœnia nisi habitatorium parvulum,
quod sanctæ memoriæ Vicelinus ibidem erexerat. Illic in asperrimo frigo-
re, in cumulo nivis officium peregimus. Auditores nulli de Slavis, præter
Pribizlaum, & paucos admodum. Expletis mysteriis sacris, rogavit Pri- 8
bizlaus ut diverteremur in domum suam, quæ erat in loco remotiori. Et
excepit nos cum magna alacritate, fecitque nobis convivium lautum.
Mensam nobis appositam viginti fercula cumularunt. Illic experimento 9
didici, quod antè fama vulgante cognovi, quia nulla gens honestior Slavis
in hospitalitatis gratia. In colligendis enim hospitibus omnes quasi ex senten-
tia alacres sunt, ut nec hospitium quenquam postulare necesse sit. Quicquid
enim agricultura, piscationibus seu venatione conquirunt, totum in largi-
tatis opus conferunt, eo fortiorem quemque quo profusiorem jactitantes,
cujus ostentationis affectatio multos eorum ad furta vel latrocinia
propellit. Quæ utique vitiorum, apud eos quidem venialia sunt: excusan-
tur enim hospitalitatis palliatione. Slavorum enim legibus accedens,
quod

quod nocte furatus fueris, crastina hospitibus disperties. Si quis verò, quod rarissimum est, peregrinū hospitio removisse deprehensus fuerit, hujus domum vel facultates incendio consumere licitum est, atque in id omnium vota pariter conspirant, illum inglorium, illum vilem, & ab omnibes exibilandum dicentes, qui hospiti partem negare non timuisset.

Rustri, a) Iidē Rustringi dicti, accolæ utriusq; ripæ fluminis Jadæ, sub Comitum Oldenburgensium ditione fuere, qui inde tunc Rustringiæ Comites appellati sunt. Latissimos eosdemq; fertilissimos campos coluere. Cùm postea mare aggeribus ruptis illos inundasset, atque amnem in amplissimum sinum dilatasset, in arctū ipsi redacti sunt. *Herm. Hamelm. Proœmio Chron. Oldenb. Ubbo Emmius Descript. Frisiæ Oriental. pag. 54.*

eo quòd b) Imperator cùm ad Padum pervenisset, & in campo apud Roncalias castra metatus esset, prisco more inibi exercitum lustravit, cumq; Hartvvicum Bremensem & Ulricum Halberstadensem non reperisset, ipsis regalia abjudicavit. *Otto Frising. l. II. c. 12. Guntherus in Ligurino, l. II.*

CAPUT LXXXIII. (LXXXIV.)

1. Altero die à Tesmaro quodam invitati lucum sacrū offendunt. 1155.
2. Deus tutelaris loci est Prouen.
3. Religionis Slavicæ diversi ritus.
4. Præter cætera sua numina unum Deum confitentur.
5. Geroldus & comites incendunt lucum.
6. Apud Tesmarum quidem liberaliter excipiuntur, sed captivorum Christianorum tormenta vident.
7. Geroldus Slavos Lubecæ convenientes à superstitione gentili dehortatur.
8. Pribislaus contrà gravem de Principum avaritia querelam instituit.
9. Episcopus ei respondet.
10. Episcopus & Reguli Slavorum conventui Atlenburgensi intersunt.
11. Niclotus in illo impiè loquitur.
12. Geroldo à Comite prædia & villæ traduntur.
13. Comes subtrahere quædam de illis, & sibi servare studet.
14. Episcopus Euthinam ædificat.
15. Collegium Cuselinense postliminio Sigebergum transfert.
16. Cœnobium Falderense frustra repetit.
17. Bruno, Aldenburgum missus, Slavos convertere incipit. 1156.
18. Saxonum coloniâ eò deductâ, templum ibi ædificat. - - 1156.
19. Slavi Brunoni reos vomere candente examinandos adducunt.
20. Comes supplicium crucis tollit.
21. Suselæ, Lütkenburgi & in Ratekow ædes sacræ struuntur.
22. Etiam in Raceburgensi Comitatu ædificantur.

Manentes

MAnentes autem apud Regulum nocte illa, cum die ac nocte subsequenti, transivimus in ulteriorem Slaviam, hospitaturi apud potentem quendam, cui nomen Thessemar: is enim nos accersierat. Accidit autem ut in transitu veniremus in nemus, quod unicum est in terra illa: tota enim in planiciem sternitur. Illic inter vetustissimas arbores vidimus sacras quercus, quæ dicatæ fuerant Deo terræ illius Proven, quas ambiebat atrium & sepes accuratior lignis constructa, continens duas portas. Præter penates enim & idola, quibus singula oppida redundabant, locus ille sanctimonium fuit universæ terræ, cui flamen & feriationes & sacrificiorum varii ritus deputati fuerant. Illic enim secunda feria populus terræ cum flamine & Regulo convenire solebant propter judicia. Ingressus atrii omnibus inhibitus nisi sacerdoti tantùm, & sacrificare volentibus, vel quos mortis urgebat periculum: his enim minimè negabatur asylum. Tantam enim sacris suis Slavi exhibent reverentiam, ut ambitum fani nec in hostibus sanguine pollui sinant. Iurationes difficilimè admittuntur. Nam jurare apud Slavos quasi periurare est, ob invicem Deorum iram. Est autem Slavis multiplex idololatriæ modus: non enim omnes in eandem superstitionis consuetudinem consentiunt. Hi enim simulacrorum imaginarias formas prætendunt de templis, veluti Plunense idolum, cui nomen Podaga: alii sylvas vel lucos inhabitant, ut est Prove Deus Aldenburg, quibus nullæ sunt effigies expressæ. Multos & duobus vel tribus vel eo amplius capitibus exculpunt. Inter multiformia verò Deorum numina, quibus arva, sylvas, tristitias, atque voluptates attribuunt, non diffitentur unum Deum in cœlis cæteris imperitantem, illum præpotentem cœlestia tantùm curare. Hos verò distributis officiis obsequentes de sanguine ejus processisse, & unumquemque eo præstantiorem, quo proximiorem illi Deo Deorum. Venientibus autem nobis ad nemus illud & prophanationis locum, adhortatus est nos Episcopus, ut valenter accederemus ad destruendum lucum. Ipse quoque desiliens equo, contrivit de conto insignes portarum frontes, & ingressi atrium, omnia septa atrii congessimus circum sactas illas arbores, & de strue lignorum injecto igne fecimus pyram, non tamen sine metu, ne fortè tumultu incolarum obrueremur, sed divinitus protecti sumus. Posthæc divertimus ad hospitium, ubi Thessemar suscepit nos cum magno apparatu. Nec tamen dulcia vel jucunda nobis fuerunt Slavorum pocula, eo quòd videremus compedes, & diversa tormentorum genera, quæ inferebantur Christicolis de Dania advectis. Aspeximus illic sacerdotes Domini captivitatis diutina detentione maceratos, quibus episcopus nec vi nec prece subvenire poterat. Proxima die Dominica convenit u-

1 2 3 4 5 6 7

niverſus populus terræ ad forum Lubicenſe, & veniens Dominus Epiſcopus
habuit verbum exhortationis ad plebem,ut relictis idolis,colerent unum De-
um qui eſt in cœlis, & percepta baptiſmatis gratia, renunciarent malignis o-
8 peribus,prædis ſcilicet & interfectionibus Chriſtianorum. Cumque peroraſ-
ſet ad plebem, innuentibus cæteris, aitPribizlaus: verba tua, ó venerabilis
Pontifex,verba Dei ſunt & ſaluti noſtræ congrua. Sed qualiter ingrediemur
hanc viam, tantis malis irretiti? Ut enim intelligere poſſis afflictionem no-
ſtram, accipe patienter verba mea: Populus enim quem aſpicis, populus tu-
us eſt, & juſtum eſt nos tibi pandere neceſſitatem noſtram. Porrò tui juris
erit compati nobis. Principes enim noſtri tanta ſeveritate graſſantur in nos,
ut propter vectigalia & ſervitutem duriſſimam, melior ſit nobis mors quàm
vita. Ecce hoc anno,nos habitatores breviſſimi anguli hujus,has mille Mar-
cas duci perſolvimus.porrò Comiti tot centenaria,& necdum evicimus, ſed
quotidie emungimur & premimur, uſque ad exinanitionem. Quomodo er-
go vacabimus huic religioni novæ, ut ædificemus Eccleſias, & percipiamus
baptiſma,quibus quotidina indicitur fuga? Si tamen locus eſſet quo diffuge-
re poſſemus. Tranſeuntibus enim Travenam, ecce ſimilis calamitas illic
eſt: Venientibus ad Panim fluvium, nihilominus adeſt. Quid ergo reſtat,
quàm ut omiſſis terris feramur in mare, & habitemus cum gurgitibus? Aut
quæ culpa noſtra, ſi pulſi patria, turbaverimus mare, & acceperimus viati-
cum à Danis ſive inſtitoribus,qui mare remigant?Nonne principum erit hæc
9 noxa qui nos propellunt? Ad hæc Dominus Epiſcopus ait: Quod principes
noſtri hactenus abuſi ſunt gente veſtra,non eſt mirandum. non enim multum
ſe delinquere arbitrantur in idololatris, & in his, qui ſunt ſine Deo. Quin
potius recurrite ad ritum Chriſtianitatis, & ſubiicite vos creatori veſtro: ſub
quo curuantur, qui portant orbem. Nonne Saxones & cæteræ gentes quæ
Chriſtianum nomen habent, degunt cum tranquillitate, contenti legitimis
ſuis? Vos verò ſoli, ſicut ab omnium diſcrepatis cultura, ſic omnium patetis
direptioni. Et ait Pribizlauus, Si Domino Duci, & tibi placet, ut nobis cum
Comite eadem ſit culturæ ratio, dentur nobis jura Saxonum in prædiis & re-
ditibus, & libenter erimus Chriſtiani, ædificabimus Eccleſias, & dabimus
10 decimas noſtras. Poſthæc abiit Epiſcopus noſter Geroldus ad Ducem pro-
pter colloquium provinciale,quod laudatum fuerat Ertheneburg, & evocati
11 venerunt illuc Reguli Slavorum ad tempus placiti. Tunc adhortante Epi-
ſcopo, Dux habuit verbum ad Slavos de Chriſtianitate. Ad quem Niclotus
Regulus Obotritorum ait? Sit Deus qui in cœlis eſt, Deus tuus, eſto tu De-
us noſter, & ſufficit nobis. Excole tu illum,porrò nos te excolemus. Et cor-
ripuit

ripuit eum Dux de verbo blaſphemiæ. De promotione verò epiſcopatus & Eccleſiæ, nihil amplius eo tempore actum eſt, eo quòd Dux noſter nuper Italia rediens, totus quæſtui deditus eſſet. Camera enim erat inanis & vacua. Re- 12
deuntem ergo Ducem Brunſwig proſecutus eſt Epiſcopus & manſit apud eum diebus multis. Dixitque ad Ducem: Ecce jam toto anno in curia veſtra ſum & ſic vobis oneri: In Wagiram quoque veniens non habeo quod manducem. Cur ergo impoſuiſtis mihi onus nominis hujus vel officii? Melius mihi multo fuit antea quàm nunc. His provocatus Dux, accerſivit Comitem Adolfum, & habuit cum eo rationem de trecentis manſis, qui oblati fuerant in dotem Epiſcopii. Tunc (b) deſignavit Comes Epiſcopo in poſſeſſionem, Uthinæ & Gamalæ, cum appendiciis eorum. Inſuper prædio quod dicitur Bozoe, adjecit duas villas, Gotheſuelde & Wobitze. In Aldenburg quoque dedit ei prædium commodum ſatis & adjacens foro. Et ait Comes: Eat Do- 13
minus Epiſcopus in Wagiram, & adhibitis viris induſtriis, æſtimari faciat prædia hæc; quod defuerit de trecentis manſis, ego ſupplebo; quod ſuperfuerit, meum erit. Veniens ergo Epiſcopus, vidit poſſeſſionem, & habita inquiſitione cum colonis, deprehendit prædia hæc, vix centum manſos continere. Quamobrem Comes fecit menſurari terram funiculo brevi, & noſtratibus incognito, præterea paludes & nemora funiculo menſus eſt. Et ita fecit maximum agrorum numerum. Perlata ergo cauſa ad Ducem, adjudicavit Dux epiſcopo dari menſuram juxta morem terræ hujus, nec menſurandas paludes aut ſylvas robuſtiores. Multum ergo laboris adhibitum eſt in requirendis prædiis his. Non per Ducem, aut Epiſcopum, requiri potuerunt, uſque in hodiernum diem. Hæc autem, quæ prædixi, conquiſivit Geroldus Epiſcopus, quotidie inſiſtens Principibus, oportunè, importunè, ut ſuſcitaretur ſcintilla epiſcopalis nominis in Wagira. Et ædificavit civitatem & forum 14
Uthinæ, fecitque ſibi domum illic. Quia autem congregatio Clericorum 15
non habebatur in Aldenburgenſi epiſcopatu, præter eam quæ erat Cuzelinæ, quæ alio nomine dicitur Hogereſtorph, annuente duce fecit eos tranſmigrare Segeberg ad locum primæ fundationis, quatenus in ſolennitatibus, quando Pontificem oportet eſſe in populo, haberet in Clero ſupplementum. Quod licet Ludolfo præpoſito & fratribus videretur incommodum, propter tumultus fori, ceſſerunt tamen conſilio majorum, cui refragari locus non erat. Et fecit illic domum epiſcopus. Inde progrediens adiit Archiepiſcopum, cui 16
etiam multa obſequia dependit, ſperans ſibi reddi Falderenſe monaſterium, quod anteceſſor ejus & fundaſſe & poſſediſſe dinoſcitur. Sed Archiepiſcopus in partem Eccleſiæ ſuæ pronior, callidis ſponſionibus deduxit virum, promittens ac inducians, ac tempus redimens. Mandavit autem

reverendissimo viro Epponi præposito, ne penitus retraheret manum à subsidio novellæ Ecclesiæ hujus, sed subveniret Episcopo, tam in personis quàm
17 in cæteris adiumentis. Quamobrem Episcopus noster accersivit de Faldera Brunonem sacerdotem. Is enim defuncto Vicelino, Slavia decesserat, & transmisit eum Aldenburg, ut curaret salutem populi illius. Ad quod nimirum opus ille divino suscitabatur instinctu. Viderat namque nocturna visione Chrismale in manibus suis, de cujus operculo succreverat novella plena viroris, quæ confortata validam crevit in arborem. Quod nimirum pro sententia ejus ita obvenit. Statim enim ut venit Aldenburg, aggressus est opus Dei cum magno fervore, & vocavit gentem Slavorum ad regenerationis
18 gratiam, succidens lucos & destruens ritus sacrilegos. Et quia castrum & civitas, quæ olim Ecclesia & sedes cathedralis fuerat, deserta erat, obtinuit apud Comitem, ut fieret illic Saxonum colonia, & esset solatium sacerdoti de populo, cujus nosset linguam & consuetudinem. Et factum est hoc novellæ Ecclesiæ non mediocre adiumentum. Siquidem ædificata est Ecclesia honestissima in Aldenburg, libris, & signis & cæteris utensilibus copiosè ordinata. Et restauratus est cultus domus Dei in medio nationis pravæ ac perversæ, anno quasi nonagesimo post excidium prioris Ecclesiæ, quod contigit occiso Godescalco, pio Principe. Et dedicata est Ecclesia à pontifice Geroldo in honore sancti Ioannis Baptistæ, astante & omnem devotionem adhibente nobili Comite Adolfo, & Domina Mechtildi ejus piissima conjuge. Et præcepit Comes populo Slavorum, ut transferrent mortuos suos tumulandos in atrium Ecclesiæ, & ut convenirent in solennitatibus ad Ecclesiam, audire verbum Dei. Quibus & sacerdos Dei Bruno juxta creditam sibi legationem sufficienter administravit verbum Dei, habens sermones conscriptos verbis
19 Slavicis, quos populo pronunciaret opportune. Et inhibiti sunt Slavi de cætero jurare in arboribus, fontibus & lapidibus, sed offerebant criminibus pul-
20 satos sacerdoti, ferro (c) vel vomeribus examinandos. In illis diebus Slavi quendam Danum suffixerunt cruci. Quod cùm Bruno sacerdos renunciasset Comiti, ille vocavit eos in causam, & damno multavit, tulitque genus illud
21 supplicii de terra. Videns ergo Geroldus episcopus, quia in Aldenburg positum esset fundamentum bonum, suggessit Comiti, ut in pago qui dicitur Susle suscitaretur Ecclesia. Et miseruut illuc de Falderensi domo Deilanum sacerdotem, cujus spiritus sitiebat labores & pericula in prædicatione Evangelii, missusque venit in speluncam latronum, ad Slavos qui habitant juxta flumen Crempine (d). Erat autem illic piratarum latibulum familiare. Et habitavit inter eos sacerdos, serviens Domino in fame & siti, & nuditate. His

ita

ita peractis, oportunum videbatur ut ædificaretur Ecclesia in Lucelenburg, (c) & Rathecoue, & abierunt illuc episcopus & comes, & signaverunt atria ædificandis Ecclesiis. Crevit ergo opus Dei in Wagirensi terra, & adiuverunt se Comes & Episcopus ope vicaria Circa id tempus reædificavit Comes castrum Plunen, & fecit illic civitatem & forum. Et recesserunt Slavi, qui habitabant in oppidis circumiacentibus, & venerunt Saxones & habitaverunt illic. Defeceruntque Slavi paulatim in terra. Sed & in terra Pola- 22
borum multiplicatæ sunt Ecclesiæ, instantia Domini Evermodi Episcopi & Henrici Comitis de Racisburg. Veruntamen prædas Slavorum necdum inhibere poterant, siquidem adhuc mare transfretabant, & vastabant terram Danorum, nec dum recesserant à peccatis patrum suorum.

Venientibus. a) Lucus hic ad mare, post villam Putloß/ in loco, qui hodie Wienbergen nuncupatur, situs fuisse putatur, *Casp. Dankwerth part. III. c. 8.*

Tunc. b) *Herm. de Lerbeke* hæc ita: Designavit itaq; Comes Episcopo in possessionem Uthin & Gamale/ cum appendiciis eorum. Insuper prædium, quod dicitur Hirm/ nec non adjecit duas villas Gudesfeld & Wobtze.

ferro. c) Ita per plærasq; Europæ provincias illa invaluerat superstitio, ut non tantùm ipsi Imperatores Romani, sed aliorum etiam populorum per Europam Reges & Principes de hoc Examine leges & statuta fecerint: apud Wagrios Slavos autem ita radices egerat, ut ne jam quidem, cùm illi à Brunone, abolito dæmonum cultu, ad veri Dei, cognitionem ex sanctissimo ipsius verbo erudirentur, hoc reorum examen cessaverit.

Tria autem hujus Examinis genera potissimùm in usu fuere. Primum igni, alterum aquâ, tertium duello institutum est. Igneum sub triplici forma usurpatum. Nam reus aut nuda manu ferrum ignitum gestabat, aut nudis pedibus per ignitos vomeres, aut etiam candentes carbores incedebat, aut prunas flammivomas in sinum conjectas ferebat. Aqueum itidem triplex erat. Aut enim in aquam ferventem reus brachium nudum cubito tenus immersit, aut in frigidam totus immissus, aut manum in eam inserere jussus est. Qui hîc incolumis evasisset, hunc insontem pronũciabant: sin igne perustum deprehenderent, criminis damnabant. In aqueo purus criminis, in fundo (illorum opinione) hærebat, sceleris verò conscius in summa aqua fluitabat. Utrumq; purgationis genus κατ' ἐξοχὴν Judicium, & Dei judicium, frequenter etiam Ordalium, & Urtellum, à nostro Urdel/ sive Urtheil/ sententiâ à judice in reum lata, appellatum est. Ut in *Decreto Tassilonis*, anno 772. facti: Ut hi, qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur judicia, quæ Bajoarii Urtella dicunt. apud *Frid. Lindenbrog.* & *Marc. Velser. rer. Boic. l. V.* Tertium μονομαχία erat; de qua ad *Arnoldi l. II. c. 24.* dicemus. Viris nobilibus atq; ingenuis Ordalio igneo, & duello, sese purgandi inprimis potestas facta est; servi & rustici in aqueum detrusi.

Quanquam autem in multarum rerum veritate inquirenda hæc examina adhibita sunt

ta sunt, inprimis tamen in quæstione de homicidiis, furtis & veneficiis crebriùs usurpata legimus. Ex plurimis Imperatorum & Regum de hoc argumento legibus nonnullas adducere nobis suffecerit. De Examine per *vomeres ignitos* ita sancit *Carolus* Imperator: Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitutem casurum timet, occiderit, ipse qui hoc perpetravit, moriatur, agnatio ejus & consanguinitas in servitium cadat: & si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres ignitos judicio Dei examinandus accedat, *Lex Salica Capitul.1. §.5.* Et *Caroli Capit.l.IV. Append.2. §.3.* Item *Legg. Longob.l.I. Tit. 10. §.3.* In causa veneficii extat Lex *Angliorum*: Si mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dalo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur, *Tit.14.* De ritu, quo manus in ignem mittebatur: Quod si servus in ignem manum miserit, & læsam tulerit, dominus ejus, sicut lex continet, de furto servi culpabilis judicetur, *Lex Ripuaria Tit.30. §.1.*

Judicium per *aquam ferventem* frequens erat; unde variæ Imperatorum de illo occurrunt sanctiones. Imperatoris *Ludovici*: Si servus hoc (homicidium) admiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur: si verò non fuerit, publica pænitentia mulctetur, *Legg.Longobard. l.I.§.29.* Eandem legem *Lotharius* repetit, & Longobardis observandam proponit, *ibid. §.35.* & *Capitul. Carol. & Lud.l.IV. Tit.13.*

Ut autem in homicidio; ita & in furto atq; veneficio inveniendo aqua fervente usi sunt. Si quis Saxo hominem compræhenderit absq; furto, dicens, quod illi damnum factum, & hoc contêdere voluerit in judicio, aut in campo, aut ad crucem licentiam habeat. Et paulò pôst: Si servum cujuslibet absq; aliqua comprobatione comprehenderit, ipse servus aut ad aquam ferventem, aut ad aliud judicium se idoniare faciat, *Capit.Caroli & l.IV. App. 2.§.33.* De veneficio Imperator *Henr. II.* Quicũq; veneficio seu quolibet modo furtivæ mortis aliquem peremerit, aut consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat. Si quis verò prædicti criminis, aut de facto, aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est; si verò servus, per judicium ferventis aquæ defendat se, aut in similem sententiam incurrat, *Legg.Longobard.l.I.Tit.9.§.39.* De Examine servi alieni ita Imperator: Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramentum miserit, aut manum in caldaria mittere fecerit, componat domino ejus sol. XX. *Legg. Longobard.l.I.Tit.33.§.1.*

Quem ritum *Franci & Longobardi* in solis servis usurparunt, illum alias gentes promiscuè adhibuisse leges illarum indicio sunt. Ita enim *Flavius Egiga*, Rex *Wisigothorum*: Multas cognovimus querelas, & ab ingenuis multa mala pati, credentes in CCC. solidis quæstionem agitari. Quod nos modò per salubrem ordinationem censemus, ut quamvis parva sit actio rei facti ab aliquo criminis, eum per examinationem aquæ ferventis à judice distringendum ordinamus, *Leg. Wisigoth.l.VI.Tit.1.§.3.* Idem examinis genus *Frisionibus* in furtis servorum adhibitum: Si servus furti reus esse dicatur, dominus ejus in vestimento suo sacramentum

tum pro illo perficiat. Aut si res grandis erit, in reliquiis juret, aut servum ad judicium Dei in aqua ferventi examinet. Si quis in furto depræhensus fuerit, & ab ipso, qui eum depræhendit, furti arguatur, & negaverit, juret uterq; solus, & ad examinationem ferventis aquæ judicio Dei probandus accedat. Si verò is qui alium furem interpellavit, falsò eum calumniatus est, & in judicio ferventis aquæ fuerit convictus, LX. solidis manum suam redimat, *Lex Frisionum Tit.3.§.4.5.6.* Eadem Lex de homine in turba occiso sancit, ut singuli, qui homicidii illius suspecti sint, ferventi aqua innocentiam testentur, *Tit.14.§.3.*

Angliæ Reges, (quorum Leges ex sermone Anglo-Saxonico antiquissimo *Gulielmus Lambardus* superiori seculi Latinè vertit, *Abrahamus Weblocus* nostro edidit) pleriq; de *Ordalio* aliquid præceperunt. Iidem frequenter simplicis & triplicis Ordalii meminere. Videlicet ferrum quod gestabant, aut unius erat libræ, aut trium. Illud *Simplex,* hoc *Triplex Ordalium* nominabant. Ex pluribus nonnullas adducere juvat. *Edovardus* & *Guthrunus* Reges circa ann. CHr. 900. sanciunt, ut festis diebus nemo Ordalium ingrediatur, *Lege 9. Æthelstanus* Rex *Lege 4.* Si quis domino suo calamitatem struxisse accusetur, neq; id legitimè poterit inficiari, quin ipsa triplicis Ordalii sententiâ sceleris fuisse conscius coarguatur, capitale esto. *Idem* de sagis *Lege 6.* Sagæ, mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferi, si cui mortem intulerint, neq; id inficiari poterint, capitis pœna esto. Sin omni se criminis suspicione liberare conantes, ipsa triplicis Ordalii sententia in reos referantur, 120. dies in carcerem conjiciuntor &c. Modum etiam in Ordalio servandum idem Rex *Lege 23.* hunc præscribit: Qui se Ordalii quæstione examinandum obtulerit, triduò quam sit aggressurus, sacerdotem (ut is sacra de more peragat) adito, atq; interim pane, sale, aqua & holeribus tantummodo vescitor, missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusq; suum offerto. Sub ipso autem, quo est Ordalium ingressurus, die, panem Encharisticum sumito, ac jurejurando se illius, de quo appellatur, sceleris purum, minimeq; conscium jurato. Tum si aqua gelida faciunda est quæstio, ad sesqui ulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat candenti, per continuum triduum obsignanda non resignetur manus.

Edgarus Rex, qui anno 959. regnare cœpit, etiam de diebus Ordalii *Canone 24.* his verbis agit: Docemus etiam, ut festis diebus & in jejuniis nulla habeatur aut juramentorum aut Ordalii administratio. *Kanuti* Regis, qui anno 1016. ad regnum pervenit, *Lex 29.* est: Servus, si ipsa Ordalii sententia in reos referatur, primò mustus compungitor, atq; si secundò Ordalii quæstione examinatus culpæ reus fiat, alia quàm capitis pœna non esto. *Ejusdem* est *Lex 54.* Si quis saluti Regis aut Domini sui insidias tetenderit, vita & rebus suis omnibus plectitor, nisi quidem triplicis Ordalii quæstione crimen diluerit. De ritu Ordalii extat etiam *Lex 9. Edwardi Confessioris:* De his qui ad judicium ferri vel aquæ judicati sunt per justitiam Regis: Die illo, quo judicium fieri debet, veniat illuc minister Episcopi cũ clericis suis, & similiter justitia Regis cum legalibus hominibus provinciæ illius, qui videant, & audiant ut æquè omnia fiant, & quos Dominus per misericordiam suam, non per merita, salvare voluerit, quieti sint, & liberè recedant; & quos iniquitas culpæ, non Dominus dãnaverit, justitia Regis de ipsis justitiam faciat. Edvvardi leges confirmavit, qui ipsi ann. 1066. successit *Guilielmus*

Conqueſtor, & addidit: Decretum eſt etiam, ut ſi Francigena appellavit Anglū de perjurio, aut murdro, furto, homicidio, aut Ran, quod dicunt apertam rapinā, quæ negari non poteſt, Anglus ſe defendat, per quod melius voluerit, aut judicio ferri, aut duello. Si autem Anglus infirmus fuerit, inveniat alium, qui pro eo faciat. Si autem Anglus Francigenam appellaverit, & probare voluerit judicio aut duello, volo tunc Francigenam purgare ſe ſacramento, non ferro, *Lege 62.*

Plurima occurrunt hujus Examinis exempla à ſeculo quinto, usq; ad decimum tertium; nonnulla etiam recentiora. Quæ, ne Iliada poſt Homerum, prolixè hîc enarrare nolumus. Briccius, Epiſcopus Turonenſis, B. Martini ſucceſſor, ad ſcortationis crimen, quod ipſi objectum erat, diluendum carbones ardentes in byrro fert, eosq; corpori arctiùs admovet, circa ann. *445. Gregor. Turonenſ. l.II. Hiſtor. c.1.* Exemplum Chriſtiani, qui per annulum candentem veritatem fidei Chriſtianæ probat, enarrat idem *Gregor. Turon. de gloria Martyr. cap.13.* Villicus quiſpiam ferro fervente objecta ſibi à vicinis crimina retundit, *Annal. Franc. Fuldenſ. anno 858.* Popponis heroicum factum exponunt *Ælnothus in vita S. Canuti, c.1. Witichindus l.III. Ditmarus Epiſc. l.II. p.18. Adam. Brem. l.II. c.26. Saxo Grammat. l.X. Sigebert. Gemblac. anno 966. Albert. Stad. ann. 974. Joann. Meurſ. in Notis ad Ælnoth.* Carolus Calvus, Imperator factus, terras quasdam ad Rhenum, filiis Ludovici, Germaniæ Regis, fratris ſui, nuper defuncti, ablaturus, infeſto agmine anno *876.* contra eos movet. Ludovicus junior & ipſe copias ſuas educit. Antequam tamen res prælio committatur, Ludovicus ad Carolum XXX. viros mittit, quorum X. aqua fervente, decem frigidâ, & reliqui decem ferro candente docerent, terras illas jure hæreditario ad Ludovicum perveniſſe, nec Imperatorem ullo jure vendicare ſibi eas poſſe, *Aimoin. l.V. c.34. Chriſtoph.* Lehman *Chron. Spir. l.II. c.30.* De Gangolpho, cui uxor de adulterio ſuſpecta, *Baptiſta Fulgoſus l. VIII. c.1.* De Othonis III. uxore *Sifridus Presbyter l.I. ann. 988.* De Kunigunda, Henrici Sancti uxore, quæ per XII. candentes vomeres inceſſit, *Compilatio Chronologica, à Joanne Piſtorio edita, ann. 1025. Baptiſta Fulgoſ. ibid.* Welpho, Bavarorum Dux, Brunoni, Epiſcopo Auguſtano, innocentiam ſuam judicio aquæ frigidæ probat, *Conrad. Urſperg. in Lothario, p. 288. Gaſp. Bruſchius in Brunone.* Petrus, Albanenſis Epiſcopus, igneus dictus fuit, quia anno *1063.* per ſtructum ignem tranſiens demonſtraverat, Petrum, Florentinum Epiſcopum, eſſe Simoniacum, *Conrad. Urſperg. anno 1088. Baronius anno 1063. n.39.* De Monacho ſcortatore, anno *1097.* cùm Chriſtiani Antiochiam obſiderent, per ferrum ignitum explorato, *Guibert. Abbas Hiſtor. Hieroſ. l.IV. c.15.* De Coprete presbytero Chriſtianam religionem contra Manichæum per ignem aſſerente, *Vitæ Petrum in Coprete. f.52.* De Heleno Epiſcopo eandem contra Zaream Magum per ignem confirmante, *ibid. in Eugenia.* De hoc Heleno, vel Helle, *Hermias Sozomenus*: Φασὶ ἑλλῆν πλεῖςα παραδοξοποιεῖν. ὡς καὶ πῦρ ἐν τῷ κόλπῳ κομίζειν, καὶ μὴ καίειν τὴν ἐσθῆτα,

ἐσθῆτα, *lib. VI. Histor. Eccles. cap. 28.* PetrusBartholomæi, miles in ex peditione Ducis Bulionei, anno *1099.* Antiochiæ in templo lanceam ex terra eruerat, quam divina revelatione sibi commonstratam, eandemq; esse, qua latus Domini perforatum sit, fingebat. Ut narrationi fidem faceret, feria sexta ante Pascha per subjectos ignes transiit. Ita autem igni afflatus fuit, ut paucis pôst diebus moreretur. Ex quo lancea illa in minori veneratione esse cœpit, creditumq; est, hominem hunc à Raymundo Comite quæstus gratiâ subornatum fuisse, *Albert. Aquens. Chron. Hieros. l. V. c. 32. Wilhelm. Tyr. l. VII. c. 18. Werner. Rolewink, ætate 6. Magnum Chron. Belgicum, p. 130.* Nonnulli tamen magnopere hac lancea gloriantur, utpote cujus beneficio Christiani in Oriente hostes suos fuderint, ut *Lupoldus de Babenberg de Zelo Germ. Vet. Princip. c. 12.* & *Auctor de Investitura Episcopatuum, p. 815.* Rectè autem adjicit *Theodoricus de Niem*, hunc hominem divino judicio mendacem inventum esse. Christianus II. ComesOldenburgicus, ex Palæstina jam reversus, noctu interficitur circa ann. 1192. Percussores judicio XII. vomerum examinati, rotæ imponuntur, *Albertus Stadens. Krantz. Metrop. l. VII. c. 14. Herm. Hamelmann. part. II. c. 3.* De sacerdote, qui anno *1172.* ab hæreseos suspicione candentis ferri judicio se liberare jussus, *Godefrid. Monachus anno 1172.* Cum circa annum *1215.* multi utriusq; sexus homines suspicionem hæreseos incurrissent, Conradus de Marpurg, inquisitor Apostolicus, illos sine discrimine judicio candentis ferri subjiciebat. Fatetur autem *Trithemius*, illum multos innocentes cremasse, *Chron. Hirsaug. anno 1215.* Idem postquam hac laniena usq; annũ ad in 1233. sæviisset, occisus est, *Trithem. anno eodẽ.* MichaelComnenus apud Lascarim Imperatorem in suspicionem affectati regni, atq; propterea anno *1258.* in judicium adductus, cùm aliud quo innocentiam probaret, non haberet, petit â judice (is erat Arsenius Patriarcha) ut sibi ferrum candens manibus complecti, & prunas in sinum immittere liceat, *Georg. Phranza l. I. c. 1.* Adde Notas in h. l. *Jacobi Pontani.* Conqueritur Ekkehardus junior de sui temporis Presbyteris, quod fœminas nudatas aquis immergi impudicis oculis curiosi conspiciant, *De casib. monast. c 14.* De incendiario Wittenburgensi videatur *Krantz. Wand. l. IIX. c. 30.*

Alia exempla, & ceremoniæ variæ, ut exorcismi, precum formulæ, litaniæ, missarum solennitates, Eucharistiæ usus, itemq; alia, quæ tam in igneo, quàm aqueo probationis genere usurpata fuere, legantur apud Scriptores, qui ista omnia ex veterum Auctorum monumentis collegerunt, & partim prolixè de illis commentati sunt; in quibus *Avent. Annal. Boj. l. IV. p. 418. Melchior Goldast. Tom. II. Alamann. rer. p. 178. Martinus Delrio Disquisit. Mag. l. IV. cap. 4. sect. 2. 3. 4. Johann. Selden. in Analect. Anglo Britann. c. 8. Idem in Jano Anglorum l. II. leg. 67. Baron. anno 1063. n. 50. & seqq. Abrahamus Weblocus Glossario ad Leges Anglor. Frid. Lindenbrog Codice Legg. Antiq. p. 1299. & seqq. Zuinger. Theat. Vol. V. l. 4. Stephanius in lib. V. Saxonis.*

Undenam autem ista probationum

genera ad Chriſtianos deveniſſe dicemus? Gentiliũ ne ſuperſtitionem an Iſraelitarũ divinos ritus imitari Chriſtianos voluiſſe cenſebimus?In aqueoIſraeliticam illam de Zelotypiæ poculo divinã conſtitutionem *Num.V.v.11.* æmulari voluiſſe videntur. Igneum autem à gentilibus ad Chriſtianos derivatum videri poſſit. Sanè nuncius, qui Creonti Thebarum Regi Polynicem, quem Rex inſepultum abjici juſſerat, terrâ tamẽ clam à cuſtodibus obtectum referebat, cùm vehementius Regem irâ commotum ſentiret, ſeq; & ſocios ultro excuſare vellet, inquit:

ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνειδέναι
τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ,

Sophocles in Antigone. Μύδρους *Scholiaſtes Græcus* ibi explicat per σίδηρον πεπυρακτωμένον, & addit: εἰώθασι γὰρ οἱ ὀμνύοντες ταῦτα ποιεῖν. μύδρους γὰρ αἴροντες ἐπαρῶνται μένειν τὰ ὅρκια, ἕως αὐτοὶ φανῶσι, καὶ ῥίπτουσι αὐτοὺς εἰς θάλασσαν, ὅπως οὖν αἰώνια τὰ ὅρκια ὑπάρχῃ. ὡς καὶ Καλλίμαχος Φωκείων, μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος. καὶ τὸ πῦρ δὲ διαπορευόμενοι ὄμνυον. Ἄλλως. ἕτοιμοι ἦμεν πάσας βασάνους ὑπομένειν πρὸς ἔλεγχον. εἰώθασι δὲ ὀμνύοντες καὶ πίστεις διδόντες, μύδρους βαστάζειν, καὶ πῦρ ὑπερβαίνειν. τοὺς γὰρ μὴ ἐνόχους τῷ ἁμαρτήματι, ᾤοντο καὶ ἐν τούτοις μὴ ἀλγεῖν. Alii exiſtimant, veteres illos Chriſtianos igneum examen è SS. Bibliis, minus rectè intellectis, exſtruxiſſe. Nam in precibus, quibus ferrum ignitum conſecrabant, frequenter ad exempluũ Sadraci, Meſaci & Abendnegonis, *Dan.III.* provocant, ut videre licet apud *Lindenbrogium.* Frequenter etiam DEUS Opt. Max. ineffabilem ſuam præſentiam in igne tanquam in re divinitati conſentanea oſtendit. Quid? quod ignis adeo analogicè naturam Dei exprimat, ut Moſes inter cætera Deo ſacrata nomina etiam אֵשׁ ponat. *Deut.IV. v.24.* Qua de re copioſè *Joh. Reuchlinus de Verb.Mirif.l.II.cap.16.* Sed de utriusq; examinis origine affert quædam *Joann. Seldenus, locis ſupra laudatis,* quò lectorem remitto.

Sublatæ tandem ſunt ſuperſtitioſæ hæ purgationum ſpecies; de quo *Melchior Goldaſt.Alamann. rer. Tom.I in cap. 14. Ekkehardi, & Joachimus Vadianus de Colleg. l. I.* Imò ipſe Carolus M. examen aquæ frigidæ ſuſtulit, quòd videret, illud nullo Dei mandato niti, cùm ille ita: Jubemus, ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à miſſis noſtris interdicatur, ne ulterius fiat; *Conſtitut. Caroli M. c. 25.* Carolo & Ludovico Pio σύγχρονος *Agobardus,* Epiſcopus Lugdunenſis, ſcripto contra inveteratam & legibus confirmatam conſuetudinem decertare non dubitavit, cujus illa eſt inſcriptio: *Liber de divinis ſententiis digeſtus, contra damnabilem opinionem putantium divini judicij veritatem igne vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.* Ita autem inter cætera Agobardus: Si Deus Judicii veritatem, in rebus latentibus per mutuas cædes inveniri voluiſſet, aut permiſiſſet, nec Judices aut Magiſtros per ſingulas urbes conſtitui præ-

cepisset, nec testibus inficiantes convinci, nec ubi testes desunt, controversiam per jusjurandum finiri. Et post pauca: Neq; sanctus & innocens vir David persecutori suo Saul, diceret: Si Deus te incitat contra me, odoretur sacrificiũ, *1.Sam.26.19.* Sed potius diceret: Mitte unum de tuis, qui congrediatur mecum singulari certamine, & probet me reum tibi esse, si occiderit: aut certe: Jube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæsus attrectem: aut constitue cruces, ad quas stans immobilis perseverem. Cùm autem nihil tale lex divina vel etiam humana sanxerit, & vani homines nominent ista Judicium Dei, unde probari potest Judicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit, nunquam voluit, nunquam deniq; sanctorum & quorumlibet fidelium exemplis introductum monstratur. Hactenus ille.

Hinc Carolus IV. in Bohemiæ regno omne hoc genus explorationis, quod fit ferro candente & aqua frigida, removit. *Constitutiones Carolinæ rubr.39.* Illud quis non abs re miretur, quòd, cùm cœleste Numen nullum de hoc examine instituendo mandatum dederit, tamen crebrò per illud aut culpæ aut innocentiæ testimonium præbuerit. Respondet *Hugo Grotius Prolegom. ad Histor. Gothor.* quia Deo simplicitas præ argutiis placuerit, ipsum vim suam mirificam accommodasse innocentium populorum legibus, qui innocentiam singulorum tactu ignitorum vomerum explorabant.

Lucelenburg. e) Attenborg & Ratekow. *Herm. de Lerb.*

CAPUT LXXXIV. (LXXXV.)

1. Kanutus Waldemaro in partes suas pertracto Suenonem pello petit.
2. Sueno in Saxoniam fugit, & biennium exulat. - - - 1153.
3. Imperator Bavariam Henrico ademtam Leoni reddit. 1156.
4. Leo Suenonem in Daniam reducit; sed irrito conatu.
5. Sueno à Nicloto adjutus, in Daniam navigat, & ab incolis recipitur.
6. Sueno, Kanutus & Waldemarus regnum inter se dividunt.
7. Sueno Kanutum in convivio regia interficit: Waldemarus elabitur. - - - - - 1156.
8. Sueno in prælio contra Waldemarum cadit. - - - 1156.
9. Waldemarus Adolphum amicitiâ sibi jungit.

Dani semper bellis laborantes domesticis, ad forinseca bella nullam habuere virtutem. Nam Suein Danorum Rex & victoriarum prosperis successibus, & Cæsaris authoritate firmatus in regnum, gente sua crudeliter abusus est, propter quod ulciscente Deo, novissima ejus infœlici exitu conclusa sunt. Videns autem Kanutus æmulus ejus, murmur populi adversus Suein, misit & vocavit Waldemarum, qui fuit patruelis & adiutor Suein, & sociavit eum sibi, data ei sorore in conjugio. Certior ergo factus de auxilio ejus, innovavit adversus Suein consilia mala. Cúm ergo esset Suein Rex in Seland, venerunt improvisi cum exercitu Kanutus & Waldemarus, ut debellarent eum. Ille ergo propter crudelitatem suam desertus ab omnibus, quia non habuit vires confligendi, cum uxore & familia sua fugit ad mare, & trans- 2

ſretavit in Aldenburg. Quo recognito, Comes Adolfus vehementer extimuit eventum, virum ſcilicet potentiſſimum, cujus frenum in maxillis populorum omnium Borealium nationum, repente dejectum. Cupienti ergo tranſire per terram ſuam multam exhibuit Comes humanitatem, divertitque in Saxoniam ad ſocerum ſuum Conradum, Marchionem de Within, & man-
3 ſit illic annis ferè duobus. In tempore illo Dux noſter Henricus adiit curiam Ratiſponæ ad recipiendum ducatum Bavariæ. Siquidem Frethericus Cæſar eundem ducatum patruo ſuo abſtulit, & reddidit Duci noſtro, eo quòd fidelem eum in Italica expeditione & cæteris negociis regni perſenſerit. Et creatum eſt ei nomen novum, Henricus Leo, Dux Bavariæ & Saxoniæ. Per-
4 actis ergo rebus ad votum, Ducem curia redeuntem, adierunt Principes Saxoniæ, interpellantes ut fieret Suein auxilio, & reduceret eum in regnum ſuum. Promiſitque duci Suein pecuniam immenſam. Collecta ergo maxima militia dux noſter hyemali tempore reduxit Suein in Daniam, & ſtatim apertæ ſunt ei civitates Sleſwich & Ripa. Non tamen ultra proſperari poterant in negocio. Nam Suein gloriatus fuerat ſæpiſſimè apud Ducem, quia venientem ſe cum exercitu Dani ultrò eſſent excepturi. Quod juxta ſententiam ejus minimè ceſſit. Nullus enim in tota Danorum terra fuit, qui reciperet eum, aut occurreret illi. Sentiens ergo ille, refragari ſibi fortunam, & omnes refugere à ſe, dixit ad Ducem: Caſſus eſt labor noſter, melius eſt, ut redeamus. Quid enim prodeſt, ſi vaſtaverimus terram, & ſpoliaverimus innocentes? Volentibus nobis cum hoſtibus confligere, locus non eſt, eo quòd profugiant à nobis, & tranſeant ad interiora maris. Acceptis ergo obſidibus duarum ci-
5 vitatum, exierunt Dania. Tunc Suein alia via & conſilio utens ſtatuit tranſire ad Slavos, & utens diverſorio Comitis Lubike, tranſiit ad Niclotum Principem Obotritorum. Præcepitque Dux Slavis in Aldenburg, & in terra Obotritorum, ut adjuvarent Suein. Acceptisque navibus paucis, venit pacificus in Lalande, & invenit eos gratulantes de introitu ipſius, eo quòd ab initio fuerint ei fideles. Inde tranſiit in Feoniam, & addidit eam ſibi. Dehinc procedens in reliquas inſulas minores, donis atque promiſſis addidit ſibi quàm
6 plurimos, cavens inſidias, & contutans ſe in locis firmiſſimis. His ergo recognitis, Kanutus atque Waldemarus venerunt cum exercitu, ut expugnarent Suein, & ejicerent eum de terra. At ille conſederat in Lalande, paratusque ad reſiſtendum, ſimul etiam adjutus firmitate locorum, mediante Domino Helia, Pontifice de Ripa, & principibus utriuſque partis, diſcordiæ ad pacem inclinatæ ſunt, & diviſum eſt regnum in tres partes. Et data eſt Waldemaro Iuthlande, Kanuto Seland, Suein Scone, quæ viris & armis præſtan-
tior

tior esse probatur. Cæteras insulas minores partiti sunt cuilibet pro sua opportunitate. Et ne pactiones irritarentur, juramentorum adhibita sunt sacramenta. Post hęc (a) Kanutus & Waldemarus fecerunt convivium maximum in 7
Selande, in civitate, quæ dicitur Roschilde, & invitaverunt cognatum suum Suein, ut exhiberent ei honorem & recreationem, & consolarentur eum super omnibus malis, quæ irrogaverunt ei in die hostis & belli. At ille pro ingenita sibi crudelitate, ubi convivio assedit, & vidit reges convivas impavidos, & omni suspicione vacuos, cœpit rimari aptum insidiis locum. Tertia ergo die convivii, cùm jam tenebræ noctis adessent, annuente Suein, allati sunt gladii, & insilientes regibus incautis, Kanutum repentè confodiunt. At ubi percussor levavit ictum in caput Waldemari, ille fortius exiliens, lumen excussit, & saluante Deo, in tenebris elapsus est, uno tantùm vulnere saucius.
Fugiens ergo in Iuthlande, universam commovit Daniam. Tunc Suein con- 8
traxit exercitum de Selande, & insulis maris, & transfretavit in Iuthlande, ut expugnaret Waldemarum. At ille producto exercitu, occurrit ei in manu valida, & commissum est prælium non longè à Wiberge, & occisus est Suein in die illa, & omnes viri ejus pariter, & obtinuit Waldemarus regnum Danorum, & factus est moderator pacis, & filius pacis. Et cessaverunt intestina prælia, quibus multis annis laboraverat Dania. Et composuit amicitias cum 9
Comite Adolfo, & honoravit eum, secundum quod reges fecerunt, qui ante eum fuerunt.

Post hæc. a) *Saxo Grammat. l. XIV. Pontan. l. V. ann. 1153. Joh. Adolph. Cypræus, l. I. c. 25.*

CAPUT LXXXV. (LXXXVI.)

1. Lubeca prima vice conflagrat. 1156.
2. Cives à Duce alium locum novæ urbi condendæ petunt.
3. Dux fundamenta urbis Lewenstadt *ad Wakenissam fl. ponit.*
4. Obtinet ab Adolpho Lubecam, eamq; instaurat. - - 1158.
5. Exteros ad commercia urbis vocat.
6. Dat jura civibus.

IN diebus illis Lubicensis civitas consumpta est incendio. Et miserunt insti- 1
tores & cæteri habitatores urbis ad Ducem, dicentes, diu est, ex quo inhibi- 2
tum est forum Lubike, autoritate jussionis vestræ. Nos autem hactenus detenti sumus in civitate hac, spe recuperandi fori, in beneplacito gratiæ vestræ: sed nec ædificia nostra multo sumptu elaborata nos abire sinebant. Nunc vero consumptis domibus, supervacuum est reædificare in loco, ubi

 non

non finitur esse forū. Da ergo nobis locū construendi civitatem, in loco qui tibi placuerit. Rogavit ergo Dux Comitem Adolfum, ut permitteret sibi portum & insulam in Lubike. Quod ille facere noluit. Tunc ædificavit Dux civitatem novam super flumen Wochenicze, non longe à Lubike, in terra Racesburg, cœpitq; ædificare & communire. Et appellavit civitatem de suo
4 nomine Lewenstat, quod dicitur, Leonis civitas. Sed cùm locus ille minus esset idoneus & portu & munimento, nec posset adiri, nisi navibus paruis, Dux iterato sermone cœpit convenire Comitem Adolfum, super insula Lubicensi & portu, multa spondens, si voluntati suæ paruisset. Tandem victus Comes, fecit quod necessitas imperabat, & resignavit ei castrū & insulam. Et tunc, jubente Duce, reversi sunt mercatores cū gaudio, desertis incomōdita-
5 tibus novæ civitatis, & cœperunt reædificare Ecclesias & mœnia civitatis. Et transmisit Dux nuncios ad civitates & regna aquilonis, Daniam, Suediam, Norwegiam, Ruziam, offerens eis pacem, ut haberent liberum commeatum
6 adeundi civitatem suam Lubeke. Et statuit illic monetam & teloneum & jura civitatis honestissima. Ab eo tempore prosperatum est opus civitatis, & multiplicatus est numerus accolarum ejus.

CAPUT LXXXVI. (LXXXVII.)

1. *Barbarossa expeditionem in Italiam suscipit. - - - 1158.*
2. *Henricus L. illum secuturus, cùm Waldemaro Rege, ad se vocato, fœdus renovat.*
3. *Slavis, ne Daniam per absentiam suam infestent, interdicit.*
4. *Adolphus Comes Niclotum per legatos sibi conciliat.*
5. *Henricus L. in Italiam progreditur.*
6. *Leo & Adolphus expugnationi Cremæ intersunt; quæ capitur VI. Kal. Febr. - - - 1160.*
7. *Adolphus in Angliam proficiscitur.*
8. *Slavi prædas agunt ex Dania.*
9. *Episcopus Regem Daniæ mitigat.*
10. *Rex apud Ducem reversum Slavos violatæ pacis accusat.*
11. *Henricus L. Slavos proscribit.*
12. *Niclotus ideo Lubecam strategemate occupare studet.*
13. *Insidiæ per Athelonem sacerdotem irritæ redduntur.*
14. *Dux firmius præsidium urbi imponit.*

1 HIs(a) fermè diebus accersivit fortissimus Cæsar Frethericus omnes Prin-
2 cipes Saxoniæ in obsidionem Mediolanensis civitatis. Opus ergo fuit Ducem nostrum negociis publicæ rei solenniter adesse. Qua propter cœpit sopire discordias, quæ erant intra ducatum, sapienter præcavens, ne tumultus aliquis consurgeret in principum cæterorumq; nobilium absentia. Transmissis autem nunciis, vocavit regem Danorum Waldemarum ad colloquium & junxit cum eo amicitias. Et rogavit Rex Ducem, ut faceret sibi pacem de Slavis,

Slavis, qui sine intermissione vastabant regnum ejus, & pactus est ei amplius
quàm mille Marcas argenti. Quamobrem præcepit Dux Slavos in præsenti- 3
am suam venire, Niclotū scilicet & cæteros, & astrinxit eos præcepto & jura-
mento, ut servarent pacem tam Danis quàm Saxonibus usque ad reditum
suum. Et ut pactiones ratæ essent, jussit omnes piraticas naves Slavorum per-
duci Lubike, & nuncio suo præsentari. At illi propter solitæ temeritatis au-
sum, & vicinitatem Italicę expeditionis, paucas admodum naves, & easdē ve-
tustissimas obtulerunt, iis quę bello aptæ erant, callidè retentis. Igitur Comes, 4
per manum seniorum terræ Wagirensis, Marchradum scilicet, & Hornonem,
convenit Niclotum, & exegit ab eo cum benevolentia, ut fidem terræ suæ ex-
hiberet illibatam. Quod ille fide digna complevit. In hunc modum rebus 5
compositis, profectus est Dux in Longobardiam, cum mille, ut ajunt, lo-
ricis, habens in comitatu suo Adolfum Comitem, & multos nobiles Bavariæ
atq; Saxoniæ. Et pervenerunt ad exercitum Regis, qui obsederat præsidium 6
quod dicitur Crumne, pertinens ad Mediolanenses, munitum valde. Et
morati sunt toto penè anno in expugnatione præsidii, feceruntq; machinas
multas, & ignium jaculationes. Novissimè expugnato præsidio, Cæsar con-
vertit exercitum ad Mediolanum, Dux vero accepta licentia, reversus est in
Saxoniam. At Comes Adolfus, rogatus ivit in Angliam, cum cognato suo 7
Domino Reinoldo, Coloniensi electo, qui functus est legatione publica ad
regem Anglorum. Et contristati sunt tam Clerus quàm populus terræ no-
stræ, propter diutinam absentiam boni Patroni. Slavi enim de Aldenburg 8
& Mikilinburg, compotes sui propter absentiam Principum, violaverunt pa-
cem in terra Danorum: fuitque terra nostra in tremore à facie regis Dano-
rum. At noster Episcopus Geroldus, tum per se tum per nuncios iram regis 9
mitigare studuit, induciis tempus redimēs usque ad adventum Ducis & Prin-
cipum. Redeunte argo Duce & Comite, præfixum est colloquium provincia- 10
le omnibus Marcomannis, tam Teutonicis quàm Slavis, in loco qui dicitur Be-
renuordæ. Rex quoque Danorum Waldemarus venit usque ad Ertheneburg,
& conquestus est Duci omnia mala, quæ intulerant sibi Slavi prævaricatores
mandati publici. Et timuerunt Slavi venire in præsentiam Ducis, eò quòd cul- 11
pæ suæ essent conscii. Et dedit eos Dux in proscriptionem, & fecit omnes suos
paratos esse ad expeditionem tempore messis. Tunc Niclotus videns ani- 12
mum Ducis contra se fixum in malum, proposuit primum irrumpere Lubeke,
& misit filios suos eò cum insidiis. Eo autem tempore habitavit Lubeke sacer- 13
dos quidam venerabilis nomine Athelo (b), hujus domus vicina erat ponti,
qui

qui transmittit flumen Wochenicze versus Austrum. Is fortè parari fecerat fossam longissimam ad conducendum rivum, qui erat longiusculè. Insidiæ ergo Slavorum festinantes ut præciperent pontem, impediti sunt fossa: passiq; sunt errorem in quærendo transitu. Quod videntes ii, qui erant de domo sacerdotis, clamaverunt voce validiori, & conterritus sacerdos, occurrit valenter ex adverso. Exercitus verò jam erat in medio pontis, & portam penè apprehenderat, sed celerrimè missus à Deo sacerdos, pontem de catena levavit, & in hunc modum exclusa sunt latenter subinducta pericula. Quo audito, Dux posuit illic custodiam militum.

His. a) Expeditio hæc Friderici I. in Italiam anno 1158. suscepta est. Comitati sunt statim Imperatorem, Franci, Saxones, Ribuarii, Burgundiones, Bajoarii, Boemi, Ungari, & aliæ nationes Germanicæ. Henricus Leo militibus conscribendis, commeatuq; comparando detentus non actutum cum Imperatore iter ingressus, sed anno sequenti, 1159. cum Beatrice, Imperatoris conjuge, & Conrado, Episcopo Augustano, secutus est. *Radevic. de gestis Friderici I. lib. I. c. 25. l. II. c. 38. Cyriac. Spangenb. Chron. Mansfeld. cap. 226.* Laborabant tunc mutua discordia Cremonenses & Mediolanenses. Crema urbs, pars agri Cremonensium, ab his defecerat, & Mediolanensibus se junxerat. Hinc semina belli inter Cremonam & Cremam. Cremonenses, qui jam amico Imperatore utebantur, ab eo contendunt, ut ipse exercitum Cremæ admoveat, & expugnatam destruat. Imperator partem exercitus Cremonensibus jungit, & ad expugnandam Cremam mittit. *Radevic. l. II. c. 39. 40.* Ipse interim cum altera parte exercitus Ligures, socios Mediolanensium, vastat, & Idibus Julii Mediolanenses, stratagemate bellico ad pugnam extra mœnia evocatos, ex insidiis adortus magna clade afficit. Tum ut Cremenses, qui eruptionibus multa damna obsidentibus inferebant, arctiùs obsiderentur, Cremæ reliquam etiam partem exercitus admovet. *Idem cap. 42. & 44.* Sextus jam mensis erat, ex quo civitas obsessa fuerat, cùm Imperator omnibus viribus oppugnationem urbis adgreditur: multi utrinq; cadunt: donem tandem obsessi ita ex machinis bellicis affligerentur, ut desperatis rebus de pace agere cuperent, Peregrino Aquileiensis ecclesiæ Patriarchia & Henrico Leone ad colloquium expetitis. *c. 60.* Tum VI. Kal. Febr. 1160. in eam conditionem incolumes dimittuntur, ut, quantum quisq; humeris exportare posset, secum aufferret. Egrediuntur ad XX. millia hominum, & urbs Vulcano traditur. *c. 62. Guntherus in Ligurino lib. X. Paull. Merula* de Cremona & Crema, *part. II. l. 4. c. 35.*

Athelo. b) Athelo hic propter egregium istud facinus primus Præpositus Ecclesiæ Lubecensis factus est. *infra cap. 89. n. 3.* Nomen habet è Germanico **Edel.** Hinc & Ethelerus, Dux copiarum Suenonis Regis, *supra c. 67. n. 8.* Multa hinc veteres fecere nomina. Sic *Ethela*, Kanuti uxor, filia Roberti, Flandriæ Comitis, à nobilitate nomen habet *Ælnotho de vita S. Kanuti c. 8.* quæ *Adala* Anonymo *Dan.*

rer.

rer. scriptori dicitur, *cap. 8.* Rex Edgarus *Etheling*, in *Legg. Edwardi Reg. Angl.* Item Rex Edmundus *Etheling*, qui *Athelstano* anno 940. successit, *Chronologia Anglo-Saxonica*, à *Webloco* Latina facta, anno 937. & 940. Item *Athelmodus* presbyter, ibidem anno 960.

CAPUT LXXXVII. (LXXXVIII.)

1. *Henricus Leo in Obotritos movet. - - - - - - 1162.*
2. *Niclotus arces suas ipse incendit.*
3. *Ex arce Werla excursiones facit.*
4. *Filios, cladem passos, ignaviæ incusat.*
5. *Incautius pabulantium catervam adortus cæditur.*
6. *Filij ejus Werlam ipsi incendunt.*
7. *Dux Suerinum instaurat, & Guncelinum cum præsidio ibi collocat.*
8. *Filij Nicloti Duci reconciliati, Kissinos ac Circipanos recipiunt.*
9. *Obotritorum terram Dux inter militiæ suæ Præfectos distribuit.*
10. *Mechlenburgensibus Bernonem Episcopum dedit.*
11. *Privilegium Episcopos per Slaviam subjugatam investiendi ab Imperatore obtinet.*
12. *Episcopi ei jurant.*
13. *Slavi reliqui Episcopis reditus solvere jubentur.*
14. *Germani in Slavorum Obotritorum terras introducuntur.*

POst hæc intravit Dux Henricus terram Slavorum in manu valida, & vastavit eam igne & gladio. Et videns Niclotus virtutem Ducis, succendit o- 1
2
mnia castra sua, videlicet Ilowe, Mikilinburg, Zuerin, & Dobin, præcavens obsidionis periculum. Unum solum castrum sibi retinuit Wurle, situm jux- 3
ta flumen Warnou, prope terram Kicine. Inde exibant per singulos dies, & explorabant exercitum Ducis, & percutiebant de insidiis incautos. Una er- 4
go dierum, dum exercitus moraretur prope Mikilinburg, egressi sunt ad nocendum filii Nicloti, Pribizlaus & Wertizlaus, & percusserunt quosdam de castris, qui exierant ad frumentandum. Quos insecuti fortiores de exercitu, comprehenderunt multos eorum, fecitque Dux eos suspendio affici. Filii autem Nicloti, amissis equis & viris melioribus, venerunt ad patrem. Quibus ille dixit: Ego quidem æstimabam, me viros enutrisse, sed isti mulieribus fugaciores sunt. Egrediar ergo ipse, & experiar si fortè majora promovere possim. Et exiit cum electorum numero, & collocavit insidias in latibulis pro- 5
pe exercitum. Tunc exierunt pueri de castris ad conquirendum pabulum, & venerunt prope insidias. Porrò milites venerant intermixti servis numero quasi sexaginta, omnes induti loricis sub veste intrinsecus. Quod non adver-

tens Niclotus,equo velocissimo perlatus est inter eos,conatus quendam perfigere. Sed lancea pertingens ad loricam, casso ictu, resiliit. Volens ergo ad suos reverti,circumuentus subito atq; trucidatus est,nemine suorum ipsi prę-sidium ferente. Caput ejus recognitum, in castra perlatum est, non sine admiratione multorum, quòd tantus vir,tradente Deo, de omnibus suis solus
6 ceciderit. Tunc filii ejus audita morte patris, succenderunt Wurle,& occul-
7 taverunt se in nemoribus, familias verò suas transtulerunt ad naves. Dux ergo demolitus omnem terram, cœpit ædificare Zuerin, & communire castrum. Et imposuit illic nobilem quendam Guncelinum, virum bellicosum
8 cum militia. Post hæc redierunt filii Nicloti in gratiam Ducis, & dedit eis
9 Dux Wurle,& omnem terram. Porrò terram Obotritorum divisit militibus suis possidendam. Et collocavit in castro Cuscin,Ludolfum quendam,Advocatum de Brunswich.Apud Melicou(a),fecit esse Ludolfum de Paina. Zuerin & Ilinburg,Guncelino commendavit. Porrò Mikilinburg dedit Henrico cuidam nobili de Scaten,qui etiam de Flandria adduxit multitudinem populo-
10 rum, & collocavit eos Mikilinburg, & in omnibus terminis ejus. Et posuit Dux Episcopum in terra Obotritorum Dominum Bernonem, qui defuncto Emmehardo,Magnopolitanæ præsedit Ecclesiæ. Porrò Magnopolis ipsa est Mikelenburg. Et subscripsit in dotem Magnopolitanæ Ecclesiæ trecentos
11 mansos, sicut antea fecerat Racesburgensi & Aldenburgensi Ecclesiæ. Et facta postulatione, obtinuit apud Cæsarem autoritatem Episcopatus suscitare,dare,& confirmare in omni terra Slavorum,quam vel ipse vel proge-
12 nitores sui subjugaverint in clypeo suo & jure belli. Quamobrem vocavit Dominum Geroldum Aldenburgensem, Dominum Euermodum Racisburgensem,DominumBernonenm Magnopolitanum, ut reciperent ab eo dignitates suas, & applicarentur ei per hominii exhibitionem, sicut mos est fieri Imperatori. Qui licet hanc impositionem difficilimam judicarent, cesserunt tamen propter eum,qui se humilitavit propter nos,& ne novella ecclesia caperet detrimentum. Et dedit eis Dux privilegia de possessionibus, & de ju-
13 sticiis. Et præcepit Dux Slavis,qui remanserant in terra Wagirorum,Polaborum,Obotritorum, Kycinorum, ut solverent reditus episcopales, qui solvuntur apud Polonos atq;Pomeranos,hoc est,de aratro tres modios siliginis, & duodecim nummos monetæ publicæ. Modius autem Slavorum, vocatur lingua eorum Curitze.PorròSlavicũ aratrum perficitur duobus bobus & toti-
14 dem equis. Et auctæ sunt decimationes in terra Slavorum,eo quòd confluerent de terris suis homines Teutonici ad colendam terram spaciosam, fertilem

lem frumento, commodam pascuorum ubertate, abundantem pisce & carne & omnibus bonis.

Melicou. a) Vitiosè editum erat *Melicon*. Intelligi autem Malkovv, ex collatione *capitis 92. n. 20.* satis clarum est. In *MS. L.* est *Milicou*.

CAPUT LXXXVIII. (LXXXIX.)

1. *Albertus Ursus, Marchio, Brizanos & Stoderanos domat.*
2. *In Slavorum paulatim deficientium locum Rhenanos & Belgas immittit.*
3. *Etiam loca ad Albim versus Austrum Hollandis concessa.*
4. *Hæc loca quondam, ante Slavorum accessum, Saxones tenuerant.*

IN tempore illo Orientalem Slaviam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Ursus, qui etiam propicio sibi Deo, amplissimè fortunatus est in funiculo sortis suæ. 1 Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumq; gentium habitantium Havelam & Albiam, misit sub jugum, & infrenavit rebelles eorum. Ad ultimum, deficientibus sensim Slavis, misit Trajectum 2 & ad loca Rheno contigua, insuper ad eos, qui habitant juxta Oceanum, & patiebantur vim maris, videlicet Hollandos, Selandos, Flandros, & adduxit ex eis populum magnum nimis, & habitare eos fecit in urbibus & oppidis Slavorum. Et confortatus est vehementer ad introitum advenarum Episcopatus Brandenburgensis nec non Havelbergensis, eo quòd multiplicarentur Ecclesiæ, & decimarum succresceret ingens possessio. Sed & australe littus 3 Albiæ ipso tempore cœperunt incolere Hollandienses advenæ, ab urbe Saleveldele (a), omnem terram palustrem atq; campestrem, terram quæ dicitur Balsemerlande (b), & Marscinerlande, civitates & oppida multa valde, usq; ad Saltum Bojemicum possederunt Hollandri. Siquidem has terras Saxones 4 olim inhabitasse feruntur, tempore scilicet Ottonum, ut videri potest in antiquis aggeribus, qui congesti fuerant super ripas Albiæ in terra palustri Balsamorum, sed prævalentibus postmodum Slavis, Saxones occisi, & terra à Slavis usq; ad nostra tempora possessa. Nunc verò quia Dominus Duci nostro, & cæteris Principibus salutem & victoriam large contribuit, Slavi usquequaq; protriti atq; propulsi sunt, & venerunt adducti de finibus Oceani populi fortes & innumerabiles, & obtinuerunt terminos Slavorum, & ædificaverunt civitates & Ecclesias, & increverunt divitiis super omnem æstimationem.

Saleveldele. a) *Rein.Reineccius* putat rectius legi *Soltwedel*, *Notat. in Monach.Pegav.* Accedit, quod *MS. L.* legit *Soltw.* & *MS. D.* integrè *Soltwedel.*

Balsemerl. b) Balsamorum terra non est Holsatia, ut falso *Brotufius* & *Elias Reusnerus* existimant; sed idem territorium, quod hodie etiamnum in Marchia veteri hoc nomine venit, das Balsamer-land/aut Balsamer weichbild/ à fluvio Balsamo, qui in agris collectus in alterum amnem Uchtham infra Stendaliam se exonerat. *R. Reinecc. ibid.*

CAPUT LXXXIX. (XC.)

1. Ad preces Geroldi Henricus L. Episcopatum Aldenburgensem Lubecam transfert.

2. Canonicis decimas, reditus & villas assignat.

3. Ethelo primus Præpositus.

1 Circa id temporis rogavit Dominus Geroldus Episcopus Ducem, ut sedes cathedralis, quæ antiquitus erat Aldenburg, transferretur Lubeke, eo quòd civitas hæc esset populosior, & locus munitior, & omni prorsus aptitudine commodior. Quod cùm placuisset Duci, condixerunt diem, quo venirent Lubeke, ordinaturi de statu Ecclesiæ & Episcopatus. Et designavit Dux locum in quo fundari deberet Oratorium, in titulum Matricularis ecclesiæ, & areas claustrales, & statuerunt illic præbendas duodecim Clerico-
2 rum canonicè viventium. Porrò tertiadecima Præpositi est. Et dedit Episcopus in stipendia fratrum decimas quasdam, & tantum de reditibus, quos solvit Slavia, quantum præbendis sufficeret perficiendis. Et designavit Comes Adolfus villas opportunas prope Lubeke, quas statim Dux obtulit in usum fratrum, & de teloneo cuilibet fratrum, & de teloneo cuilibet fratrum duas marcas Lubicensis monetæ: insuper alia quæ privilegiis conscripta sunt, &
3 in Lubicensi continentur Ecclesia. Et posuerunt illic præpositum, Dominum Ethelonem, cujus in pagina superiori memoria est cum laude.

Translatio hæc facta anno 1163. *Herm. de Lerb. Johan. Ruff. Chron. Lub. MS.* Errat *Franciscus Irenicus*, scribens, illam anno 1155. factam esse, *Exeg. Germ. l. III. c. 41.* Error inde ortus, quòd Geroldus, primus Episcopus Lubecensis, illo anno ad Episcopatum introductus est. *Supra c. 82. n. 7.*

CAPUT XC. (XCI.)

1. Schisma inter Alexandrum III. & Victorem IV. ortum, dat turbas in Imperio.

2. Cæsar stat à partibus Victoris: pleraque Christiani nominis regna Alexandrum fovent.

3. Cæsar imperio pellit, qui Alexandro adhærebant.

4. Mediolanum capit & exscindit. - - - - - 1162.

5. Tollen-

5. Tollendo schismati conventum Regum & Principum indicit. 1163.
6. Rex Galliæ lavat in ponte manus, & recedit. - - - - 1163.
7. Imperator frustra illum revocat.

IN circulo dierum istorum, defuncto (a) Adriano Papa, ortum est schisma (b) 1
in Ecclesia Dei, inter Alexandrũ, qui & Rolandus, & Victorem, qui est Octavianus. Cùm ergo Cæsar expugnaret Mediolanum, venit ad eum Victor in 2
castra, quæ erant apud Papiam, & recepit eum. Adunatoq; concilio, receperunt eum Reinoldus Coloniensis, & Conradus Moguntinus electi, & omnes quos imperialis aut timor aut favor agebat. Porrò Alexandrũ recepit Hierosolymitana ecclesia & Antiochena, præterea omnis Frãcia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia regna quæ sunt ubiq; terrarum. Insuper Cisterciensis (c) ordo eidem universus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi, & Episcopi quam plures & Abbates amplius quàm septingenti, & Monachorum inæstimabilis numerus. Hi singulis annis celebrant conciliũ apud Cistercium, & decernunt ea quæ utilia sunt. Horum invincibilis sententia vel maximas vires addidit Alexandro. Quamobrem iratus Cæsar, proposuit edictum, ut omnes Monachi 3
Cisterciensis ordinis, qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu est, quot patres, quanti Monachorum greges, relictis sedibus suis, transfugere in Franciam. Pontifices etiam quãplures, sanctitate insignes, in Lõgobardia, & in universo regno, Principis violẽtia sedibus suis pulsi, & alii superpositi sunt in locum illorum. Post- 4
quã ergo transierunt obsidionis quinq; vel eo amplius añi, Cęsar obtinuit (d) Mediolanum, & ejecit habitatores ejus ex illa, & destruxit omnes turres ejus, Ecclesias & muros civitatis adæquavit solo, & posuit eam in solitudine. Tunc elevatum est cor ejus nimis, & timuerunt omnia regna terrarum ad famam nominis ejus. Et misit ad Regem Franciæ Ludovicũ, ut occurreret sibi ad col- 5
loquium apud Laonã (e), quæ est in terra Burgundionum, juxta Ararim (f) fluvium, ad redintegrandum unitatem Ecclesiæ. Et annuit Rex Franciæ. Præterea misit nuncios ad regem Daniæ, & ad regẽ Ungariæ, & ad regem Boemiæ, ut venirent ad constitutum diem: insuper omnibus Archiepiscopis & Episcopis & summis potestatibus regni sui, & religiosis quibusq; solenniter adesse mandavit. Grandis ergo expectatio erat universorum ad tam celebrem curiam, quo uterq; Papa, & tanti terrarum reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt simul Waldemarus cum Episcopis Daniæ, Hartwichus Archiepiscopus, Geroldus Episcopus, & Comes Adolfus, cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixum colloquii locum. Dux vero positus in Bavaria, alia via

6 venerat. Ludovicus ergo Rex Franciæ, cujus præcipuè expectabatur adventus, ubi intellexit Cæsarem appropiare cum exercitu & armis multis, dubitavit occurrere illi. Sed propter fidem sacramentorum, venit ad locum placiti constituto die, hoc est, in decollatione Ioannis baptistæ, & exhibuit se in pontis medio ab hora tertia usque ad horam nonam. Porrò Cæsar necdum venerat. Quod Rex Franciæ accipiens pro omine, lavit manus suas in flumine ob testimonium, quasi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde
7 abiit ipso vespere Divionem. Veniens ergo noctu Cæsar, intellexit regem Franciæ discessisse, & misit honorabiles personas denuò accersere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit, gratulans se fidem soluisse, & suspectam Cæsaris manum evasisse. Ferebatur enim à multis, quòd Cæsar eum circumvenire voluerit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus advenerit. Sed ars arte delusa est. Francigenæ enim ingenio altiores, quod armis & viribus impossibile videbatur, [f] consilio evicerunt. Tunc Cæsar vehementer irritatus, secessit à curia, intentans Francigenis bellum. Alexander Papa confortatus ab eo tempere magis invaluit. Henricus dux declinavit in Bavariam. Et compositis illic rebus, reversus est in Saxoniam.

---

defuncto. a) Kal. Sept. anno 1159. Alii ad ann. 1160. referunt, ut *Otto de S. Blas. c. 13.*

schisma. b) *Radevic. de gest. Frider. I. l. II. c. 43. & seqq. Otto de S. Blas. ibid.*

Cisterciens. c) Ordo Cisterciensis anno 1098. per Robertum Abbatem institutus, nomen invenit à loco, Cistercio dicto. Habuit Abbatias Iↄ CXC. præter Prioratus ejusdem ordinis. *Magnum Chronicon Belgic. h. anno.*

obtinuit. d) Kal. Martii, anno 1162. *Burchardus, Notar. Barbarossæ, in Epistola apud Freher. p. 237. Otto de S. Blasio cap. 16. Chronicon Monast. S. Udalrici, pag. 360. Chronicon Elwangense h. a.*

Laonam. e) Lugdunum Galliæ Celticæ intelligit.

Ararim. f) Auctor noster vetus nomen retinuit. Super fluvium Sagonnam, qui antiquitus Arar dictus sit, Fridericum & Ludovicum Regem de pace tractaturos convenire debuisse, scribit *Rob. de Monte.*

CAPUT XCI. (XCII.)

1. *Terra Obotritorum sub Guncelino à populis advenis habitari cœpit.*
2. *Henricus in Comitatum Raceburgensem Westfalos induxit.*
3. *Holsati in Wagria sacerdotibus decimas subtrahunt.*
4. *Episcopus per literas ipsos officij commonefacit.*
5. *Adhuc recusantes, & Episcopo atque Comiti insidiantes Dux ad officium reducit.*

Fuit

FUit ergo in diebus illis pax per universam Slaviam, & munitiones, quas 1
Dux jure belli possederat in terra Obotritorum, cœperunt inhabitari à populis advenarum, qui intraverant terram, ad possidendum eam. Fuitq; præfectus terræ illius Guncelinus, vir fortis & amicus Ducis. Porrò Henri- 2
cus Comes de Racesburg, quæ est in terra Polaborum, adduxit multitudinem populorum de Westfalia, ut incolerent terram Polaborum, & divisit eis terram in funiculo distributionis. Et ædificaverunt Ecclesias, & subministraverunt decimas fructuum suorum ad cultum domus Dei. Et plantatum est opus Dei temporibus Henrici in terra Polaborum, sed temporibus Bernhardi filii ejus abundantius consummatum. At viri Holzati, qui Wagirensium ter- 3
ram propulsis Slavis inhabitabant, devoti quidem in Ecclesiarum constructione, & hospitalitatis gratia, sed decimis juxta divinum præceptum legaliter persoluendis rebelles existebant. Soluebant autem mensuras parvulas sex de aratro, quod sibi dicebant permissum pro levamine, cùm adhuc essent in terra nativitatis suæ, propter viciniam Barbarorum, & tempus belli. Terra autem unde exierant Holsati, pertinet ad Hammenburgensem Parochiam, & est terræ Wagirensi proxima (a). Videns ergo Geroldus Episcopus quia 4
Polabi & Obotriti, qui erant in medio camini æstuantis, solverent decimarum suarum legitima, proposuit à suis requirere similia. Communicato ergo consilio Adolfi Comitis, indomitos Holzatorum animos, exhortatoriis per literas verbis tentare studuit. Ad Ecclesiam ergo Burnhovede, quæ alio nomine Zuentiveld dicitur, ubi habitabat Marcradus senior terræ, & secundus post Comitem, & cætera virtus Holzatorum, misit literas in hunc modum. Geroldus, Dei gratia Lubicensis Ecclesiæ Episcopus, universis civibus ad Ecclesiam Burnhovede pertinentibus, salutem & debitam dilectionem. Quoniam per Dei voluntatem Ecclesiastica mihi dispensatio credita est, & divina legatione ad vos fungor, necesse est ut à bonis ad meliora vos perducere studeam, & ab his, quæ sunt saluti animarum vestrarum contraria, vos abstrahere totis nisibus elaborem. Deo siquidem gratias ago, quòd multarum in vobis patent virtutum insignia, quòd videlicet hospitalitati, & aliis misericordiæ operibus propter Deum insistitis, quòd in verbo Dei promptissimi & in construendis Ecclesiis solliciti estis, in legitimis quoq;, ut Deo placitum est, castam ducitis vitam, quæ omnia tamen observata nil proderunt, si cætera mandata negligitis, quia sicut sciptum est: Qui in uno offendit, omnium reus est. Dei enim præceptum est, Decimas ex omnibus dabis mihi, ut bene sit tibi, & longo vivas tempore, cui obedierunt Patriarchæ, Abraham scilicet, Isac & Iacob, & omnes qui secundum fidem facti sunt filii Abrahæ,

per

per quod laudem etiam & præmia æterna consecuti sunt. Apostoli quoq; & apostolici viri, hoc ipsum ex ore Dei mandaverunt, & sub anathematis vinculo posteris servandum tradiderunt. Cùm ergo Dei omnipotentis proculdubio hoc constet esse præceptum, & sanctorum patrum sit autoritate firmatũ, nobis id incumbit negocii, ut quod vestræ saluti deest, nostro in vobis opere per Dei gratiam suppleatur. Monemus ergo & obsecramus omnes vos in Domino, ut mihi, cui paterna in vos cura commissa est, animo volenti quasi filii obedientiæ acquiescatis, & decimas, prout Deus instituit, & Apostolica banno firmavit autoritas, ad ampliandum Dei cultum, & ad gerendum pauperum curam Ecclesiæ detis, ne si Deo, quæ ipsi debentur, subtraxeritis, & sub-
5 stantiam simul & animam in interitum mittatis æternum. Valete. His auditis tumultuosa gens infremuit, dixeruntq; se huic conditioni servili nunquam colla submissuros, per quam omne penè Christicolarum genus Pontificum pressuræ subjaceat. Præterea hoc adjecerunt, non multum aberrantes à veritate; quòd omnes penè decimæ in luxus secularium cesserint. Quamobrem Episcopus verbum hoc retulit ad Ducem. At ille præcepit sub obtentu gratiæ suæ, omnibus Holzatensibus de terra Wagirensi, ut solverent Episcopo decimas cum omni integritate, sicut faciunt in terra Paloborum, & Obotritorum, quæ recentius incultæ sunt, & ampliori pulsantur formidine belli. Ad hoc preceptum Holzati obstinatis animis dixerunt, nunquam se daturos decimas, quas patres sui non dedissent, malle se potius succensis ædibus propriis egredi terram, quàm tantæ servitutis jugum subire. Præterea pontificem cum Comite & omni advenarum genere, quod decimarum soluit legitima, interficere cogitabant, & terra inflammata, transfugere in terram Danorum. Sed pravarum molimina rerum, Ducis nostri, regisq; Danorum præpedierunt innovata fœdera. Laudatum autem fuit, ne quis transfugam alterius reciperet. Quapropter Holzatenses necessitate constricti, præsente Duce cum Pontifice tale pactum inierunt, ut facerent augmentationem decimarum, & solverent de manso sex modios siliginis, & octo avenæ, illius inquam modii, qui vulgo dicitur Hemmethe. Et ne succedentium fortè Pontificum innovatas paterentur angarias (b), rogaverunt, hoc ducis atq; Pontificis sigillo confirmari. Cumq; notarii juxta morem curiæ, marcam requirerent auri, gens indocta resiliit, & negotium mansit imperfectum. Eidem quoq; negocio, commodis Ecclesiæ magnificè profuturo, magnum attulit impedimentum, et velox episcopi transitus, et bellorum imminens dira tempestas.

proxima. a) ita legendum est secundum *MSS. L. B.* & *S.* non Provincia, uti erat editum. Terra illa, unde Holsati, qui jam Wagriam inhabitabant, emigraverant, nunquam

nunquam antea Wagriæ provincia fuerat: semper enim usq; ad illud emigrationis tempus Wagria ab Holsatia gente, imperio, credo etiam linguâ, Heneta scilicet, distincta fuerat. Ingressi autem sunt Holsati Wagriam suprà *c.57.n.2.*

angarias. b) Angaria est molesta coactio ad solvendum tributa, & alia servitutis officia præstanda. Ἀγγερεία, ἡ δημοσία, καὶ ἀναγκαία δουλεία, *Suidas.* Qui tradit esse vocem Persicam. Vide apud eundem plura. Angaria, περιεργασία, ἀκουσία, *Vetus Glossar. Græco. Latin.* Si longior expeditio emergit, in angariis plurimùm detinendi sunt, *Flav. Veget. l.I.c.3.* & multis aliis locis idem Scriptor; in quibus *Nicol. Rigaltius* angariis: *Godeschalcus Stewechius* agrariis legendū contendunt. Vide illum in *Glossario*: hunc in *Flav. Veget.* De animalibus in angaria præstitis, i.e. de jumentis ad onus aliquod elocatis, *Legg. Wisigoth. lib.V. tit.V. c.2.* Qui terras ecclesiæ incolunt, non à Comite ad ullam angariam, seu servitium publicum, vel privatum cogantur, *Carol. M. Constitut. p.321.*

Hactenus Italicas fieri consueta per urbes
Angariisq; sacras etiam vexare frequenter
Ausa domos plærumq; suis exactio cesset,

Gunther. in Ligurino l.IIX.

CAPUT XCII. (XCIII.)

1. *Pribislaus & Wertislaus terris concessis non contenti arma sumunt.* - - - - - 1163.
2. *Henricus Dux Wertislaum in urbe Werla obsidet.* - - - 1163.
3. *Pribislaus cum manu militum per nemora vagatur.*
4. *Henricus Dux machinas bellicas adornat.*
5. *Pribislaus centum Holsatos de exercitu Ducis occidit.*
6. *Inter Wertislaum & Ducem de deditione agitur.*
7. *Wertislaus se & urbem dedit.*
8. *Dux urbi & regioni Lubemarum, Niclotis fratrem, præponit.*
9. *Wertislaum abductum Brunsvicum custodiæ mancipat.*
10. *Pribislao veniam petenti ignoscit.*

Filii enim Nicloti, Pribizlavus atq; Wertizlavus, non contenti terra Kycinorum & Circipanorum, aspirabant ad acquirendam terram Obotritorū, quam Dux eis abstulerat jure belli. Quorum insidiis recognitis Guncelinus de Zuerin, præfectus terræ Obotritorum, intimavit Duci. At ille posuit eos rursus in indignationem & iram, & venit cum exercitu gravi in terram Slavocum hyemali tempore. Porrò illi consederant in urbe Wurle, & munierunt castrum contra obsidionis impetum. Et præmisit Dux Guncelinum & fortissimum quenq;, ut præoccuparent obsidionē, ne fortè elaberentur Slavi. Ipse verò quantocyus secutus est cum reliquo exercitu. Et obsessa est munitio, in qua

(margin, beside the 1st line of the paragraph) 1
(margin, beside the 3rd line) 2

ſuit Wertizlavus, filius Nicloti, & multi nobilium, inſuper vulgus promiſcuum
3 multum valde. At Pribizlavus ſenior natu, cum numero equitum tranſierat
in abdita nemorum, percuſſurus de inſidiis incautos. Et gaviſus eſt Dux gau-
dio, eo quòd Slavi obfirmatis animis expectaverunt eum in munitione, & prę-
4 bita ſit ei facultas obtinendi eos. Et dixit ad juniores de exercitu, quos præli-
andi ſtulta cupido incitabat hoſtē provocare, & ſuſcitare bathalias(a): Quare,
quod ſupervacuū eſt, acceditis ad portas urbis, & ſtruitis pericula vobiſmet-
ipſis? Fruſtratorii ſunt hujuſcemodi congreſſus, atq; ruinoſi. Quin potius con-
ſiſtite in tabernaculis veſtris, unde non poſſitis jaculari ſagittis hoſtium, & ha-
bete cuſtodiam obſidionis, ne quis elabatur. Noſtri verò ſtudii erit, per Dei
gratiam, ut ſine tumultu & ſine ſtrage urbe potiamini. Et ſtatim præcepit ex
abundanti nemore ligna conduci & aptari bellica inſtrumenta, qualia vide-
rat facta Crimmæ ſive Mediolani. Fecitq; machinas efficaciſſimas, unam ta-
bulatis compactam ad perfringendos muros, alteram verò quæ excelſior e-
rat, & in turris modum erecta, ſuperexaltavit caſtro, ad dirigendas ſagittas,
& ad abigendos eos qui ſtabant in propugnaculis. A die enim qua erecta
eſt hæc fabrica, nemo Slavorum auſus eſt proferre caput, aut apparere
de propugnaculis. Ipſo tempore Wertizlauus graviter vulneratus eſt de
5 ſagitta. Quadam verò die perlatum eſt ad Ducem, quòd Pribizlauus cum
turma equitum apparuerit non longè à caſtris. Ad quem requirendum trans-
miſit Adolfum Comitem, cum electa juvenum manu, qui tota die paludes &
nemora oberrantes neminem invenerunt, deluſi à ductore, qui majorem ho-
ſti quàm noſtratibus favorem accommodaverat. Præceperat autem Dux pa-
bulatoribus, ne quoquam exirent eo die, ne fortè in hoſtem inciderent. At
Holzatorum quidam, ut ſunt ceruicoſi, non curauerunt de mandato, & egreſſi
ſunt ad frumentandum, & ſuperveniens Pribizlauus, & irruens ſuper incau-
tos, proſtravit ex eis ad centum viros, reliqui fugerunt in caſtra. Quapropter
Dux ira acriter inſtimulatus, ferventius urget obſidionem, jamq; munimen-
ta clauſtri cœperunt trepidare minaci ruina & ſuffoſſionibus dilabi. Tunc
Wertizlauus omni ſpe meliori depoſita, accepto conductu, venit in caſtra ad
Comitem Adolfum, ut acciperet ab eo conſilium. Cui reſpondet Comes: Se-
ra quidem medicinæ conſultatio eſt, quando æger deſperatus eſt. Pericula
nunc imminentia, debuerant antea fuiſſe præviſa. Quis, quæſo, tibi conſilium
dedit, ut obſidionis periculum incurreres? Magnæ fuit amentiæ, ponere in
neruo pedem, ubi non ſit diverticulum, vel ulla evaſionis molitio. Nil ergo
reſtat niſi deditio. Si quod poteſt eſſe ſalutis compendium, ſola deditione
apprehendendum video. Et ait Wertizlauus: Fac pro nobis verbum apud
Ducem,

Ducem, ut ſine periculo vitæ & membrorum damno, admittamur deditioni. Tunc perrexit Comes ad Ducem, & alloquens eos, in quibus pendebant conſilia, manifeſtavit eis negocium. At illi deguſtata Principis voluntate, dederunt manus, ut quicunq; Slavorum dediſſet ſe in poteſtatem Ducis, membris & vita potiretur, ea tamen conditione, ut & Pribizlavus ab armis diſcederet.
Tunc conductu clariſſimi Comitis exierunt de munitione Wertizlavus, & o- 7
mnes nobiles Slavorum, & venerunt ad pedes Ducis, uniuscujusq; enſis ſuper verticem ſuum. Et ſuſcepit eos Dux, & recluſit in cuſtodia. Præcepit ergo Dux, ut quicunq; Danorum captivi haberentur in caſtro, potirentur libertate: & exiit de illis multitudo maxima, imprecantes Duci fortiſſimo bona, pro
ſuimet ereptione. Porrò caſtrum & vulgus ignobile fecit ſervari, & præpo- 8
ſuit eis Lubemarum quendam veteranum, fratrem Nicloti, ut præeſſet terræ
& ſentiret ea quæ ſubjecta ſunt. Wertizlavum verò Slavorum regulum du- 9
xit ſecum Brunſwich, & aſtrinxit eum manicis ferreis, cæteros verò diſpertivit per cuſtodias, quousq; ſolverent noviſſimum quadrantam. His ita geſtis humiliatæ ſunt vires Slavorum, ut recognoſcerent, quia Leo(b) fortiſſimus be-
ſtiarum ad nullius pavet occurſum. Pribizlavus ergo, qui erat ſenior natu, & a- 10
cris ingenii, cupiens fratri captivo ſubvenire, cœpit per nunciorum manus attentare Principis animum, & rogare ea quæ pacis ſunt. Cumq; Dux requireret obſides, ut firma eſſet ſponſionum fides, ait Pribizlavus: Quid opus eſt Domino meo, ut à ſervo ſuo requirat obſides? Nonne fratrem meum, & omnes nobiliores Slaviæ retinet in cuſtodia? teneat eos loco obſidum, abutatur eis ut libuerit, ſi temeraverimus ſpõſionum fidem. Dum hæc per internuncios agerentur, & daretur Pribizlauo ſpes meliorum, aliquantulum temporis fluxerat ſine bello, fuitq; pax in Slavia à Martio menſe usq; in Calendas Februarii ſequentis anni, & omnia caſtra Ducis erant illæſa, videlicet Malachou, Cuſcin, Zuerin, Ilowe, Mikilinburg.

bathalias. a) bathalia eſt pugna, ex batualia contractum, quod eſt à Latino batuere.

Leo. b) Alludit ad cognomen Henrici Leonis, & ad ſtatuam leonis fuſilis, quam ille hoc anno, videlicet 1164. Brunſvigæ ex ære conflatam erigebat. Cùm enim Dux hoc anno plures hoſtes acciperet, ut omnibus oſtenderet, quanti molitiones tot & tam potentium hoſtium faceret, ſignum hoc ſtatuit, animi imperterriti evidens indicium. *Herm. de Lerb. p. 22.*

CAPUT XCIII. (XCIV.)

1. Geroldus Ducem de templo Lubecenſi dedicando adit.

2. Archiepiſcopus templum Falderenſe dedicat, & locum mutato nomine Novum-monaſteriũ vocat. 1164.

3. Lubecæ Oratorium dedicat.

4. Novum-monasterium Episcopo Lubecensi conferre recusat. | *5. Henricus L. in Bavariam proficiscitur.*

1 EOdem anno Dominus Geroldus, Lubicensis Episcopus, post celebres Paschæ ferias cœpit infirmari, & decubuit in lecto ægritudinis, usq; in Calendas Iulii. Oravitq; Deum, ut differretur sibi vita, quousq; dedicaretur oratorium Lubicense, & Clerus recenter adunatus convalesceret in statu suo. Nec mora, divinitus adjutus, dilatus est ad modicum. Adiit ergo Ducem, qui tunc fortè venerat Stadhen, in occursum Archiepiscopi, & contulit cum eo de commodis Lubicensis Ecclesiæ. Cujus verbis ille condelectatus, monuit ut quantocyus rediret Lubeke, paraturus ea quæ dedicationi opportuna erant. Et rogavit Dux Archiepiscopum, ut occurreret secum ad confirmationem
2 officii. Cujus petitioni acquiescens aggressus est iter in Wagirensem terram, & in transitu dedicavit Falderensem Ecclesiam, quam sanctæ memoriæ Vicelinus, Aldenburgensis Episcopus & fundasse & possedisse dinoscitur. Et fecit Archiepiscopus præposito & fratribus illic degentibus bona multa. Præcepitq; ut locus ille de cætero vocaretur novum monasterium. Antea enim Faldera sive Wippenthorp vocabatur. Fuitq; loci illius præpositus Hermannus, qui olim etiam Lubeke sub Barbarica tempestate multos pertulerat labores, sociatus in prædicatione Evangelii Domino Ludolfo Segenbergensi præposito, & Brunoni Aldenburgensi Presbytero. Hic ergo Hermannus successerat in procurationem monasterii novi, venerabili viro Epponi, cujus sanctitas insignis, ab omnibus semper cum pietate recolenda jampridem fœlicem acceperat consumationem Calend. Maii. Perfecta ergo, ut antea dixi, dedicatione novi monasterii, transiit Dominus Archiepiscopus
3 Segeberg, & illic usus est diversorio Comitis Adolfi. Postquam autem venit Lubeke, suscepit eum Dux & Episcopus cum magna gloria, & aggressi sunt opus dedicationis, & obtulerunt singuli voluntaria cordis sui, Henricus Dux, Geroldus Episcopus, & Adolphus Comes, dederuntq; prædia & reditus &
4 decimationes in subsidia Cleri. Commonitus autem Archiepiscopus, ut novum monasterium daret Lubicensi Episcopo, non acquievit. His ritè peractis, re-
5 versus est Archiepiscopus in locum suum. Dux verò ordinatis rebus in Saxonia, profectus est in Bavariam, ut sedaret tumultuantes, & faceret judicium injuriam patientibus.

CAPUT XCIV. (XCV.)

1. Geroldus omnes ecclesias suas visit.
2. Mercatum Plönensem die Dominico prohibet.
3. Lütkenburgi ægrotare incipit.
4. Decumbenti in villa Bosau, & morienti Helmoldus cũ aliis adest. 1164.
5. Lubecæ in Basilica, quam ipse fundaverat, humatur.

Interim

INterim sentiens Geroldus venerabilis Episcopus dilatos ad tempus dolores 1
rursus incalescere, statuit visitare omnes Ecclesias suæ diœcesis, à nullo pe-
tens stipem, ne cui esset onerosus. Paternam ergo gerens solicitudinem, filiis
suis abundanter erogavit monita salutis, errantes corrigens, & discordes
compacans, præbens etiam confirmationis gratiam, sicubi necesse fuisset. Fo- 2
rum etiam Plunense, quod singulis diebus Dominicis frequentabatur à Sla-
vis, & à Saxonibus, in verbo Domini prohibuit, eo quòd populus Christianus,
deserto cultu Ecclesiæ & missarum solenniis, mercationibus tantùm operam
daret. Hanc ergo permaximam idololatriam præter multorum opinionem,
animi constantia destruxit, præcipiens sub anathematis districtione, ne quis
de cætero suscitaret ruinas ejus. Et convenerunt populi de cætero ad Eccle-
sias, audire verbum Dei, & interesse sacris mysteriis. Perlustrata ergo omni 3
Parochia sua, Dominus Episcopus novissimè venit Lucelenburg consolari
manentes illic, expletisque divinis mysteriis, quasi peracto negocio, viribus
corporis cœpit repente destitui: Perlatusque Bozoue multis diebus lecto de- 4
cubuit. Nunquam tamen missarum solenniis usque ad diem obitus sui defuit.
Fateor non meminisse, me vidisse virum magis exercitatum in divino officio,
frequentiorem in Psalmodia & vigilia matutina, benigniorem Clero, quem
nec verbo passus est à quoquam molestari. Hic quandum personam laica-
lem, clericum calumniantem, fecit acerrimè plagari, dans cæteris exemplum
ut discerent non blasphemare. Audita ergo boni pastoris ægritudine, vene-
runt ad eum venerabiles viri, Odo Lubicensis Ecclesiæ Decanus, & Ludol-
fus præpositus Segebergensis cum fratribus utriusque congregationis. Qui
cùm lecto ægrotantis appositi optarent ei dilationem vitæ, ipse respondit:
Quid precamini mihi, fratres, quod inutile est? Quantumcunque vivam, mors
semper restat. Iam nunc utique fiat, quod quandoque futurum est. Melius est
evicisse, quod effugere nemini licitum est. O libertatem spiritus pavore
mortis imperterritam. Inter loquendum autem dedit nobis lectionem de
Psalmo, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.
Interrogatus à nobis quas pateretur molestias? nullos se torsionum dolores
sentire professus est, sed tamen defectu virium prægravari. Verùm cùm fra-
tres consummationis finem imminere viderent, impenderunt ei sacræ unctio-
nis officium, sicque sacramentis salutaribus communitus, illucescente die, cum
tenebris noctis corruptibilem carnis sarcinam deposuit. Corpus ejus Lube- 5
ke perlatum à Clero & civibus honestè traditum est sepulturæ in medio Ba-
silicæ (a), quam ipse fundavit. Et vacavit sedes Lubicensis usque in Calendas
Februa. eo quòd Dux abesset, & expectaretur ejus sententia.

Basilicæ. a) Per Basilicam hanc intelligitur templum Johannis Evangelistæ in monte, (S. Johannis auffm Berge) quo nomine in hunc usq; diem templum illud appellatum est, quia in loco editiore ad templum cathedrale conditum erat; cujus parietes & rudera firmissimi quondam operis indicium erant. Primùm enim satis constat, illud templum ab ipso exstructum esse: fuitq; illud procul dubio primum templum, quod in Lubeca nova erectum fuit. Vide supra *Notas ad c. XLVI.* Nam magnificum & amplissimum istud templum nostrum, D. Mariæ sacrum, tunc exstitisse, nullis certis rerum documentis liquet. Præterea illud semper aut divæ Virginis templum, aut ecclesia forensis à scriptoribus vocatur. Nec templum cathedrale intelligitur, cùm illud anno 1170 demum exstrui cœptum sit. Nō verò corpus Geroldi in hoc templo perpetuò relictum est; sed inde postea in novum chorum templi cathedralis, ab Episcopo Henrico de Boekholt conditum, translatum est; ubi sub cœruleo lapide reconditum: qui quidem lapis in hunc usq; diem ibi cernitur. *Albertus Krummendykius*, Episcopus Lubecensis, *in Chronico MS.* ita: Sepultus est in medio Basilicæ Lubecensis, quam ipse fundaverat, & hodie ad novum chorum translatus sub parvo quiescens lapide blauio, statim infra cancellas. *Ekkehardo juniori de casibus monast. c. 1.* Basilica est sacellum in ædibus privatis adornatum, in quo sacra peragi debent, explicante ita *Goldasto* in illum locum, *Tom. I.* Adde *Vadian. l. II.*

HELMOL-

HELMOLDI, PRESBYTERI BUZOVIENSIS, CHRONIC. SLAVORUM LIBER II.

Præfatio operis sequentis.

INTER descriptores historiarum rari inveniuntur, qui rebus gestis descriptionis fidem integram solvant. Sanè disparilia hominum studia, plerunq; corrupto fonte nascentia, in ipsa narrationis superficie statim dinosci possũt, dum videlicet succrescens in corde hominis veluti superfluitas quædam humorum, indebitus amor sive odium deflectit narrationis impetum, derelicto veritatis tramite, in dexteram sive in sinistram. Multi enim aucupantes favorum hominum, palliaverunt se amicitiæ ficta quadam superficie, & propter ambitionẽ honoris seu cujuslibet emolumẽti, locuti sunt placentia hominibus, ascribentes digna indignis, laudem quibus non debebatur laus, benedictionem quibus non erat benedictio. Quo contra alii odio concitati minus pepercerunt obloquiis, quærentes locum calumniis, & quos manu nequibant acrius lingua insectantes. Tales profectò sunt, qui ponunt lucem tenebras, & dicunt noctem diem. Sed nec aliquando defuerunt inter scriptores, qui propter damna rerum & cruciatus corporum impietates Principum publicare timuerunt. Venialius autem est, veritatem tacuisse ob pusillanimitatem spiritus, & tempestatem, quam ob spem inanis lucri finxisse mendacium. In exprimendis ergo actibus hominum, veluti in exculpendis subtilissimis cælaturis, sincerum semper oportet esse considerationis intuitũ, qui nec gratia, nec odio, nec pavore, à veritatis via deducatur. Quod quia multæ peritiæ est, imò maximæ solertiæ, gubernaculum videlicet sermonis inter hæc scopulorum impedimenta inconcussum dirigere, divina mihi pietas diligentius est exoranda, ut quia navem descriptionis ausu quodam improviso magis quam temerario in altũ deduxi: ipsa opitulante, & flatus secundos dirigente, perducere merear ad littus debitæ consummationis. Alioquin ob difficultatem ingravescentium causarum, & depravatos mores principum, facilè perturbabor à timore hominum. Magnæ autem consolationis est firmamentum omnibus veritati innitentibus, quia veritas, etsi nonnunquam impiis odium pariat, ipsa tamen in se inconcussa permanens, non offenditur, sicut ægris oculis odiosa lux est, quod non lucis sed ægritudinis oculorum culpa dinoscitur. Sed & omnis considerans vultum nativitatis suæ in speculo, non speculo sed sibimet imputabit, si quid in se pravum aut distortum viderit. Sequens ergo opusculum, sicut & præcedentia, dedico caritati vestræ, ô venerabiles Domini & fratres, præsentibus honorem, futuris de rerum noticia fructum conducere cupiens. Sed & mihimet spero non defuturum quantumlibet emolumẽti de orationibus magnorum virorum, qui fortè libellum hunc lecturi sunt, qui postulationi meæ non negabunt precum suarum suffragia,

CAPUT I.

1. Dux Conradum, Geroldi fratrem, Episcopum facit. - - 1164.
2. Archiepiscopus id ægrè fert.
3. Virtutes Conradi vitiis quibusdam, fastu inprimis & severitate nimia fœdabantur.
4. Cū Archiepiscopo amicitiā cōtrahit.
5. Magna accidebat maris & fluminum inundatio, XVI. Febr. 1164.

1 COmpositis ergo rebus in Bavaria, Henricus Leo gemino ducatu clarus, reversus est in Saxoniam, & accersito Clero Lubicensi dedit eis Pontificem Dominum Conradum Abbatem de Reddegeshusen, fratrem germa-
2 num Domini Geroldi Episcopi. Quod licet Hartwigo Archiepiscopo & omnibus pene Lubicensibus esset contrarium, prævaluit tamen voluntas Ducis, cui refragari formidolosum erat. Recepit autem sacrum ordinem per manus
3 Hartwici Archiepiscopi, in civitate Stadensi. Pollebat autem literatura, facundia, affabilitate, largitate, multis deniq; donis, quibus dignam personam supervestiri decorum est. Sed pulcram viri superficiem deformabat insanabilis, ut ita dicam, impetigo, mobilitas animi, & facilitas verborum, quæ nunquam in eodem persistebat, diffidens ipse secum, nihil ex consilio faciens, incertus in promissis, extraneos diligens, suos fastidiens. Clero, quem in tenella reperit Ecclesia, magna severitate primum abusus est, incipiens à primis, qui erant in Lubicensi Ecclesia, usq; ad novissimos, qui habitabant ruri. Bona sacerdotum omnia sua esse dicebat, non quasi fratres, sed ut servos reputans. Si quem fratrem fortè pulsare cœpisset, non legitima vocatione, non loci vel temporis congruentia, sive capituli sententia usus est, sed ad placitum suum, quos gravare voluisset, aut suspendit ab officio, aut eliminavit ab Ecclesia. Cōmonitus à Duce, nihil remissius egit, sed alienavit se à Duce, & cōfœderatus est Archiepiscopo, quatenus connexis viribus facilius vincerent omnem
4 resistētem. Circa dies illos, quo primum promotus est ad sūmi sacerdotii gradum, cùm adhuc consisteret secus Archiepiscopum in urbe Horeborg, quæ est super ripas Albiæ, in mense Februario, hoc est, 14. Calendas Martii, orta est tempestas maxima, ventorum procella, fulgurum coruscatio, & tonitrui fragor, quæ passim multas ædes aut incendit aut subruit; insuper tanta maris exundatio oborta est, quanta non est audita à diebus antiquis, quæ involuit omnem terram maritimam Fresiæ, Hadelen, & omnem terram palustrem Albiæ, & Wirræ, & omnium fluminum, quæ descendunt in Oceanum mare, & submersa sunt multa millia hominum, & jumentorum, quorum non est numerus.

merus. Quanti divites, quanti potentes vespere sedebant, & deliciis affluebant, omni timore malorum sublato, sed veniens repentina calamitas involvit eos in mediis fluctibus?

CAPUT II.

1. *Wertislaus in vinculis Pribislaum fratrem ad bellum Henrico L. faciendum instigat. - - - 1164.*
2. *Pribislaus Mechlenburgo arma admovet, & deditionem urget.*
3. *Arcem expugnat, incendit, & mares omnes occidit. XVI. Febr. 1164.*
4. *Guncelinus Iloviam se confert, præsidio illi futurus.*
5. *Stratagemate Ilovienses Slavos in officio retinet.*
6. *Pribislaus ad Iloviam cum exercitu accedit; sed metu Guncelini recedit.*

EAdem die qua maritimæ regiones Oceani tanta clade pervastatæ sunt, 1
accidit strages (a) magna, in civitate Slavorum Mikelenburg. Wertislauus enim, Nicloti filius junior, qui tenebatur in vinculis Brunswich, mandavit, ut dicitur, Pribizlauo fratri per nuncios, dicens: En ego teneor vinculis æternis inclusus, & tu negligenter agis? Evigila, & enitere atque viriliter age, & quod pace non potes, armis extorque. Non recogitas, quòd pater noster Niclotus, cùm Lunenburgi teneretur in custodia, neque prece neque pecunia redimi potuit. Postquam autem virtutis instinctu, corripuimus arma, & fecimus incendia & exterminia urbium, nonne dimissus est? His auditis, Pri- 2
bizlauus collegit latenter exercitum, & venit improvisus Mekelinburg. Henricus autem de Scathen, præfectus castri, tunc fortè defuit, & populus qui erat in castro, fuit sine Principe. Accedens ergo Pribizlauus, ait ad viros qui erant in munitione: Magna, ó viri, tam mihi quàm genti meæ illata est violentia, qui expulsi sumus de terra nativitatis nostræ, & privati sumus hæreditate patrum nostrorum. Vos quoque injuriam hanc cumulastis, qui invasistis terminos nostros, & possedistis urbes & vicos, qui nobis debentur hæreditaria successione. Proponimus ergo vobis optionem vitæ & mortis. Si volueritis aperire nobis munitionem, & reddere terram nobis debitam, deducemus vos pacificè cum uxoribus & filiis, & universa supellectili. Si quis Slavorum quippiam abstulerit, eorum quæ ad vos pertinent, ego in duplo restituam. Quòd si nolueritis egredi, immo urbem hanc pertinaciter defendere, juro vobis, quia si faverit nobis Deus & Victoria, omnes vos occidam in ore gladii. Ad hæc verba Flammingi jacula dirigere, & vulnera infligere cœperunt. Slavorum ergo exercitus viris & armis potentior, vehementi pugna irrupit munitionem & occiderunt omne masculinum in ea, non reliquerunt de populo advenarum vel unum, uxores & parvulos eorum duxerunt in captivitatem, & suc-

4 cenderunt caſtrum igne. Poſthæc converterunt faciem ſuam ad caſtrum Ilo-
we,ut deſtruerent illud. Porrò Gunzelinus,ſatelles Ducis,& præfectus terræ
Obotritorum,audiens per exploratorum manus exiſſe Slavos, præierat cum
paucis militibus Ilowe,ut fieret urbi præſidio. Vaſtata ergo Mickelenburg,
Pribizlauus anteceſſit exercitum cum fortiſſimis, ut præoccuparet obſidio-
5 nem,ne quis fortè effugeret. Quod audiens Guncelinus dixit ad ſuos, Exea-
mus velociter & pugnemus cum eo, priusquam reliquus veniat exercitus.
Laſſi enim ſunt de pugna & ſtrage, quam commiſerunt hodie. Et reſponde-
runt ei fideles ſui: Non eſt nobis cautum egredi, ſtatim enim ut exierimus,
Slavi qui ſunt intra urbem hanc, & videntur ſtare nobiſcum, claudent por-
tas urbis poſt nos, & nos erimus excluſi, urbsq; cedet in manus Slavorum. Et
diſplicuit verbum hoc in oculis Guncelini, & virorum ejus. Convocans ergo
Teutonicos omnes, qui erant in urbe, dixit ad eos in audientia Slavorum,
qui fuerant in urbe, & de quibus fuerat traditionis timor: Relatum eſt mihi,
quòd Slavi, qui nobiſcum ſunt intra portas urbis, juraverunt Pribizlauo, ut
tradant & nos & urbem. Audite ergo ó viri compatriotæ, qui deſtinati eſtis
in mortem & exterminium, ſtatim ut videritis perfidiam, objicite vos portis,
& mittite ignem in mœnia urbis, & exurite perfidos hos cum mulieribus &
& parvulis. Moriantur unà nobiſcum, nec fiat aliquis ex eis ſuperſtes, ut non
glorientur de interitu noſtro. His auditis,exterriti ſunt animi Slavorum, nec
6 auſi ſunt aggredi quæ animo conceperant. Veſpere autem facto, venit uni-
verſus exercitus Slavorum ante caſtrum Ilowe, & allocutus eſt Pribizlauus
Slavos, qui erant in ea: Notum eſt omnibus vobis, quantæ calamitates &
preſſuræ apprehenderint gentem noſtram, propter violentam Ducis poten-
tiam, quam exercuit in nos, & tulit nobis hæreditatem patrum noſtrorum,&
collocavit in omnibus terminis ejus advenas, ſcilicet Flamingos, & Hollan-
dos,Saxones & Weſtphalos,atq; nationes diverſas.Hanc injuriam zelatus eſt
pater meus usq; ad mortem, frater meus ob hoc ipſum vinculis æternis tene-
tur incluſus, & nemo remanſit, qui cogitet bonum genti noſtræ aut velit ſu-
ſcitare ruinas ejus,niſi ego ſolus. Revertimini ergo ad cor ó viri reliquiarum
Slavici generis,& reſumite audaciam,& tradite mihi urbem hanc,& viros qui
injuſtè occupaverunt eam, ut ulciſcar in eos, ſicut ultus ſum in eos,qui inva-
ſerant Mikilenburg. Et cœpit eos commonere ſuper promiſſo. At illi negave-
runt, timore perterriti. Seceſſerunt ergo Slavi longius à caſtro, eo quòd in-
grueret nox,& caſtra metanda eſſent. Advertentes autem Slavi,quia Gunce-
linus & qui cum eo ſunt,viri fortes ſunt & bellicoſi,nec poſſe munitionem ca-
pi ſine maxima ſtrage, primo diluculo receſſerunt ab obſidione, & reverſi
ſunt

ſunt ad loca ſua. Guncelinus ergo veluti torris erutus ab igne, relicta Ilowe, & collocata illic militum cuſtodia, tranſiit Zuerin, & lætati ſunt habitatores urbis de inſperato adventu ejus. Auditum enim fuerat pridie, quòd interfectus fuiſſet ipſe, & viri ejus pariter.

ſtrages. a) Si flumina inundent, rem eſſe ſiniſtram, maliq; ominis, probat *Paganinus Gaudentius de Prodigior. ſignific. cap. 16.*

CAPUT III.

1. Berno Epiſcopus, Mechlenburgi interfectos ſepelit. - - 1164.
2. Per ſupervenientem Reichardum ſervatur.
3. Pribislaus incolas & milites præſidiarios Cuſſini ad deditionem cogit.

QUinto ergo die, poſtquam percuſſa eſt Mikilinburg, deſcendit Berno venerabilis Epiſcopus cum paucis clericis de Zuerin, tumulare interfectos, geſtans in collo ſuo ſacerdotalia indumenta, in quibus offerre mos eſt. Et figens altare in medio interfectorum, obtulit pro eis hoſtiam ſalutarem Domino Deo, cum luctu & tremore. Quo jam ſacrificium peragente, ſurrexerunt Slavi de inſidiis, ut percuterent Pontificem, & qui cum eo erant. Sed celeriter miſſus à Deo, ſupervenit quidam Reichardus de Saltwedele cum militia. Hic audito quia Guncelinus obſeſſus eſſet Ilowe, egreſſus fuit ad auxilium ipſius, & iter faciens, caſu ſupervenit Mikilinburg, cùm Pontifex cum ſuis jam in mortis eſſet articulo. Cujus adventu territi Slavi fugerunt, & ſalvatus Epiſcopus, peregit opus pietatis, & tumulavit de interfectis ad ſeptuaginta corpora, & poſthæc reverſus eſt Zuerin. Poſt non multum verò tempus Pribizlavus collecta rurſum Slavorum manu, venit Malacowe & Cuſcin, & allocutus eſt habitatores urbis, dicens: Scio quidem vos eſſe viros fortes & nobiles, & obſecundantes imperio magni Ducis Domini veſtri. Volo ergo perſuadere vobis quæ ſunt utilia. Reddite mihi caſtrum, quod olim fuit patris mei, & mihi nunc hæreditaria ſucceſſione debetur, & ego exhiberi vobis faciam conductum, usq; ad ripas Albiæ: Si quis eorum, quæ ad vos pertinent, quicquam violenter attigerit, ego in duplo reſtitui faciam. Quòd ſi hanc conditionem optimam, inutilem judicaveritis, oportebit me rurſum experiri fortunam meam, & congredi vobiſcum. Mementote quid contigerit habitantibus Mekelenburg, qui ſpreuerunt conditiones pacis, & provocaverunt me in ſuimet damnum. Tunc milites cuſtodes præſidii videntes non eſſe locum pugnæ; eo quòd hoſtes multi, auxiliarii verò eſſent pauci, impetraverunt conductum extra terminos Slaviæ, & Pribizlavus recepit caſtrum.

CAPUT IV.

1. *Henricus L. Suerinum & Iloviam præsidijs munit. - - 1164.*
2. *Albertum Marchionem, Waldemarum Regem & Adolphum Comitem in auxilium vocat. 1164.*
3. *Wertislaum apud Malcoviam suspendit.*
4. *Adolphum Comitem cum aliis nonnullis præmittit.*
5. *Casimirus & Bugislaus, Pomerani, Pribislaum juvant.*
6. *Adolphus Slavos Oldenburgenses infidos experitur in exercitu.*
7. *Slavi, dum Dux cunctatur, cum Adolpho pugnant.*
8. *Redintegrata pugnâ Adolphus & Reinoldus, Comites cadunt. 1164.*
9. *Tertiùm iterata pugnâ Saxones superiores discedunt.*
10. *Dux Adolphum luget.*
11. *De cæso hoste lætus corpus Adolphi condiri jubet.*
12. *Slavi in interiorem Pomeraniam fugiunt.*
13. *Rex & Dux Stolpam usq; omnia depopulantur.*
14. *Wertislaus primus Christianam religionem in Pomeraniam introduxerat.*

1 Audiens(a)ergo Henricus Leo Dux, labefactari res in Slavia, contristatus est animo, & misit interim robur militum Zuerin, ad custodiendum eam. Et præcepit Adolfo Comiti & majoribus de Holzatia ut transirent Ilo-
2 we, & essent tutamen castri. Post hæc congregavit exercitum grandem, & vocavit cognatum suum Adelbertum, Marchionem orientalis Slaviæ, & omnes fortissimos totius Saxoniæ, in auxilium, ut redderet Slavis malum quod fecerant. Sed &(b) Waldemarum regem Danorum adduxit cum navali exercitu, ut vexaret eos terra mariq;. Et occurrit Adolfus Comes duci cum omni
3 Nordalbingorum populo juxta Malacowe. Dux verò ubi transiit Albiam, & attigit terminos Slavorum, fecit Wertizlavum Principem Slavorum suspendio interfici prope urbem Malacowe, eo quòd pessundaverit eum frater ejus
4 Pribizlavus, & prævaricatus fuerit promissiones pacis, quas pactus fuerat. Et præcepit Dux Adolfo Comiti per nuncium, dicens: Surge cum Holzatis & Sturmariis & cum omni populo qui tecum est, & præcedite Ducem usq; in locum qui dicitur Viruchne(c). Idem facturus est Guncelinus præfectus terræ Obotritorum, & Reinoldus Comes Thetmarsiæ, & Christianus(d) Comes de Aldenburg, quæ est in Amerland, terra Fresonum, hi omnes præcedent te cum armatorum numero, qui ad ipsos pertinent. Tunc abiit Adolfus Comes cum cæteris nobilibus, qui secum deputati fuerant juxta imperium Ducis & venerunt in locum qui dicitur Viruchne, & distat ab urbe Dimin ferè duobus

bus miliaribus, & metati sunt illic castra. Porrò Dux & cæteri Principes mo-
rati sunt in loco qui dicitur Malacowe, secuturus post aliquot dies cum reli-
quo exercitu, cum veredariis ferentibus victualia, quæ exercitui sufficerent
copiosè. Universus verò Slavorum exercitus consederat in urbe Dimin, fue- 5
runtq; Principes eorum Kazemarus & Bugezlauus, duces Pomeranorum, &
cum his Pribizlauus autor rebellionis, miseruntq; nuncios ad Comitem, vo-
lentes per eum admitti ad conditiones pacis, & promiserunt tria millia Mar-
carum. Rursum alios mittentes, promiserunt duo millia. Et displicuit verbum
hoc Comiti Adolfo, & dixit ad suos: Quid vobis videtur, ô viri sapientes? Qui
heri promiserunt tria millia Marcarũ, nunc offerunt duo millia. Verbum istud
non est quærens pacem, sed adducens bellum. Miserunt ergo Slavi noctu spe-
culatores in castra explorare statũ exercitus. Aldenburgenses verò Slavi fue- 6
rant cum Adolfo Comite, sed insidiosè: nam quæcunq; gerebantur in exerci-
tu, remandaverunt hostibus, per manus exploratorum. Dixerunt ergo Adol- 7
fo Comiti, Marchradus senior terræ Holzatorum, & cæteri qui intellexerant
verbum absconditum: Auditu certissimo comperimus, quòd hostes nostri
præparent se ad bellum. Porrò nostrates segnius agunt, nec in vigiliis, nec in
custodiis debitam exhibent diligentiam. Adhibe ergo cautionem populo, eo
quòd Dux bene præsumat de te. Et dissimulavit Comes, cæterique nobiles
& dixerunt: Pax & securitas, emortua est enim virtus Slavorum. Defecit er-
go in exercitu custodia. Moram autem faciente Duce, defecerunt exercitui
alimenta, & destinati sunt pueri, qui deberent ire ad exercitum Ducis proter
victualia afferenda. Quibus primo diluculo iter aggressis, ecce in ascensu
clivi apparuerunt cunei Slavorum cum populo innumerabili, tam equitum
quàm peditum. Quibus visis, retorsere pedem pueri, & clamore valido dormi-
entem suscitavere exercitum. Alioquin omnes mortem somno copulassent.
Tunc viri illustres atq; militares Adolfus atq; Reinoldus cum paucissimis
Holzatensium atq; Thetmarsiensium, qui fortè somno exciti maturius accur-
rerant, exceperunt hostes in descensu clivi, & contrita est prima acies Slavo-
rum ab eis, & percusserunt eos usq; ad interiora stagni. Quos evestigio subse- 8
cuta secunda Slavorum acies operuit instar montium, & percussi sunt Adol-
fus Comes, & Comes Reinoldus, & fortissimi quiq; ceciderunt. Et obtinue-
runt Slavi castra Saxonum, & diripuerunt prædas castrorum. Porrò Gunce- 9
linus & Christianus, & cum eis amplius quàm trecenti milites conglobati in
unum, continebant se in latere pugnæ, ignorantes quid agerent. Formidolo-
sum quippe erat congredi cum tanto hoste, omnibus scilicet sociis aut interfe-
ctis aut in fugam disiectis. Accidit ergo ut cuneus quidam Slavorum veni-

ret ad tabernaculum quoddam, ubi multi erant armigeri & equi plures. Quibus expugnandis cùm valentius instarent, armigeri clamaverunt ad Dominos suos, quorum globus fuit è vicino: Quid statis ó fortissimi milites? & quare non succurritis servis vestris: Rem utiq; turpissimam agitis. Qui concitati clamore servorum suorum insilierunt in hostes, & quasi cęco furore pugnantes, liberaverunt pueros suos. Deinde castris fortius imersi, difficile dictu est, quantos ictus dederint, vel quãtas strages hominum fecerint, donec victrices illas Slavorum acies disjicerent, & reciperent castra quæ perdiderant. Deniq; miscuit Deus Slavis spiritum vertiginis, & ceciderunt de manihus optimorum militum. Et audierunt Saxones, qui erant in latibulis, & egressi sunt, & resumpta audacia fortiter infusi sunt hostibus, & percusserunt eos attritione magna nimis, & repletus est campus ille acervis mortuorum. Et venit
10 Dux festinanter, ut fieret suis præsidio, & vidit ruinam, quæ facta est in populo suo, & quia mortuus est Comes Adolfus, & fortissimi quiq;, & resolutus
11 est in lacrymas multas. Sed dolorem ejus mitigavit copiosior victoria, & cædes Slavorum maxima, qui ad duo millia et quingentos connumerati sunt. Præcepit ergo Dux, corpus Adolfi Comitis concidi frustatim et assum condiri opere pigmentarii, quo posset circumferri et patris inferri monumentis. Et impletum est vaticinium quod cecinit pridie quàm pateretur, sæpissime reiterans versum, Igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas.
12 Slavi ergo, qui effugerant manus gladii, venerunt Dimin, et succenso castro illo potentissimo, transierunt ad interiora Pomeranæ regionis, fugientes à facie Ducis. Sequenti (e) autem die venit Dux cum exercitu universo Dimin, et reperit castrum exustum, et collocavit ibi partem exercitus, ut deponerent vallum et adæquarent solo, et ut essent præsidio vulneratis, quibus
13 opus erat cura. Ipse verò cum reliquo exercitu ivit in occursum Waldemari Regis. Et abierunt sociata manu, ut depopularentur latitudinem Pomeranæ regionis, et venerunt ad locum qui dicitur Stolpe. Illic Kazemarus et Bugezlauus jam olim fundaverant Abbatiam in memoriam patris sui Wertizlaui,
14 qui ibidem et occisus (f) et sepultus est. Ille primus inter Duces Pomeranorum conversus est ad fidem, per manus sancti Ottonis Bavenbergensis Episcopi, et ipse fundavit Episcopatum Uznam, et admisit cultum Christianæ religionis in terram Pomeranorum. Illuc ergo pervenit exercitus Ducis, et non erat qui resisteret. Slavi enim semper ultra progredientes, diffugiebant à facie Ducis, nusquam ausi subsistere præ formidine faciei ejus.

Audiens.

Audiens. a) Sæpius jam antè in Slavos arma Henricus L. moverat, ut *suprà l. I. c. 68.* commemoratur. His autem annis inprimis quatuor insignes expeditiones contra Obotritos suscepit, quarum hæc est tertia.

Prima	anno	1162.	*l. I. c. 87.*
Secunda		1163.	*l. I. c. 92.*
Tertia		1164.	*l. II. c. 4.*
Quarta		1177.	*l. II. Arnoldi c. 18.*

Sed & b) *Pontan. l. IV. in Waldemaro I. ad ann. 1164.*

Christianus. c) Erat hic Christianus I. Comes Oldenburgensis, cognomine Animosus & Bellicosus dictus. Ex amico factus est Leoni postea hostis acerrimus. *infra c. 7. & 8.*

Viruchne. d) Verchem. *Hermanno de Lerbek* Wercheim.

Sequenti. e. *Joh. Is. Pontanus l. VI. in Waldemaro I.*

occisus. f) Wertislaus ab Ottone Bambergensi anno 1124. baptizatus est. *Supra l. I. c. 40.* Occisus est à Slavo Lutitio, anno 1136. *Joh. Micræl. lib. II. Pomer. c. 73.* Genealogiam illius habet *David Chytræus in Chronol. anno 1182.*

CAPUT V.

1. *Dux Brunsvicum ad Regis Græci Legatos audiendos revocatur.*
2. *Slavi Obotriti prorsus hac ultima expeditione deleti.*
3. *Corpus Adolphi Mindam perlatum.* - - - - - *1164.*
4. *Melchtildis vidua Comitatum rexit.*
5. *Adolphus fuerat vir optimæ fidei, dexterrimi consilij &c.*
6. *Guncelinus & Bernhardus Comites imitati illum sunt.*

IN diebus illis venit nuncius in terram Slavorum, qui diceret Duci: Ecce 1
Legatus Regis Græciæ cum multo comitatu venit Brunswich, loqui tibi. Ad hunc audiendum Dux egressus est Slaviam, omisso exercitu et prosperis expeditionis expeditus successibus. Alioquin propter Comitis mortem importunam, convocata fortitudine, omne robur Slavorum consumpsisset, usque in finem, et fecisset terræ Pomeranorum, sicut fecit terræ Obotritorum. Omnis ergo terra Obotritorum et finitimæ regiones, quæ per- 2
tinent ad regnum Obotritorum, assiduis bellis, maximè verò hoc novissimo bello, tota in solitudinem redacta est, Domino scilicet favente et dextram piissimi Ducis confortante. Si quæ Slavorum extremæ remanserant reliquiæ, propter annonæ penuriam, et agrorum desolationes, tanta inedia

inedia confecti sunt, ut congregatim ad Pomeranos sive ad Danos confugere
cogerentur, quos illi nihil miserantes, Polonis, Sorabis, atq; Boemis vendide-
3 runt. Postquam ergo Dux exiens Slavia, dimisit exercitum, unumquenq; in
sua, corpus (a) Adolphi Comitis perlatum est Mindin (b), ibiq; sancta devotio-
4 ne reconditum. Cometiam verò tenuit Mechtildis vidua ejus, cum filio te-
nello. Et immutata est facies terræ hujus, eò quòd justitia, & quies Ecclesia-
rum, sublato bono patrono, penitus infirmata videretur. Ipso enim superstі-
5 te, clero nihil asperum videbatur. Tantus erat fide, bonitate, prudentia atq;
consilio, ut universis videretur constructus virtutibus. Hic unus de bellatori-
bus Domini, & certè non infimus, in funiculo sortis suæ utilis inventus est,
extirpans idololatriæ superstitiones, & faciens opus novæ plantationis, quod
fructificet in salutem. Novissimè peracto boni itineris cursu, pervenit ad pal-
mam, portansq; vexilla in castris Domini, stetit pro defensione patriæ, & fide
Principum, usq; ad mortem. Rogatus ut vitæ consuleret fugæ compendio,
vehementer detestatus est, manibus pugnans & voce Dominum orans, mortē
6 libenter excepit, ob virtutis amorem. Hujus æmulatione instigati illustres
viri & optimi Ducis boni satellites, Guncelinus atq; Bernhardus, quorum u-
nus Zuerin, alter Racesburg præerat, fecerunt & ipsi opus bonum, in funicu-
lo partis suæ, bellantes prælia Domini, ut suscitaretur cultus domus Dei no-
stri in gente incredula & idololatra.

---

corpus, a) *Herm. de Lerbeke* hæc his verbis narrat: Perlatum est ergo id nobile corpus Mindam, sepultusq; est in Ecclesia majori in parte Australi, inter Altare S. Matthæi Apostoli, & B. Catharinæ virginis, quod ipse fundaverat: ibiq; sancta devotione reconditum est, anno Christi cIɔ CLXIV. octava sanctorum Petri & Pauli Apostolorum.

Mindin. b) vera scriptio; quæ antiquum urbis etymon refert. Cùm enim Widekindus, Saxonum adversus Francos Dux, fidem Christi amplexus esset, permisit Carolo arcem suam, quam inibi ad Visurgim habebant, ut in ea Episcopo sedem pararet: capax enim amborum fuit, ita, ut Episcopo diceret: *mea* atq; *tua* communi erit jure. *Krantz. Sax. lib. II. c. 16. Georg. Braun. de civitatib. lib. IV. f. 39.* Rectè ergo *Mindin* etiam in *Diplomate Ottonis M.* Ecclesiæ Mindensi anno 691, concesso scribitur.

CAPUT VI.

1. *Pribislaus è Demino reædificato irruptiones in Suerinenses & Raceburgenses facit.*
2. *Guncelinus & Bernhardus, Comites, vires ejus atterunt.*
3. *Principes Pomeraniæ illum ab instituto revocant.*
4. *Pax inter Ducem & Regem Daniæ cum insigni incolarum commodo.*

5. De

5. De præda hostium debellatorum ex æquo dividenda pactum ineunt. | *6. Ducis terræ & potentia.*

PRibizlauus ergo rebellionis autor, paternæ hæreditatis factus extorris, 1
consistebat apud Duces Pomeranorum Kazemarum atque Buggeslauum, cœperuntque reædificare Dimin. Inde frequenter exiens Pribizlauus per insidias percutiebat fines Zuerin atque Racesburg, et tulit captionem multam tam de hominibus quàm de jumentis. Cujus exitum observantes Guncelinus atque 2
Bernhardus, pugnabant et ipsi de insidiis, & commissa creberrima pugna, semper meliores inventi sunt, quousque perditis fortioribus viris et equis, Pribizlauus nihil jam posset moliri. Et dixerunt ad eum Kazemarus 3
& Buggezlauus: si tibi placet habitare nobiscum, et uti diversorio nostro, cave ne offendas oculos virorum Ducis, alioquin propellemus te de finibus nostris. Iam dudum enim duxisti nos, ubi contriti sumus contritione maxima, & perdidimus viros et urbes meliores. Nec his contentus iteratam super nos inducere vis Principis iram? Et cohibitus est Pribizlaus ab insania sua. Humiliatæ ergo sunt vires Slavorum, nec ausi sunt mutire præ formidine Ducis. Et habuit Dux pacem cum Waldemaro, rege Danorum, et 4
celebraverunt colloquia ad Egdoram, sive Lubike, pro commodis utriusque terræ. Et dedit Rex Duci pecuniam magnam, eo quòd pacarentur termini ejus per ipsum à vastatione Slavorum. Et cœperunt inhabitari omnes insulæ maris, quæ ad regnum pertinent Danorum, eò quòd pirata defecisset, et confractæ sint naves prædonum. Et inierunt pactum Rex et Dux, ut quascunque gentes terra marique subjugassent, tributa socialiter partirentur. Et in- 5 6
crevit Ducis potestas super omnes, qui fuerunt ante eum, et factus est Princeps principum terræ. Et conculcavit colla rebellium, et effregit munitiones eorum. Et perdidit viros desertores, & fecit pacem in terra, & ædificavit munitiones firmissimas, & possedit hæreditatem multam nimis. Præter hæreditatem enim magnorum progenitorum, Lotharii Cæsaris, & conjugis ejus Richenzen, multorumque Ducum Bavariæ atque Saxoniæ, accesserunt ei nihilominus multorum Principum possessiones, ut fuit Heremannus de Winzeburg, Sifridus de Hammenburg, Otto (a) de Asle, & alii quorum mentio excidit. Quid dicam de amplissima potestate Hartwici Archiepiscopi, qui de antiqua Udonum prosapia descendit. Nobile illud castrum Staden, cum omni attinentia sua, cum Cometia utriusque ripæ, & Cometia Thetmarsciæ vivente adhuc Episcopo obtinuit, quædam quidem hæreditario jure, quædam beneficiali. Extenditque manum in Fresiam, & admovit eis exercitum, & dederunt ei pro suimet redemptione, quod postulati fuissent.

Otto. a) Ottonis hujus & *cap. 7. n. 2.* meminit.

CAPUT VII.

1. Potentia Leoni invidiam creat.

2. Fridericus Imperator quartam expeditionẽ in Italiam suscipit. 1166.

3. Principes, qui contra Henr. Leonem conspirant. - - - 1166.

4. Aliis alias ejus arces tentantibus, Christianus, Comes Oldenb. Bremam capit.

5. Dux Adolpho III. puero, Henricum de Orlemund Tutorem constituit.

6. Pribislao in gratiam recepto omnẽ Obotritorum terram, solo Suerino excepto, reddit.

1 SEd quia gloria parit invidiam, & quia nil durabile in rebus humanis, tantam viri gloriam zelati sunt omnes principes Saxoniæ. Ille enim immensis divitiis locuples, clarus victoriis, & propter geminum Bavariæ & Saxoniæ Principatum sublimis in gloria sua, omnibus Saxoniæ tam principibus quàm nobilibus, importabilis visus est. Sed manus principum, formido Cæsaris con-
2 tinuit, ne concepta molimina transferrent in effectum. Postquam (a) autem Cæsar quartam profectionem paravit in Italiam, & opportunitatem tempus adduxit, statim inveterata conspiratio processit in publicum, & facta est con-
3 juratio valida omnium contra unum. Fueruntq; inter eos primi, Wichmannus Magdeburgensis Episcopus, Hermannus Hildensemensis Episcopus. Post hos fuerunt Principes ii: Ludowicus, provincialis Comes Turingiæ, Adelbertus Marchio de Soltwedele, & filii ejus, Otto Marchio de Camburg, & fratres ejus, Adelbertus Palatinus Comes de Someresburg. Hos adjuverunt nobiles ii, Otto de Asle, Wedekindus de Dasenburg, Christianus (b) de Aldenburg, quæ est in Amerland. Super hos omnes præpotens ille Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, & Cancellarius Imperii, insidiatus est Duci, facie quidem absens & in Italia positus, sed totus consilio expugnationi Ducis
4 intentus. Tunc Principes qui erant in orientali Saxonia, cum Turingorum principe Lodewico, obsederunt munitionem Ducis quæ vocatur Aldeslef, & fecerunt contra eam machinas multas. Porrò Christianus Comes de Amerland collecta Fresonum manu, occupavit Bremam, & omnes fines ejus, & fecit motum magnum in occidentali regione. Videns ergo Dux, quia consurgunt undiq; bella, cœpit communire civitates & castra, & ponere custo-
5 dias militum in locis opportunis. In tempore illo Cometiam Holsatiæ, Sturmariæ, atq; Wagiræ administrabat vidua Adolfi Comitis cum filio adhuc tenello. Propter consurgentes autem bellorum motus posuit Dux puero tutorem qui præesset armis, Henricum (c) Comitem Turingia natum, avuncu-
6 lum (d) pueri, virum scilicet impatientem ocii, & totum armis deditum. Communicato

municato quoque fidelium suorum consilio, Pribizlavum, Principem Slavorumm, quem multis, ut suprà dictum est, præliis expulerat provincia, admisit in gratiam, & reddidit ei omnem hæreditatem patris sui, terram scilicet Obotritorum, præter Zuerin & attinentia ejus. Et fecit Pribizlavus Duci & amicis ejus securitatem fidelitatis, nulla deinceps bellorum tempestate corrumpendam, stare scilicet ad mandatum ipsius, & observare oculos amicorum ejus absque omni offensione.

Postquam. a) Quarta hæc Imperatoris in Italiam expeditio anno 1166. suscepta est, juxta *Otton. de S. Blasio append. c. 20. Godefridus Monach. ad anno 1167. Krantz. Sax. l. VI. c. 20. ad ann. 1164.* referunt. Dissensionem inter Saxoniæ Duces & Henricum Leonem, & inde ortum bellum anno 1167. erupisse scribunt *Chron. Stederburgense MS. Albertus Stad.* & *Appendix Anonymi ad Radevicum.* Erant jam antè Principes infesto in Leonem animo. Cœpit ergo, ut primum Imperator è Germania discessit, gliscere conspiratio, & seqq. annis continuata est.

Christianus. b) Christianus nuper strenuè Leonem in Obotritis ad officium revocandis adjuverat. *supra c. 4.* Cùm autem postea intellexisset, Leonem id agere, ut se depulso Comitatum Oldenburgensem in alios, qui tamen & ipsi ex domo Oldenburgica erant, traderet, infesto animo prosequi illum cœpit, nocereq; quibus posset modis, & illi inter cætera Bremam, cui Leo præsidium imposuerat, eripuit. Fuit autem hoc illi eò facilius, quòd Bremenses Leonis imperium gravatè ferrent, qui episcopis commodioribus dominis hactenus usi fuerant. Illi igitur occasionem hanc optimam judicantes, qua se honestè subducere Leonis imperio possent, Comiti portas aperuerunt. *Herm. Hamelmann. Chr. Oldenburg. part. II. cap. 2. Ubbo Emm. rer. Fris. lib. VII. ann. 1167.*

Henricum. c) Adolphi II. Comitis Schawenburgici à Slavis anno 1164. occisi (*supra lib. II. Helmoldi c. 4. n. 8.*) uxor Mechtildis, Burchardi IV. Dynastæ Quernfurtensis & Burggravii Magdeburgensis filia fuit. *Cyriac. Spangenb. Chron. Quernf. l. III. c. 7.* Hæc aliquot annos cum filio, adhuc puero, Adolpho III. Comitatum rexit, *c. 5. n. 4.* Deinde Henricus Leo propter imminentia bella puero Henricum, Comitem Orlemundanum, Tutorem constituit, ut hìc narrat *Auctor.* Mechtildis, ut filio patrimonium conservaret, postea Henrico huic nupsit. Mortuus est autem anno 1178. (*Arnoldus infra l. II. c. 20.*) filium relinquens, ex Mechtilde susceptum, Albertum, cujus meminit *Albertus Stad. ad an. 1216. 1217. & 1222.* qui ideo Comes Nordalbingiæ appellatur, *infra l. VII. c. 13.* Religionis causa militavit in Livonia Volquino, Teutonici Ordinis Magistro, *Stadensis, Balthasar Russov.* Vixit mater adhuc anno 1192. quo filio ex Syria reduci Atleburgum usq; occurrit, *infra lib. IV. c. 7.* Orlemunda autem in Thuringia ad confluentem Orilæ & Salæ fluviorum sita est.

avunculum. d) avunculus hìc pro cognato ponitur. Nam Henricus pueri matrem postea, ut diximus, uxorem duxit.

CAPUT VIII.

1. *Henricus L. collecto exercitu Saxoniam orientalem vexat.*
2. *Bremam recuperat.*
3. *Christianus Comes, ab ipso obsessus, moritur. - - - 1167.*
4. *Hartwicus, Archiep. monitus, ut cæteris se jungat, quiescit.*
5. *Castra sua munit.*

1 TUnc congregavit Dux exercitũ grandem, & intravit orientalem Saxoniam, ut pugnaret cũ inimicis suis, in medio terræ ipsius. Et viderunt quia venit cum manu forti, & timuerunt occurrere illi. Et fecit plagam magnam in terra hostili, & vastavit eam incendiis & deprædationibus, & pervagatus
2 est terram, usq; ad muros Magdeburg. Deinde convertit exercitum in occidentales partes, ut comprimeret tumultum Christiani Comitis, & improvisus venit Bremam, & cepit eam. Tunc fugit Christianus Comes in abditas (a) Fresiæ paludes. Et irrupit Dux Bremam & deprædatus est eam. Et transfugerunt cives ejus in paludes, eo quòd peccassent adversus Ducem, & jurassent Christiano, & posuit eos Dux in proscriptionem, quousq; interventu Ar-
3 chiepiscopi, mille & eo amplius Marcis argenti pacem indempti sunt. Christianus autem Comes post paucos dies mortuus est, & sopita sunt mala rebel-
4 lionis, ejus molimine suscepta. Grassantibus ergo usque quaq; civilibus bellis, Hartwicus Archiepiscopus decreverat apud se, declinare tumultum consurgentis belli, & sedit Hammenburg solitarius & quietus, structuris claustralibus, & cæteris Ecclesiæ suæ commodis intentus. Tunc Coloniensis Archiepiscopus cæteriq; Principum mandaverunt ei per literas, ut revocaret ad cor omnes pressuras, quibus attrivisset eum Dux: Nunc tandem venisse tempus, quo possit auxilio principum recuperare statum honoris sui, patere sibi urbem Stathen, & ereptam Cometiam, si manus Principum adjuverit. Hartwicus ergo Archepiscopus multis experimentis edoctus fortunatum semper in præliis ducem esse, ambiguam quoq; Principibus inesse fidem, & se hujusmodi sponsionibus sæpe delusum, fluctuare cœpit animo. Provocabat eum recuperandi honoris cupido, sed deterrebat eum sæpe comperta mobilitas Principum. Hærebat interim superficies amicitiarum, & pax sonabat in verbis.
5 Veruntamen castra sua Friborg & Horeborg communire cœpit Archiepiscopus, & congessit illic apparatum armorum & escarum, quæ sufficerent in menses et annos.

abditas. a) Exscripsit *Krantz. Sax. lib. VI. c. 21.* Recepit se in Oldenborch, nihil timens, inquit *Albertus Stad.* Secutus est illum Leo cum grandi exercitu. Sed Comes in morbum incidens paulò pòst vitæ finem accepit. Mors ejus, sicut ipse

æger

æger præceperat, miro ſtudio celata tantiſper eſt, donec hoſtiles copiæ, moræ tædio, quod futurum ipſe Comes proſpexerat, dilapſæ Ducem deſeruiſſent. *Alb. Stad. Ubbo Emmius, Herman. Hamelm.*

CAPUT IX.

1. *Conradus Epiſcopus Archiepiſcopum ad fidem, Duci datam, frangendam inſtigat.*
2. *Colloquium Ducis declinat.*
3. *Dux ab illo, de malis conſilijs ſuſpecto, jusjurandum ſibi dari poſtulat.*
4. *Epiſcopus illud detrectat.*
5. *Conſilio Archiepiſcopi ſolum vertit.*
6. *Ambo apud Præſulem Magdeburgenſem exulant.*
7. *Archiepiſcopi milites excurſiones in terras Ducis faciunt.*
8. *Dux illi Friburgum eripit.*
9. *Saxonia motibus bellicis concutitur.*

Circa hos dies, Conradus Lubicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, morabatur apud 1
Archiepiſcopum, & pendebat in ipſo ſumma conſilii. Et perlatum eſt ad
Ducem, quia non ſentiret ea quæ pacis ſunt, ſed quæ ad deſtructionem Ducis, & quia ſuggerit Archiepiſcopo, ut transeat ad Principes, & reſcindat
amicitias, quas pepigerat cum Duce. Volens ergo Dux rem certius noſſe, 2
vocavit eum ad colloquium Ertheneburg. At ille declinans iram potentis,
declinavit in Freſiam veluti fungens legatione Archiepiſcopi. Quem de- 3
mum redeuntem, Dux ſecundo vocavit. Conductu ergo Domini Archiepiſcopi, & Domini Bernonis Magnipolitani, occurrit Duci apud Stathen, auditurus verbum ejus. Et convenit eum Dux ſuper his, quæ ad ipſum perlata fuerant, qualiter ſcilicet verbis malis derogaverit honori ſuo, & dederit conſilium adverſus eum in malum. Affirmat Epiſcopus, ſe nihil horum recognoſcere. Multis ergo verbis hinc & inde habitis, cupiens Dux convulſas amicitias reſarcire, & Epiſcopum jam olim ſibi dilectum, tenacius colligere, cœpit ab eo familiariter exigere hominii debitum, quod ſibi imperiali (a) donatione permiſſum in ſuperioribus oſtenſum eſt, in his videlicet Slavorum provinciis, quas ipſe jure belli, in clypeo ſuo & gladio poſſederat. Ad hujus propo- 4
ſitionis verbum, vir magnanimus reſiliit, dicens: modicam eſſe ſtipem Eccleſiæ ſuæ, nunquam ſe hujus intuitu libertatem ſuam occupaturum, aut cujuslibet poteſtati ſubmiſſurum. E converſo proponit Dux omnino aut loco cedere, aut propoſitis parere. Cumq; fixus in ſententia maneret Epiſcopus, præcepit Dux obcludi ei introitum Parochiæ ſuæ, & omnes reditus Epiſcopales tolli. Poſt diſceſſum ergo Ducis locutus eſt Archiepiſcopus, ad Conradum Epi- 5
ſcopum: Exiſtimo, quòd non ſit cautum vobis conſiſtere apud nos, propter ſa-

tellites Ducis,in quorum medio sumus. Quin potius consulite honori nostro & saluti vestræ, & transite ad Magdeburgensem Archiepiscopum, & principes,ut possitis evadere manus inimicorum vestrorum. Ego quoque post paucos dies prosequar vos, & peregrinabor cum peregrinante. Et fecit juxta consilium Archiepiscopi, & transiit ad Magdeburgensem Archiepiscopum, & mansit apud eum fermè duobus annis. Inde abiens in Franciam, visitavit Cistertiense Concilium, & reconciliatus est Alexandro Papæ per manus Papiensis Episcopi, qui fuit partium Alexandri,& ejectus de sede sua, morabatur in Claravalle. Deditque Pontifici in mandatis,ut præbita sibi facultate,aut
6 ipse iret ad Alexandrum, aut Legatum dirigeret. His ita peractis, reversus est Magdeburg, & invenit ibi Hartwicum Hammenburgensem Archiepiscopum, nam & ipse loco cesserat, & manserunt apud Magdeburgensem Archi-
7 episcopum diebus multis. Veruntamen milites Hartwici Archiepiscopi, qui erant in castris Horeborg & Friborg, faciebant frequentes excursus,& facie-
8 bant incendia & prædas in possessionibus Ducis. Quamobrem Dux transmissa militia, occupavit Friborg & fregit munimenta ejus, & adæquavit eam solo, & fecit tolli omnes reditus episcopales, non reliquit ex eis parvas reliquias. Soli qui erant in castro Horeborg,continuerunt se usque ad reditum Ar-
9 chiepiscopi,eo quòd locus esset munitus propter paludosas voragines. Fervebat autem seditionum sæva tempestas per omnem Saxoniam, contendentibus scilicet universis Principibus adversus Ducem. Et factæ sunt captiones militum, & demembrationes, & eversiones urbium atque domorum, & incendia civitatum. Et addita est Goslaria Principibus. Et præcepit Dux custodiri vias,ne quis frumentum induceret Goslariæ,& esurierunt valde.

imperiali.a)suprà *l.I. c.87. v.9.*

CAPUT X.

1. Imperator obsidet Genuam. 1167.
2. Ad Tusculum Romanorum XII. millia cadunt.
3. Cæsar Genuam capit.
4. Calixtum Papam facit. 1167.
5. Romæ plurimi de exercitu Imperatoris intereunt.
6. In his fuere aliquot Episcopi & Duces.
7. Imperator Saxonum gliscentem seditionem per legatos compescere studet.
8. Henricus L. alteram uxorem, Angli filiam, ducit.

1 IN diebus illis Fretherícus Imperator morabatur in Italia,& cõtritæ sunt rebelliones Longobardorum, à formidine virtutis ejus, & effregit civitates multas

multas populosas atque munitas, & abusus est Longobardia supra Reges, qui fuerunt ante eum diebus multis, & convertit faciem suam, ut iret Romam, ad fugandum Alexandrum, & statuendum Calixtum. Paschalis enim brevi tempore vivens, defunctus erat. Cæsar ergo obsidens Ianuam (a), quæ fuerat partium Alexandri, præmisit Reinoldum Coloniensem, & Christianum (b) Moguntinum, & partem exercitus jussit præire Romam. Et venerunt Tusculum, quæ non longè est à Roma. Quorum in- 2
troitu comperto, Romani exierunt cum immenso exercitu, pugnaturi propter Alexandrum, & egressus Reinoldus & Teutonicus miles, pugnaverunt pauci contra innumeros, & obtinuerunt Romanos, & percusserunt ex eis ad duodecim (c) millia, & persecuti sunt fugientes usque ad portas urbis. Et corrupta est terra propter cadavera occisorum, & permanserunt mulieres Romanorum viduæ in annos multos, eo quòd defecissent viri habitatores urbis. Ipsa die qua hæc gesta sunt Romæ, pugnavit 3
Cæsar cum Ianuanis, & obtinuit victoriam, compos effectus civitatis Et assumpto exercitu, abiit Romam, & invenit Reinoldum, & exercitum quem præmiserat lætantem de salute suimet, & de ruina Romanorum. Et admovit 4
exercitum, ut caperet Romam, & oppugnavit domum Beati Petri, quia præsidium Romanorum illic erat, & jussit ignem portis imitti, & abegit Romanos à turribus per vaporem fumi. Et obtinuit templum, & replevit ædem interfectis. Et intronizavit Calixtum in cathedram, & egit illic celebritatem beati Petri ad vincula. Admovitque manum Lateranensibus, ut destrueret eos, dederuntque ei pro vita simul & civitate, quicquid postulati fuissent. Coacti ut comprehenderent Alexandrum, non prævaluerunt, eo quòd noctu fugam iniisset. Et accepit filios nobilium obsides, ut de cætero obedientes essent Calixto fide irreprehensa. Secuta est hos Cæsaris prosperos even- 5
tus repentina calamitas. Tanta enim pestilentia subitò Romam invasit, ut infra paucos dies universi penè interiret. Mense enim Augusto pestiferæ nebulæ in partibus illis consurgere dicuntur. Mortui sunt ea pestilentia Reinoldus 6
Coloniensis, Hermannus Verdensis, qui erant Duces consilii: Præterea nobilissimus adolescens, filius Conradi regis, qui duxerat unicam filiam Henrici Ducis nostri, insuper multi Episcopi, Principes & nobiles ipso tempore interierunt. Cæsar cum residuo exercitu reversus est in Longobardiam. Illic posi- 7
tus, audivit motum, qui fuit in Saxonia, & missa legatione, frequentibus induciis repressit surgentem seditionē, quousque præteriret tempus, & ipse liberaretur ab expeditione Italica. In tempore (d) dierū illorum misit Henricus Dux
Bavariæ

Bavariæ & Saxoniæ legatos in Angliam, & adduxerunt filiam regis Angliæ cum argento & auro & divitiis magnis, & accepit eam Dux in uxorem. Separatus(e) enim fuerat à priore conjuge, domina Clementia, propter cognationis titulum. Habuit autem ex ea filiam, quam filio Conradi regis dedit in matrimonium, qui etiam modico superuixit tempore, præventus immatura morte in expeditione Italica, ut suprà dictum est.

Januam. a) Per Januam Auctorem Genuam intelligere, imitatione *Guntheri in Ligurino)* satis apparet. Verùm non Genuam, sed Anconam, agri Piceni ad ad mare Adriaticum urbem, jam ab Imperatore obsessam fuisse, verius scribit *Otto de S. Blasio, append. cap. 20,* quem sequuntur *H. Mutius Chron. Germaniæ, p. 152 Carol. Sigonius lib. XIV. de reg. Ital. hoc anno.* Nam Genuenses jam amico Imperatore utebantur, ut etiam Siculo, opem illorum contra Cæsarem imploranti, illam denegarent, amicitiam cum illo caussantes. *Petrus Bizar. hist. Genuensi anno 1167.*

Christianum. b) Erat Comes â Buche, Thuringius. Variam illius fortunam enarrant *Gasp. Brusch. Catal. Episc. Mogunt. n. XLIX. Petrus Merssæus n. XXXIII.*

duodecim. c) *Otto de S. Blasio* refert hunc conflictum ad ann. 1166. At *Albert. Stad.* & *Godefridus Monach.* ad ann. 1167. In numero cæsorum annotando mira scriptorum est varietas. *Noster* habet XII. millia: *Godefridus ait,* IX. millia occisa, V. millia capta esse. *Stadensis* VI. millia cecidisse memorat. *Otto de S. Blasio* asserit, Romanos jurejurando confirmasse, numerum suorum interfectorum & captorum ad XV. millia excurrere.

In tempore. d) Quo anno Leoni Regis filia adducta sit, variant rerum Anglicanarum Scriptores. Anno 1165. Reginaldum, Archiepiscopum Coloniensem in Angliam appulisse, & Westmonasterii cum Henrico II. Rege de Mathilde, filia ipsius primogenita, Henrico, Saxoniæ Duci, despondenda egisse scribunt *Matthæus Paris*, & *Radulfus de Diceto* ad h. ann. Ita *Johannes Bromton* adnotat, anno Regis Henrici decimo quarto, i. e. anno 1165. Mathildem, filiam Regis, Henrico Duci Saxoniæ nuptam esse, *pag. 1059. Gervasius* autem, anno 1168. Mathildem Henrico Saxonum Duci nupsisse, prodidit *in Chron. p. 1403.* Ab his discedit *Roger. de Hoveden*, qui Henricum Regem Duci Mathildem filiam anno 1164. dedisse uxorem scribit, *Annal. part. poster. p. 492.* Itẽ *Robertus de Monte*, qui anno 1169. Mathildem cum magna pecunia & splendido apparatu in Alemanniam sponso Henrico Duci adductam commemorat. Nec non *Hermannus de Lerbek in Chron. Schaw.* cùm narrat, Henricum Leonem anno 1169. donaria Ecclesiæ Mindensi intulisse, quòd filia Regis Angliæ sibi in illa sacerdotali benedictione juncta fuisset.

Separatus. e) Id anno 1162. Constantiæ factum esse scribit *Mart. Crusius Annal. Suev. part. II. l. 7. c. 3.*

CAPUT

CAPUT XI.

1. *Longobardi contra Imperatorem conspirant.*
2. *Imperator in conventu Bambergensi Principibus simultates exprobrat.* - - - - - - *1168.*
3. *Dux ibi cum Principibus in gratiam rediit.*
4. *Archiepiscopi morte Dux comitatum Stadensem recipit. mense Octob.* - - - - - - *1168.*
5. *Conradus Episcopus etiam rediit ad ecclesiam suam.*
6. *Dux Widekindum Dasenburgium capit.*

EMenso ergo post hæc non longo intervallo, videntes Longobardi quia 1
corruissent columnæ regni,& defecisset robur exercitus, conspiraverunt
unanimiter adversus Cæsarem,& voluerunt interficere eum. Ille præsenti- 2
ens dolos,clàm recessit à Longobardis,& reversus in Teutonicam terram,indixit curiam Bavenberg, vocatisque universis Principibus Saxoniæ coarguit eos de violatione pacis, dicens tumultum Saxoniæ dedisse Longobardis materiam defectionis. Multis itaque dilationibus, multa providentia & consilio, 3
dissensiones,quæ erant inter Ducem & Principes,ad conventionem pacis inclinatæ sunt,& cesserunt omnia juxta placitum Ducis,& ereptus est à circumventione Principum absque omni suimet diminutione. Et revocatus est Do- 4
minus Hammenburgensis Archiepiscopus in sedem suam, tactusque infirmitate infra paucos dies obiit, & extincta est morte illius vetus controversia,quæ fuit super Cometia Stadensi, & possedit eam Dux de cætero absque omni con- 5
tradictione. Conradus quoque Lubicensis Episcopus interventu Cæsaris,meruit redire in Parochiam suam,ea scilicet conditione, ut sopita priori obstinatione,exhiberet Duci quæ justa sunt. Potitusque reditu in gratia Ducis, mutatus est in virum alterum. Didicit enim in his, quæ ipse passus est, compati fratribus suis,& de cætero pronior esse in humilitatis officio. Clerum nihilominus defensavit à circumventione Principum et potentum,præcipuè verò de manibus Henrici Comitis Turingi, qui nec Deum nec homines reverens,
aspirabat ad bona sacerdotum. Cùm autem omnis bellorum motus, autore 6
Deo, rediret in serenam pacis quietem, Wedekindus de Dasenburg recusavit pacem, quam locuti sunt Principes. Hic enim ab adolescentia sua ad malum strenuus, semper militiæ usum in rapinas detorserat. Sed ne malum posset,quod voluit,Ducis refrenatione acrius tenebatur. Captus enim aliquando,& in vincula conjectus,fidem dederat,ut de cætero temperaret à rapinis, & staret ad mandatum Ducis syncero obseqnio. Sed ille ingruente tempore belli, pollicitationis immemor in Ducem omnibus acrius desævit. Cæteris

ergo ad pacem reductis, hunc singularem ferum Dux obsedit in castro Dasenburg. Sed cùm omnem obsidionis & machinarum violentiam mons altior eluderet, misit Dux, & vocavit viros industrios de Rammesberg, qui aggressi rem difficilem & inauditam, perfoderunt radices montis Dasenburg, et interiora montis collustrantes repererunt puteum, unde castellani hauriebant aquam. Quo obturato, defecit aqua castellanis, et necessitate constrictus Wedekindus, dedidit se et castrum in potestatem Ducis, cæteri dimissi, dispersi sunt, unusquisque in terram suam.

CAPUT XII.

1. Waldemarus I suis & sociorum armis Rugianos subjugat. 1168.
2. Suantevitum destruit.
3. In Rugia XII. templa ædificantur.
4. Jaremarus, Princeps Rugianorum, magno studio Christianorum sacra recipit & propagat.
5. Monachi Corbeienses S. Vito, patrono suo, templum olim apud Rugianos dedicarant.
6. Rugiani ex Sancto Vito Suantevitum fecerunt.
7. Suantevitus Slavorum summum Numen erat.
8. Suanteviti flamen majoris apud Slavos fuit auctoritatis, quàm Rex ipse.
9. Suantevito hostiâ Christiani hominis litari solitum.
10. Apud Rugianos est halecum captura.
11. Godschalcus, sacerdos Christianus, Suantevito immolandus, periculo eripitur.
12. Slavi in hospites & parentes benefici sunt.
13. Rugia ferax frugum.

1 IN tempore (a) illo congregavit Waldemarus, Rex Danorum, exercitum grandé et naves multas, ut iret in terram Rugianorũ, ad subjugandum eam sibi. Et adjuverunt eum Kazemarus et Buggezlauus Principes Pomeranorum, et Pribizlauus Princeps Obotritorum, eo quòd mandasset Dux Slavis, ferre auxilium regi Danorum, ubicunque fortè manum admovisset subjugandis exteris nationibus. Prosperatum est ergo opus in manibus regis Danorum, et obtinuit terram Rugianorum, in manu potenti, et dederunt ei pro sui re-
2 demptione quicquid Rex imposuisset. Et fecit produci simulacrum illud antiquissimum Zwantevith, quod colebatur ab omni natione Slavorum, et jussit mitti funem in collum ejus, et trahi per medium exercitum in oculis Slavorum, et frustatim concisum in ignem mitti. Et destruxit fanum cum omni religione sua, et ærarium locuples diripuit. Et præcepit, ut discederent ab errori-

erroribus suis, in quibus nati fuerant, et assumerent cultum veri Dei. Et dedit sumptus in ædificia Ecclesiarum, et erectæ sunt duodecim Ecclesiæ in terra Rugianorum, et constituti sunt sacerdotes, qui gererent populi curam in his quæ Dei sunt. Et affuerunt illic Pontifices, Absolon de Roschilde, et Berno de Magnopoli. Hi adjuverunt manus Regis cum omni diligentia, ut fundaretur cultus domus Dei nostri in natione prava atque perversa. Erat autem tunc tem- 4
poris Princeps Rugianorum vir nobilis Iaremarus, qui audita vera Dei cultura & fide catholica, alacriter ad baptisma cõvolavit, pręcipiens etiã omnibus suis, secum sacro baptismate renovari. Ipse verò factus Christianus, tam in fide firmus, tam in prædicatione erat stabilis, ut secundum Paulum jam ã Christo vocatum videres, qui fungens vice Apostoli, gentem rudem & beluina rabie sævientem, partim prædicatione assidua, partim minis ab innata sibi feritate ad novæ conversationis religionem convertebat. De omni enim natione Slavorum, quæ dividitur in provincias & principatus, sola Rugianorum gens durior cæteris, in tenebris infidelitatis usque ad nostra tempora perduravit, omnibus inaccessibilis, propter maris circumiacentia. Tenuis autem 5
fama commemorat, Ludewicum, Karoli filium, olim terram Rugianorum obtulisse B. Vito in Corbegia, eo quòd ipse fundator extiterit cœnobii illius. Inde egressi prædicatores, gentem Rugianorum sive Ranorum, ad fidem convertisse feruntur, illicque oratorium fundasse in honorem Viti martyris, cujus venerationi provincia consignata est. Postmodum verò, ubi Rani, qui & 6
Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrarunt, factus est error pejor priore: nam sanctum Vitum, quem nos servum Dei confitemur, Rani pro Deo colere cœperunt, fingentes ei simulacrum maximum, & servierunt creaturæ potius quàm creatori. Adeo autem hæc superstitio apud Ranos invaluit, ut 7
Zuantevit Deus terræ Rugianorum inter omnia numina Slavorum primatum obtinuerit, clarior in victoriis, efficacior in responsis. Unde etiam nostra adhuc ætate, non solùm Wagirensis terra, sed & omnes Slavorum provinciæ, illuc tributa annuatim transmittebant, illum Deum Deorum esse profitentes. Rex apud eos modicæ æstimationis est, comparatione flaminis. Ille 8
enim responsa perquirit, & eventus sortium explorat. Ille ad nutum sortium, & porrò rex & populus ad illius nutum pendent. Inter varia autem libamen- 9
ta, sacerdos nonnunquam hominem Christianum litare solebat: hujuscemodi cruore Deos omnino delectari jactitans. Accidit ante paucos annos, 10
maximam institorum multitudinem eo convenisse, piscationis gratia. In Novembri enim flante vehementius vento, multum illic halec capitur, & patet mercatoribus liber accessus, si tamen antè Deo terræ legitima sua persolue-

11 rint. Affuit tunc fortè Godeſcalcus quidam ſacerdos Domini de Bardewich, invitatus ut in tanta populorum frequentia ageret ea quæ Dei ſunt. Nec hoc latuit diu ſacerdotem illum barbarum, & accerſitis rege et populo, nunciat irata vehementius numina, nec aliter placari poſſe niſi cruore ſacerdotis, qui peregrinum inter eos ſacrificium offerre præſumpſiſſet. Tunc barbara gens attonita, convocat inſtitorum cohortem, rogatq; ſibi dari ſacerdotem, ut offerat Deo ſuo placabilem hoſtiam. Renitentibus Chriſtianis, centum marcas offerunt in munere. Sed cùm nihil proficerent, cœperunt intentare vim, & craſtina bellum indicere. Tunc inſtitores onuſtis jam de captura navibus, nocte illa iter aggreſſi ſunt, & ſecundis ventis vela credentes, tam ſe quàm
12 ſacerdotem atrocibus ademere periculis. Quamvis autem odium Chriſtiani nominis & ſuperſtitionum fomes plus omnibus Slavis apud Ranos invaluerit, pollebant tamen multis naturalibus bonis. Erat enim apud eos hoſpitalitatis plenitudo, & parentibus debitum exhibent honorem. Nec enim aliquis egenus aut mendicus apud eos repertus eſt. Statim enim ut aliquem inter eos aut debilem fecerit infirmitas, aut decrepitum ætas, hæredis curæ delegatur, plena humanitate fovendus. Hoſpitaliratis enim gratia, & parentum
13 cura, primum apud Slavos virtutis locum obtinent. Cæterùm Rugianorum terra ferax frugum, piſcium atque ferarum eſt. Urbs terræ illius principalis dicitur Archona.

In tempore, a) *Saxo Grammat. l. XIV. Pontan. l. VI. in Waldemaro I. anno 1168. Johan. Adolph. Cypræus Annal. l. I. c. 27.*

CAPUT XIII.

1. *Rugiani Chriſtianam religionem recipiunt. - - - - 1168.*
2. *Rex Duci partem prædæ & tributorum Rugiæ denegat.*
3. *Dux Slavos Danis immittit. 1169.*
4. *Danorum clades prodigio ſignificata.*
5. *Daniæ Rex regionem circa Penim fl. & Aldenburgum vaſtat.*
6. *Slavi prædam repetunt.*
7. *Prædæ intenti agriculturam & ædificiorum exquiſitas ſubſtructiones negligunt.*
8. *Belli tempore precioſam ſupellectilem cryptis occultant.*

1 ANno ergo incarnati verbi M. C.LXVIII. fundatum eſt opus novæ plantationis in terra Rugianorum, & ædificatæ ſunt Eccleſiæ, & præſentia ſacerdotum illuſtratæ. Servieruntq; Regi Danorum ſub tributo, & accepit filios nobilium obſides & abduxit eos ſecum in terram ſuam. Hæc autem acta ſunt tempore, quo Saxones civilia bella gerebant. Poſtquam autem Dominus

nus pacem reddidit, confestim Dux misit legatos ad regem Danorum, requirens obsides, & medietatem tributorum, quæ soluunt Rani, eo quòd laudatum & juramento firmatum esset, ut quascunq; gentes Rex Danorum expugnare voluisset, Dux ferret auxilium, & cum participatione laboris, fieret etiam particeps emolumenti. Cumq; renueret Rex, & nuncii redissent inacti, 3
Dux ira permotus vocavit Principes Slavorum, et mandavit, ut ultionem facerent de Danis. Vocati sunt, & dixerunt, assumus, & obaudierunt ei cum lætitia. Qui misit illos, & amoti sunt vectes & ostia, quibus jampridem conclusum erat mare, & erumpebat vadens & inundans, & intentans exitium multis Danorum insulis & regionibus maritimis. Et instauratæ sunt prædonum naves, & occupaverunt in terra Danorum insulas opulentas, & saturari sunt Slavi post diutinam inediam divitiis Danorum, incrassati, inquam, sunt, impinguati sunt, dilatati sunt. Audivi à referentibus, quòd Mekelenburg die fori de captivitate Danorum septingentæ numeratæ sint animæ, omnes venales, si suffecissent emptores. Porrò tanti excidii calamitatem ostenderant 4
præsagia quædam. Sacerdos enim quidam in terra Danorum, quæ dicitur Alfse, assistens sacro altari, cùm sublevasset calicem, sumpturus hostiam, ecce visa est in calice species carnis & sanguinis. Ille de timore tandem resumpto spiritu, non audens sumere insolitæ visionis speciem, transiit ad Pontificem, ibi in conventu Cleri calicem videndum obtulit. Cùm multi dicerent, id factum divinitus, ad confirmandam plebis fidem, Pontifex, altiori sensu, protestatus est, gravem Ecclesiæ imminere tribulationem, & sanguinem Christiani populi multum fundendum. Quoties enim sanguis martyrum effunditur, Christus denuò in membris suis crucifigitur. Nec prophetantis fefellere vaticinia. Vix enim præterierunt dies 14. & superveniens exercitus Slavorũ, occupavit omnem terrã illam, ecclesias subuertit, & populum captivavit, omnem verò resistentem percussit in ore gladii. Diu ergo siluit Rex Dano- 5
rum, dissimulans gentis suæ ruinas. Reges enim Danorum, segnes & discincti, & inter continuas epulas semper poti, vix aliquando sentiunt percussuras plagarum. Tandem veluti somno excitus Rex Daniæ, congregavit exercitum, & percussit partem modicam Cyrcipanæ regionis. Filius quoq; regis ex concubina natus, Christophorus (a) nomine, cum mille, ut ajunt, loricis, venit Aldenburg, quæ Danicè dicitur Brandehuse, & percusserunt maritima illius. Ecclesiam verò, cui deserviebat Bruno sacerdos, nõ læserunt, nec attigerunt penitus bona sacerdotis. Recedentibus ergo Danis, Slavi è vestigio prosecuti sunt, & damna sua ultione decupla compensaverunt. Dania enim ex maxi- 6
ma parte in insulas dispertita est, quas ambit mare circumfluum, nec facilè

caveri possunt insidiæ piratarum, eo quòd ibi sint promontoria latebris Slavorum aptissima, unde clàm egredientes, percutiunt de insidiis incautos.
7 Slavi enim clandestinis insidiis maximè valent. Unde etiam recenti adhuc ætate, latrocinalis hæc consuetudo adeò apud eos invaluit, ut omissis penitus agriculturæ commodis, ad navales excursus, expeditas semper intenderint manus, unicam spem & divitiarum summam in navibus habentes sitam. Sed nec in construendis ædificiis operosi sunt, quin potius casas de virgultis con-
8 texunt, necessitati tantùm consulentes adversus tempestates & pluvias. Quoties autem bellicus tumultus insonuerit, omnem annonam paleis excussam, aurum, atque argentum, & preciosa quæque fossis abdunt, uxores & parvulos munitionibus vel certè sylvis contutant. Nec quicquam hostili patet direptioni, nisi tuguria tantùm, quorum amissionem facilimam judicant. Danorum impugnationes pro nihilo ducunt, imò voluptuosum existimant manum cum eis conserere. Solus eis Dux est formidini, qui protrivit robur Slavorum super omnes Duces, qui fuerunt ante eum, plus multo quàm ille nominatus Otto, & misit frenum in maxillas eorum, & quo voluerit, declinat eos. Loquitur pacem, & obtemperant: mandat bellum, & dicunt assumus.

Christophorus, a) Dux Slesvicensis.

CAPUT XIIII.

1. Rex Ducem ad colloquium ad Eideram fl. evocat. - - 1169.
2. Duci partem tributi Rugiani permittit.
3. Affinitatem cum Duce, nuptiis inter Kanutum filium, & Rixam Ducis filiam, contrahit.
4. Slavia ab Eidera fl. Suerinum usque fit Saxonum colonia.
5. Pribislaus Mechlenburgum, Ilovicam & Rostochium instaurat. 1170.
6. Slavi latrocinantes deprehensi statim suspenduntur.

1 Rex ergo Danorum perspecta calamitate gentis suæ, vidit tandem quia bona est pax, & misit Legatos ad fortissimum Ducem, rogans præberi si-
2 bi locum familiaris colloquii ad Egdoram. Et venit Dux ad expetitum placiti locum in nativitate sancti Ioannis Baptistæ. Et occurrit ei Rex Danorum, & exhibuit se pronum ad omnem voluntatem Ducis. Et recognovit ei medietatem tributorum & obsidum, quæ dederant Rani, & de ærario fani æquam portionem, & ad singula, quæ Dux judicavit exigenda, devotè paruit Rex. Et renovatæ sunt inter eos amicitiæ, & inhibiti sunt Slavi, ne de cætero impugnarent Daniam. Et facti sunt vultus Slavorum subtristes, propter confæde-
3 rationem Principum. Et misit Dux nuncios suos cum nunciis Regis in terram Ranorum, & servierunt ei sub tributo Rani. Et rogavit rex Danorum Ducem, ut filiam suam, viduam (a) Fretherici nobilissimi Principis de Radenburg

burg daret filio suo, qui jam designatus erat Rex, in uxorem. Interventu itaq; magnorum Principum, consensit Dux, & misit filiam suam in regnum Danorum, & facta est lætitia magna omnibus populis borealium nationum, jocunditas & pax simul orta est. Et mutatum est gelidum illud frigus aquilonis, in lenes Austri flatus, & cessavit maris vexatio, & detumuerunt procellæ tempestatum. Et pacata est via transeuntibus à Dania in Slaviam, & ambulaverunt mulieres & parvuli per eam, eo quòd submota sint offendicula, & defecerint prædones in via. Omnis enim Slavorum regio, incipiens ab Egdora (qui est li- 4
mes regni Danorum) & extenditur inter mare Balticum & Albiam, per longissimos tractus usq; ad Zuerin olim insidiis horrida, & penè deserta, nunc dante Deo tota redacta est velut in unam Saxonum coloniam, & instruuntur illic civitates & oppida: multiplicantur Ecclesiæ, & numerus ministrorum Christi. Pribizlauus quoq; deposita diuturnæ rebellionis obstinatia, sciens 5
quia non expedit sibi, calcitrare adversus stimulum, sedit quietus & contentus funiculo portionis sibi permissæ, & ædificavit urbes Mekelenburg, Ilowe, & Rozstock (b), & collocavit in terminis eorum Slavorũ populos. Et quia Sla- 6
vorum latrones inquietabant Teutonicos, qui habitabant Zuerin, & in terminis ejus, Guncelinus præfectus castri, vir fortis & satelles Ducis, mandavit suis, ut quoscunque Slavorum invenissent incedentes per avia, quibus non esset evidens ratio, captos statim suspendio (c) necarent. Et cohibiti sunt utcunque Slavi à furtis & à latrociniis suis.

HACTENUS HELMOLDUS.

viduam. a) Hanc Fridericus, Dux Sueviæ, Conradi Imperatoris filius, in Italica Barbarossæ expeditione peste extinctus, viduam reliquerat. *supra c. 10. n. 6.*

Rostock. b) Pribislaus, abjecto omni rebellionis studio, conquievit, & Rostochium in formam oppidi cõdere cœpit. Nam hactenus arcem tantùm & parvum vicum Vandali eo in loco habuerant. Sed & Doberanum monasterium, ordinis Cisterciensium anno eodem Princeps, Christianæ religionis amore flagrantissimus, ædificare cum æterna nominis sui fama adgressus est. *Krantz Wand. lib. V. c. 19. Mareschalc. Thur. II. cap. 40. Lindenberg. Chronic. Rost. lib. I. cap. 6.*

suspendio. c) Factum hoc ad imitationẽ Caroli M. qui propter latrociniorum in Westphalia frequentiam Judicium secretũ instituit. De quo ita *Chronicõ Mindẽse:* Totius regionis proprietatem clero dedit; ut scilicet patriam illam in fide Christi, & Regis fidelitate tenerent. Propter quod etiam legem secreti judicii inter Weseram & Rhenum perpetuis temporibus inviolabiliter sancivit. Quia vidit terram istam sylvosam & latibundam, ideo timuit eam extirpari & spoliari crebris furtis, perjuriis & prædationibus, propter hæc & consimilia dedit legem prædictam.

DE RE-

DERELICTORUM HELMOLDI SUPLEMENTUM,

AUCTORE ARNOLDO, ABBATE LUBECENSI.

DOMINO ET PATRI PHILIPPO, RACEBURGENSIS Ecclesiæ antistiti, & universis ibidem fratribus Arnoldus, servorum Dei ultimus, debitam in Christo reverentiam.

CAPUT I.

1 QUIA bonæ memoriæ Helmoldus Sacerdos historias de subactione seu vocatione Slavorum, & gesta Pontificum, quorum instantia ecclesiæ harum regionum invaluerunt, debito fine, ut voluit, non consummavit, Deo cooperante huic operi, vel labori insistere decrevimus, ut tam piæ devotionis cooperatores existentes, vestris suffulti orationibus memoriam in benedictione sortiamur. Unde rogamus prudentiam vestram, ne tenuitatem ingenii nostri, vel verborum rusticitatem attendatis, sed caritatis devotionem, quæ confundi non meretur, pia consideratione advertatis. Ille etenim vir sagacis ingenii, potens in verbis, notior in positionibus, facundo sermone divitis venæ, seriem operis percurrit, nos autem de pingui Minerva distillantes velut impeditioris linguæ, & tardioris calami, cœpto operi reptando insistentes, humiliter procedamus, quia nec voce nec calamis æquiparamus magistrum.
2 Veritatem ergo historiæ sequentes, adulationem, quæ plerisque scriptorum comes est, omnino damnamus, ut timorem ac gratiam excludentes fallacem, liberè quæ nobis comperta sunt, prosequamur.

Quo ergo præcipiente, vel præsidente, harum Borealium regionum sive Ecclesiarum status invaluerit, ut in libro memorati sacerdotis Helmoldi contextum est, subsequenter annectamus. Et quia usq; ad tempora Henrici, Ducis Saxoniæ atque Bavariæ, series decurrit, ipsum in fronte ponamus. Quia super omnes, qui ante ipsum fuerũt, duriciam Slavicam perdomuit, & non solùm ad tributa solvenda coegit, sed etiam erga veri Dei cultum, relictis superstitionibus idololatriæ, humiliatis cervicibus promptissimos fecit. Pacem etiam maximam in omni terra Slavorum firmavit: & omnes provinciæ aquilonares Wagirorum, Holzatorum, Polaborum, Obotritorum, ocio, & quiete vacabant, & prohibita sunt furta & latrocinia terra mariq;, & fruebantur mercatio-

cationibus & negociationibus mutuis, & habitabat unusquisq; sub vite & ficu sua, præsidente in Racesburg reverendissimo patre Euormodo Episcopo, in Lubeke verò Conrado Episopo, viro illustri, in Zuerin quoq; Bernone, viro religioso, qui ecclesias novellæ plantationis, quas Henricus Dux memoratus instituit, Domino incrementum dante, doctrina plantare, & opere irrigare instantissimè satagebant.

CAPUT II.

1. Imperator inter Ducem & cæteros Germaniæ Principes pacem firmat. - - - - - 1171.

2. Pribislaus ex hoste Duci factus est amicissimus.

3. Henricus L. votivum iter in Syriam, primariis suis viris assumtis, suscipit. - - - - 1171.

4. Mechtildis, Ducis conjux, est religiosa &c. parit filiam Rixam.

5. Et reverso Duce quatuor filios.

Confirmata ergo pace in terra Slavorum, ut dictum est, magis ac magis 1
invalescebat potentia Ducis, super omnes inhabitantes terram, & sopita sunt bella civilia, mediante (a) majestate Imperatoria, quæ erant inter ipsum & Principes Orientales. Pribizlavus verò, frater Wertislavi, ex inimico fa- 2
ctus est Duci amicissimus, sciens quòd nil prævalerent adversus eum suscepta molimina, considerans etiam viri magnificétiam, & quocunq; se vertebat in omnibus fortuna favente prævalebat. Dux itaq; tanta potitus quiete, tan- 3
tisq; fluctuationum emensis periculis, tanquam portum salutis commodum duxit, pro peccatis suis sanctum visere sepulcrum, ut adoraret Dominum in loco ubi steterunt pedes ejus. Ordinatis ergo rebus suis, de profectione Hierosolymitana acrius cogitare cœpit, & terræ suæ tutelam Wichmanno Archiepiscopo Magdeburgensi consignans, nobiliores terræ itineris sui socios fecit, Conradum scilicet Episcopum Lubicensem, Henricum Abbatem de Brunswich, Bertoldum Abbatem de Lunenburg, & memoratum Pribizlavum regulum Obotritorum, & Guncelinum Comitem de Zuerin, & Sifridum Comitem de Blanckenburg, & alios quàm plures, tam de viris suis liberis, quâm de ministerialibus. Et non remansit quisquam majorum, excepto Ecberto de 4
Wolfelebotele, quem constituit Dux super familiam suam, maximè tamen deputatus est in ministerium Dominæ Ducissæ Mechtildis, religiosissimæ fœminæ, cujus memoria & apud Deum nota est & apud homines, filiæ Regis Anglorum. Quæ lineam generositatis suæ, quam ex longa regalium parentum prosapia traxit, piis operibus extulit, & caritatis insistens effectibus, religionis decore venustavit. Erat enim summæ pietatis, circa afflictos miræ compas-

sionis, eleemosynarum larga erogatrix, & orationibus dedita: Missarum, quas plurimas decantari fecit, devotissima frequentatrix. Fidem quoque conjugii illibatam custodiens, thorum conservabat immaculatum. Manebat autem in Brunswich, omni tempore quo Dux peregrinatus est, quia tunc prægnans
5 erat, ediditque filiam nomine Rikezen: Filios etiam ex eo post reditum suscepit, Henricum, Luderum, Ottonem, Willehelmum, quos sicut de sancto Thobia legitur, ab infantia Deum timere docuit. Ministrabant ei Henricus de Luneburg, & Ecbertus memoratus, eo quòd ipse fidelis & inclytus haberetur in omni domo Ducis. Sed res aliter cesserunt. Ipse enim dedit maculam in gloriam suam, & notam perfidiæ incurrit. Unde graviter multatus est. Sed ista nunc omittamus, quia ad alia festinamus.

mediante. a) Factum hoc esse Erfordiæ, ipso d. festo Johannis Baptistæ notat *Georg. Fabric. ad ann. 1171.*

CAPUT III.

1. Henricus L. expeditionem Idib. Januar. ingressus, Ratisbonam pervenit. - - - - - - 1171.

2. Inde in Austriam ad vitricum suũ: & inde Viennam.

3. Episcopus Wormatiensis, Cæsaris Legatus, est socius itineris.

4. Progressi per Austriam & Ungariam Strigonium appellunt.

5. Rex Hungariæ veneno perit.

6. Henrico L. dux itineris additur.

1 DUx (a) autem cum magna gloria profectus est de Brunswich post octavam Epiphaniæ, & venit cum omni comitatu suo Ratisbonam, ibique solenniter egit diem purificationis cum optimatibus terræ. Quorum etiam nobiliores peregrinationis suæ socios fecit, Marchionem videlicet Frethericum
2 de Sudhbach, & Marchionem de Stire. Et ita processit in regnum Orientale, ad vitricum suum nobilem Ducem Henricum. Qui totus festinus occurrit ei in castro Nuenburg, cum maximo Cleri plebisque tripudio, ubi mater ejus Domina Gertrudis, memorabilem sortita est sepulturam. Inde honorificè deduxit eum in civitatem metropolitanam Wene, ubi comparatis navibus, frumento, & vino, cæterisque necessariis copiosè onustatis, Dux cum suis navale iter per devexa Danubii arripuit: servi tamen cum equis via terrestri perrexerunt, vespertino tempore semper venientes ad locum determinatum, ubi
3 naves applicuissent. Nec prætereundum, quòd Dominus Wormaciensis huic itineri se sociavit, non peregrinationis gratia, sed legatione functus Imperatoris, ad regem Græcorum Manuelem pro filia ipsius filio suo in matrimonio socianda. Verius tamen ob commodum Ducis factum creditur, ut tam

familiari

familiari legatione accepta, benignè Ducem Rex Græcorum susciperet, &
benignius per terram suam ducatum ei præberet. Dux etiam Orientalis Au- 4
striæ instaurata classe, prosecutus est Ducem Saxoniæ, ducatum ei præbens,
& necessaria hospitalitatis abundantissimè administrans. Cum magna ergo
commoditate ad civitatem, quæ Mesenburg dicitut, pervenerunt, quæ sita
est in confinio terræ Ungariæ, ubi Legatus Regis(b)Ungarorum, Florentius
dictus, paratus fuit ad excipiendum Ducem Saxoniæ unà cum Duce Orienta-
lis Austriæ, cujus sororem Rex habebat, & ita procedentes cum summa tran-
quillitate, applicuerunt ad urbem quandam, quæ naturaliter est munitissi-
ma. Nam ex uno latere cingitur Danubio, ex alio, alveo profundissimo, qui
Grane dicitur, à quo arx & civitas, quæ in altera ripa sita est, nomen accepit.
Gravis autem mœstitia Ducem illic perculit. Nam ipsa nocte, Rex veneno 5
interiit, appotiatus, ut dicitur, à fratre suo, quem de terra ejecerat. Unde gra-
vi afflictione constricti, ignorabant quid facerent. Dux enim Saxoniæ, gra-
viter cum suis angebatur, quòd in peregrinatione constitutus, tutò ulterius
progredi non posset, quia morte Regis quasi præfocatus, ducem viæ habere
non poterat. Nec minus alter affligebatur de tam subito Regis interitu, eo
quòd intestatus obiisset, & sororem suam, viduam, prægnantem tamen, quasi
exortem regni, sine hærede reliquisset. Consilio autem habito, missi sunt ad 6
Archiepiscopum, qui tunc in civitate constitutus erat, regii funeris exequiis
occupatus, Conradus Episcopus, Henricus Abbas, Bertoldus Abbas, ut ipsius
ordinatione Dux Saxoniæ ducem itineris habere posset. Qui benevolum se
huic negocio exhibuit, & convocatis Principibus tandem ordinatum est, ut
Florentius suprà memoratus, cum Duce procederet, via qua cœperat.

Dux, a) Ducem iter votivum anno 1171. ingressum, affirmat primùm *Chronicon Stederburgense MS.* Auctor Fastos suos in ann. 1180. continuavit. Σύγχρονος igitur Leoni fuisse videtur, ut de calculo ipsius minus dubitandum sit. Eundem annum ponunt *Chronica Lub. MSS. antiqua* his verbis: In dem Jare cIↄ CLXXI. des achten Dages na Twelfften/da tog Hertoge Hinrick van Brunswic over Mer &c. Eodem anno Ducem profectũ esse scribit *Marschalc. Thurius l. II. c. 4.* In eundem annum consentiunt, quicunq; scribunt, Ducem anno 1172. reversum esse; in quibus est *Chronicon Augustense Monasterij S. Udalrici.* Alii iter Ducis in ann. 1172. collocant, ut *Albertus Stadensis*, *Krantz. Wand. l. V. c. 41. Saxon. l. VI. c. 28. 29. Georg. Fabric.* Lõgiùs recedunt *Godefridus Monachus*, *Gobelinus in Cosmodromio* & *Robertus de Monte*, qui in annum 1173. rejiciunt.

Regis, b) Is fuit Stephanus III. Geizæ II. filius, qui anno 1161. Rex factus regnavit annos XI. menses IX. & dies tres, *Joh. de Thwrocz Chron. Hũgar. part. II. c. 67.* Agnetem, Henrici Austriæ Ducis filiam, uxorem habuit, *Joh. Pistor. de Regib. Hungar.*

CAPUT

CAPUT IV.

1. Dux periclitatur in Danubio.
2. Brandisium perveniunt.
3. Relictis navigijs terrestri itinere Bulgarorum sylvam ingrediuntur.
4. Depositis etiam vehiculis jumentis commeatum vehunt.
5. Servij ipsis transitum denegant.
6. Dux ad pugnam instructus cum armatis procedit.
7. Servij noctu impetum in Ducis castra faciunt.
8. Episcopi Wormatiensis tentorium ab illis oppugnatur.
9. In conflictu dux Serviorum cadit.
10. Nissam perveniunt.
11. Constantinopolin ingrediuntur.

1 DImissus ergo Dux & sui, prosperè navigabant per aliquot dies, & inciderunt periculum, quod vulgariter Schere dicitur, quia ibi scopuli immanissimi adinstar montium prominentes, quorum uni castellum impositum est, interceptis aquis meandi facultate subtracta, difficilimum illic navigantibus transitum fecerunt: aquæ enim in arctum collectæ, primò quidem consurgentes intumescunt, & postea magno fragore in præceps cadunt. Omnes tamen naves, nutu Dei, illic illæsæ transierunt, sed solus Dux ibidem naufragium pertulit. Quod videntes ii, qui in castello erãt, navicula arrepta, eum ad terram traxerunt. Guncelinus verò, & Iordanes Dapifer, cum aliis, natando
2 evaserunt. Restaurata ergo nave, pervenerunt Brandiz, urbem Regis Græcorum, ubi deficientibus aquis, naves in sicco steterunt. Ibi enim Danubius subterraneo meatu absorptus, in amnem parvissimum derivatur, & post longa terrarum spacia, turgentibus fluctibus ebulliens, in Sowam protrahitur. Relictis ergo navibus, terrestrem viam ingressi, intraverunt nemus illud maximum & notissimum, quod Bulgerewalth dicitur, ubi multum laboraverunt tam ipsi quàm equi eorum, in profunditate palustri, & destructi sunt equi eorum plurimum, trahentes in plaustris & carrucis (a) copiam victualium.
4 Cumq; creberrimè plaustra contererẽtur, & omnes nimio labore deficerent, in reficiendis & sublevandis curribus, & processum nullum haberent, eo quòd dictum fuisset, ut una carruca confracta, omnes consisterent, donec ea refecta omnes procederent, animadvertens Dux, quòd ob tædium tanti laboris nimiam facerent moram progrediendi, præcepit ut relictis plaustris victualia jumentis imponerent, & sic abirent. Videres ergo immensos acervos farinæ purissimæ projectos, vasa vinaria plurima, & vino plena relicta, carnium, piscium multitudinem ibi neglectam, & quicquid accuratius sibi quisq; præparaverat diversis condimentis. Procedentes ergo, appropiabant urbi, quæ

quæ Ravenellæ dicitur, quæ in medio nemoris sita est, cujus habitatores Servi(b) dicuntur, filii Belial, sine jugo Dei, illecebris carnis & gulæ dediti, & secundum nomen suum imundiciis omnibus servientes, & juxta locorum qualitatem bellualiter vivendo, bestiis etiam agrestiores. Subjecti tamen noscuntur Regi Græcorum, cujus Legatus Ducem præveniens, qui tunc cum ipso erat, præcepit, ut Ducem in castro honorificè susciperent, & ut deceret Regis magnificentiam, in omnibus ei honestissimè deservirent. Qui ejus monita sive præcepta contemnentes, dimiserunt eum vacuum, ac sine honore abjecerunt. Qui reversus ad Ducem, nunciavit ei quod audierat. Et venit Dux cum suis prope urbem, & ibi castra metatus est. Et iterum misso nuncio, mandat se pacificè venire, rogans ut conductorem ab eis accipiat: & sic in pace discedat. Cumque hoc sæpius attentatum fuisset, & nihil profecissent, 6
Dux ait ad suos: Iustum quidem est, ut in peregrinatione positi, cum omni pace & mansuetudine incedamus, & ideo cum signis bellicis ad urbem Regis, ad quam tendimus, procedere non debuimus: Sed quia isti filii Belial quæ pacis sunt non sectantes, bellum nobis intentare videntur, levate signa, & procedamus. Deus patrum nostrorum nobiscum sit, pro cujus nomine peregrinamur, & ejus præcepta secuti domos & fratres, uxores & filios, & agros reliquimus. His viribus utendum est, pugnemus fortiter, quicquid ipsi placuerit, fiat, quia sive vivimus sive morimur, Domini sumus. His dictis levantes signa profecti, præterierunt urbem, nec longè castra metati sunt, in valle longissima, super rivum perlucidum, habentes à dextra, montana, à sinistris verò rubum spinarum densissimum. Hoc ergo muniti præsidio, accenderunt ignes maximos, & ordinatis excubiis per castra, curam corporis habuerunt, & dormitum est. Cùm ecce media nocte Servi in unum ex omni nemore 7
conglobati, fecerunt quatuor turmas, & per vices in quatuor partibus ululantes, invalescebant maximis vociferationibus sperantes se sic terrere exercitum Ducis, ut fugientes bona sua projicerent, & ipsi quædam raperent. Dux autem consurgens cum suis ad arma convolabat, & circuibat Henricus Marschalcus, cogens milites omnes ad vexillum Ducis convenire. Servi etiam ex una parte sub custodia equos servabant, quibus mandatum erat, ut si priores insultus hostium excepissent, sine mora militibus nunciarent, ut præsidio eis fierent. Fuit autem numerus virorum educentium gladium, ducenta millia(c). Cumq; ut dictum est, milites omnes ad Ducem venirent, ascenderunt ad eum etiam Conradus Episcopus, & Abbates, Henricus & Bertoldus, & sedebant juxta Ducem. Duce autem sedente in armis, accensus est clibanus ingens, & stabat ante eum Guncelinus Comes, & quiq; robustiores, mu-

tuis se cohortationibus confortãtes, & subitò prodiit sagitta, & cecidit prope
8 eos. Unde exterriti, celerius arma corripiunt. Subitò autem venit, qui diceret, castra Domini Wormaciensis ab hostibus occupata, & militem unum mortuum, sagitta percussum, & servos duos, quorum alter usque ad medium diem supervixit, & mortuus est. Tela enim habent toxicata, & quicquid vul-
9 neraverint, mortem evadere non potest. Audito ergo tam tristi nuncio, subitò missi sunt ad castra Episcopi, viginti milites loricati, qui venientes, hostes fortiter cædendo premebant, & unus balista feriens, nutu Dei è regione percussit Ducem illorum, & transfodit eum. Illo cadente, alii fugam inierunt, &
10 non adjecerunt ulterius impetere castra Ducis. Facto autem mane, orta est nebula. Cùm verò sol incaluisset, profecti sunt, & viderunt eminus hostes tota die insidiantes, si aliquem ex eis rapere potuissent, & sic illæsi transito nemo-
11 re, tenuerunt civitatem Niceam (d). Ubi Dux honorificè susceptus est, & lautissimè ministratum est ei, & omnibus suis, de impensa regia. Inde ductus est Andernopolim(e), deinde Vinopolim, & ita profecti in parasceve venerunt prope Constantinopolim. Ibiq; celebrantes Dominicam passionem, & sabbatum sanctum, mane in die sanctæ resurrectiones, peractis solenniter mysteriis, & prandio facto, ascenderunt curiam regis. Præmiserat autem Dux munera multa & optima, juxta morem terræ nostræ, equos pulcherrimos sellatos & vestitos, loricas, gladios, vestes de Scharlatto, & vestes lineas tenuissimas.

---

carrucis, a) carruca, carrochium & caruana, sunt à carrus. Scaphæ carrucis superpositæ, *Baldricus Archiepisc. l. I. p. 96.* Carri & Carrucæ vehiculum & carrucarius occurrunt apud *Ekkehardum jun. de Casib. monast. c. 5.* Carruca in morem lecticæ instructa, *Lupus Servatus in vita Wigberti Fritzlariensis c. 26.* Si quis caballum, qui carrucam trahit, &c. *Lex, Salica Tit. XL.* De eo, qui carrucam alterius involaverit, *Lex Alamann. Tit. XCVI.* Si quis per messem alienam cum carro vel carruca transierit &c. *Lex Ripuar. Tit. XLIV.* Hinc Caruani *infra l. VI. c. 5.*

Servi, b) De Serviorum locis & migrationibus *Joann. Leonclav. Pandect. Hist. Turc. c. 37.*

ducenta, c) Rectiùs hic *Codex MS. Ranzov.* habet: *mille ducenti.*

Niceam, d) Nissa intelligitur, quæ in Serviorum terra. *Tageno*: Decimo Kal. Aug. venimus ad civitatem Nisseam, Ibi magnus Comes Serviæ nobis occurrit, *De expedit. Friderici anno 1189.* Nonnullis Niz, item Niczh scribitur, ut *Wilhelmo Tyrio lib. II. c. 4. Mar. Sanuto l. III. part. 4. c. 4.* & *Alberto Aquens. l. I. c. 7.* qui in media Bulgarorum regno collocat, *l. I. c. 7. Cedrenus* Naissum Bulgariæ nominat. Dicta est ab amne Nissa, alluente

alluente illam & Serviam à Bulgaria distinguente. Hodie ignobile oppidulum est, ut scribit *Salomon Schweigger, testis αὐτόπτης, Itiner. l.I.c.12.*

Andernopolin, e) Adrianopolin & Philippopolin intelligit; de quibus *infra ad l.III. c.30.*

CAPUT V.

1. *Henricus L. splendido apparatu à Rege Græco excipitur.*
2. *Sacris cum Rege interest.*
3. *Henricus, Abbas Brunsvic. in disputatione de Processione Spiritus S. palmam obtinet.*
4. *Regina Duci munera dat.*

REx ergo indutus ornatu regio, cum summis Pontificibus & Principibus 1
& optimatibus, præstolabatur adventum Ducis. Erat autem in eodem loco curia venationis latissima & planissima, murata, & ad ostendendam gloriam divitiarum suarum, præceperat Rex Principibus & optimatibus suis, ut omnes soleñiter huic interessent lęticiæ. Videres ergo illic tentoria innumera erecta, byssina, purpurea, cum capitibus aureis, & pro uniuscujusq; magnificentia, vario decore ornata. Veniens ergo Dux, gloriosè susceptus est, & quia 2
processionis solennitas instabat, procedebat Rex cum Duce. Erat autem strata semita quędam tota purpurea, desuper tecta aurifrigiis(a), & ornata aureis lampadibus & coronis. Hanc incedebat statio Clericorum, & pontificum, prosequente rege cum Duce, & militibus tantùm peregrinis. Et ita procedebant ad tentorium aureum, quod totum incanduit gemmis & lapidibus preciosis. Inde per eandem viam reversi sunt ad Ecclesiam, & collocatus est Rex in excelso throno suo, & Dux in alio, juxta eum, & missarum solennia celebrabantur. Igitur post meridiem cùm Rex cum Duce lætior esset, movit quæ- 3
stionem Dominus Wormaciensis unà cum Lubicense, cum literatioribus Græcorum, de processione Spiritus sancti. Dicunt enim Græci, Spiritum sanctum procedere tantùm à patre & non à filio, verbis Domini nimis adhærentes, qui de processione Spiritus sancti loquens, ait: Cùm venerit Paracletus, qui à patre procedit, &c. Opponentibus autem nostris, Quia Spiritus sanctus procedit à filio sicut à patre, quia Spiritus sanctus est patris & filii, et cùm Spiritus sancti gratia datur hominibus, profectò mittitur à patre, mittitur et à filio, procedit à patre, procedit et à filio: Quia ejus missio, ipsa processio est. Græcis verò adhuc contradicentibus, quasi plenis autoritatibus nondum essent conclusi, Abbas Henricus, vir literatissimus et facundissimus, modestè inchoans: Nunc erratis, inquit, ó catholici et religiosi viri, dicentes Spiritum sanctum tantùm à patre procedere, et non à filio, quia plane procedit à filio sicut

ficut à patre, Quod negare hæreticorum eft. Quòd enim de utroq; procedat, divinorum eloquiorum teftimoniis comprobatur. Dicit enim Apoftolus: Mifit Deus Spiritum filii fui in corda noftra. Ecce hîc dicitur Spiritus filii. Et ibi. Qui autem Spiritum Chrifti non habet, hic non eft ejus. Ipfe etiam filius de Spiritu fancto in Evangelio ait: Quem ego mittam vobis à patre. Patris autem Spiritus dictus eft, ubi legitur, Spiritus ejus qui fufcitavit Iefum à mortuis, habitat in vobis. Et ipfe Chriftus dicit: Non enim vos eftis qui loquimini, fed Spiritus patris veftri qui loquitur in vobis. Et alio loco: Quem mittet pater in nomine meo. His & aliis autoritatibus oftenditur, quod Spiritus fanctus procedit à patre & filio. Ad illud autem, quod de Evangelio opponitis, qui à patre procedit, ita refpondemus, quia cùm dicat in eo Veritas, Spiritum fanctum à patre procedere, non addidit Solo, & ideo etiam à fe procedere non negat, fed ideo patrem tantùm nominat, quod ad eum etiam folet referre, quod ipfius eft, quia ex illo habet. Veftri etiam Doctores, unam eandemq; fententiam effe intelligentes, qua Spiritus fanctus dicitur procedere à patre & filio, & effe Spiritum filii ficut patris, profeffi funt Spiritum fanctum procedere à filio ficut à patre. Vnde Athanafius in fymbolo fidei: Spiritus fanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, fed procedens. Ecce Spiritum fanctum à patre dicit procedere et à filio. Item Ioannes Chryfoftomus in Homilia quadam fic ait: Ifte eft procedens à patre et filio, qui dividit dona propria prout vult. Item Cyrillus Epifcopus, Spiritus, inquit, fanctus, intelligitur per fe, fecundum quod Spiritus eft, & non filius, fed tamen non eft alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur, & profluit ab eo, ficut à Deo patre. Ecce etiam à veftris doctoribus aperta habetis teftimonia, quibus Spiritus fanctus à patre & filio procedere oftenditur. Omnis ergo lingua confiteatur Spiritum fanctum procedere à patre & filio. His aliisq; autoritatibus, maximè fuis, non valebant contradicere Magiftri Græcorum, concedentes Spiritum fanctum procedere à patre & filio. Et magnificatus eft Abbas Henricus in confpectu Regis, & Pontificum, collaudantes doctrinam ejus, et fidem non modicam adhibentes verbis illius.
4 Regina autem donavit Duci Samittos plurimos, ita ut omnes milites fuos veftiret Samittis, quibus addidit Regina cuilibet militi pelles varias, et pelliculam Zobilinam.

aufrigiis. a) aurifrigia funt ftragula ferica, Phrygio opere facta & auro intertexta. Utitur illa voce *Conradus Epifcop. in Chron. Mogunt.* Vide etiam *Joann. Wower. Not. in Sidonij Apollinar. l. IX. epift. 13.*

CAPUT

CAPUT VI.

1. Henricus L. cum suis in mari periclitatur. | *2. Liberatio è periculo in somno alicui prædicitur.*

PORrò rex dedit ei navem firmissimam, necessariis omnibus copiosè ditatam, et ingrediens Dux cum suis, navigare cœpit. Et factus est motus ma- 1
gnus in mari, ita ut præ nimia tempestate omnes mortem sibi proximam formidarent. Erat autem ibi quidam bonæ conversationis, qui ob imminens pe- 2
riculum graviter anxiebatur, et inter ipsas mentis et pelagi fluctuationes, repente somno depressus, vidit astantem sibi virginem pulcherrimam, quæ dixit ad eum: Times maris periculum? Et ille, Domina, inquit, clarissima tenent nos angustiæ, et nisi Deus cœli respexerit nos, quantocyus peribimus. Et illa, Confide, inquit, non peribitis, sed propter orationes cujusdam, qui in hac navi me invocare non cessat, ab instanti periculo liberi eritis. Quod de quo dictum fuerit, quamvis expressum non sit, tamen qui viderat, de Henrico Abbate dictum sibi affirmabat, quia qui in Spiritu Dei videt, pauca quidem audit, sed plura intelligit. Nec fefellit visio. Denique facto die invalescebant procellæ, & navis in medio mari jactabatur fluctibus. Et inciderunt periculum marinum, ut superius in Danubio, quod dicitur Skere, et timuerunt nautæ vehementer. Erant autem ibi petræ acutissimæ à dextris & à sinistris, & navis in medio. Cumque nimis turbarentur, aspexerunt nautæ lapides patentes quasi ostium, & direxerunt velum contra ipsum, & ecce cecidit spiritus procellæ, & siluerunt fluctus ejus: & subitò navis illæsa pertransiit, & laudaverunt Dominum, qui mortificat, & vivificat, deducit ad inferos & reducit.

CAPUT VII.

1. Dux Acconem: inde Hierosolymam pervenit. | *3. Milites sacros præmijs afficit, & loca sancta lustrat.*

2. Templis donaria infert. | *4. Henricus Abbas freqventer Missarum solennia in itinere peragit.*

DUx igitur applicans ad Accaron vel Accon, magnificè susceptus est ab 1
Accaronitis, & ascensis equis, rabitis, mulis, quidam etiam asinis, processerunt ad urbem Hierosolymitanam, & occurrerunt eis Templarii & Hospitalarii, cum grandi comitatu, & honestissimè excipientes Ducem, duxerunt in sanctam civitatem, & susceptus est à Clero cum hymnis & laudibus Dei.
Obtulit autem Dux ad sanctum sepulcrum pecuniam multam, & Basilicam, 2

in qua lignum Domini repositum est, ornavit musivo(a) opere, & ostia ejusdem Basilicæ vestivit argento purissimo. Deputavit etiam reditus annuos
3 ad cereos comparandos, jugiter ad sanctum sepulcrum arsuros. Templariis quoque & Hospitalariis dedit dona & arma plurima, & mille Marcas argenti, ad comparanda prædia, quibus tirones teneantur tempore bello. Rex autem in domo propria fecit ei cum suis convivium per triduum. Visitatis ergo omnibus locis sanctis, in Iosaphat, in monte Oliveti, in Bethlehem, in Nazareth, abiit ad Iordanem, deducentibus eum Templariis, & inde ascendit Quarete-
4 nam. Illic etiam Henricus Abbas cum difficultate magna ascendit, quia corpore exhaustus erat, celebrans ibi divina, quæ etiam ad omnia illa sancta loca devotissimè celebravit ob memoriam Domini nostri Iesu Christi, quam corporaliter ibi exhibuerat, & gloriosæ genitricis ejus, cui etiam in omni peregrinatione illa, cilicio indutus, devotissimus extitit, in abstinentiis, in orationibus, primo semper diluculo antequàm castra moverentur, completis matutinorum vigiliis, cum pleno officio missarum ei solennia celebrans, & hostiam salutarem tam pro se quàm pro omni exercitu illo peregrino incessanter offerens.

musivo) musivum opus est, quod concinnè & eximia compositione tessellatum. Usurpatum ita *Ælio Spartiano in Pescennio Nigro.* Ad quem locum prolixè *Cl. Salmasius.* Adde *Andr. Schotti Nod. Cicer. l. II. c. 6.*

CAPUT VIII.

1. Dux in patriam remeaturus Hierosolymâ Antiochiam procedit.
2. Conradus Episcopus Lubecensis, moritur, & Tyri terræ mandatur.
3. Etiam Bertoldus, Abbas Luneburg. vitâ excedit.

1 DUx autem regressus est Hierosolymam, & detinuit eum illic Dominus Patriarcha duobus diebus. Inde reversus in Accaron vel Accon, & ita valedicens omnibus, etiam suis, Conrado videlicet Episcopo, & Bertoldo Abbati, profectus est Antiochiam, prosequentibus eum Templariis, cum turba
2 multa. Conradus autem Episcopus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est(a). Cùm autem Dux abiisset, Dominus Episcopus molestè ferens ejus discessum, habens etiam quædam negotia ei insinuanda, cum Abbate Bertoldo barcham (b) ingrediens navigio eum insequitur. Crescente autem corporis molestia, cùm jam applicarent ad civitatem quæ Surs dicitur, vel Tyrus, spiritum reddidit. Cujus corpus in civitatem perlatum honestissimè terræ reconditum est, agente id Guncelino Comite, & aliis amicorum Ducis, qui præsentes

sentes fuerunt. Bertoldus autem Abbas rediens Accaron, post triduum & ipse vitam finiit. Dux autem hoc audito, graviter contristatus est, Henricus verò Abbas cum duce perrexit via qua cœperat. 5

mortuus est, a) anno 1172. Kal. Augusti. barcham. b) est navigii genus. Βάρχα, *Joanni Meursio in Glossario.* Barca, *Isidoro lib. XIX. cap. 1.* Barga, *Godefrido Monacho, p. 269.* Bargia, *Henrico de Knygthon, p. 2464.*

CAPUT IX.

1. Dux terrâ Sarracenorum prænavigata, Tarsum pervenit.
2. Deinde per Romaniam desertam cum suis iter facit.
3. Soldanus Turcicus benignissimè illum excipit.
4. Multa eidem munera offert.
5. De religione disputat.

IGitur Dux missis Legatis ad Milonem Sarracenum, rogavit ut per terram suam ducatum ei præberet. Qui missis ad eum viginti viris de nobilioribus suis, mandat se paratissimum esse, cum honore & summa pace per terram suam illum deducere. Quod comperiens Dux in dolo factum, noluit per terram suam trãsire. Princeps verò Antiochiæ, qui eum honestè tractaverat, naves ei providit, quas ingressus cum equis, & omnibus quę habebat, ad civitatẽ quæ dicitur portus Symeonis, expansis velis nocte & die eundo partem quandam terræ illius præteriit. Cúmque ad civitatem quandã applicuisset, quæ di- 2
citur Torsult (a), Sarracenicè verò Tortum (quam postea idem Milo expugnans sibi subjugavit in ultionem, quòd peregrini ibi præterlapsi fuissent) Soldanus, Princeps Turcorum, misit ei quingentos milites, qui eum per terram Milonis deducerent cum omnibus quæ ipsius erant. Profecti autem per triduum, transierunt terram desertam & inviam, & inaquosam, terram horroris & vastæ solitudinis, quæ Rumenia (b) deserta dicitur, ubi multum laboraverunt, portantes in equis omnia necessaria, etiam aquam quam biberent tam ipsi quàm jumenta ipsorum. Et ita pervenerunt ad civitatem, quæ juxta linguam Turcorum dicitur Rakilei, in nostra lingua Eraclia, quam princeps Hierosolymitanus Eraclius olim tenebat, qui occidit Cosdroe, qui Hierosolymam ceperat, & lignum Domini in captivitatem asportaverat.
Dux illuc perveniens, magnificè susceptus est à Turcis, & inde deductus est 3
Axarat, ubi occurrit ei Soldanus lætissimus, amplexatus & deosculatus eum, dicens eum consanguineum suum esse. Cumq; Dux perquireret affinitatem 4
consanguinitatis, ille respondit: Quædam nobilis matrona de terra Teutoni-

corum, nupsit Regi Ruthenorum, qui genuit ex ea filiam, cujus filia devenit
in terram nostram: de qua ego descendi. Benedicebat autem Soldanus De-
um cœli, quia Dux Milonem evaserat, dicens eum infidelem, & traditorem, &
si in terram ejus devenisset, profectò eum rebus vel etiam vita spoliasset. De-
5 dit autem ei dona plurima, mantellum & tunicam de optimo serico, qui pro-
pter operis excellentiam fecit inde Casulam(c) & Dalmaticam (d). Post hæc
adducti sunt ei equi mille octingenti, ut eligeret quos vellet. Dixit ergo Dux
militibus suis, ut quisq; acciperet sibi equum quem voluisset. Inde adducti
sunt caballi fortissimi triginta cum frenis argenteis & sellis optimis, de pallio
& ebore compositis, quos Duci tradidit. Dedit etiam ei sex domos filtrinas(e),
secundum morem terræ illius, & sex camelos, qui eas ferrent, cum servis, qui
eos ducerent. Addidit his duos leopardos & equos & servos: docti enim e-
6 rant sedere in equis. Cumq; omnibus modis benignissimè eum tractaret, ar-
guit eum Dux de superstitione gentilitatis, multa dicens ei de incarnatione
Christi & fide Catholica. Qui respondens: Non est, ait, difficile ad creden-
dum, quòd Deus, cùm voluit, de immaculata virgine carnem assumsit, qui ho-
minem primum de limo terræ plasmavit. Fortè, quia de hæresi Nicolaita-
rum erat, libros Moysi audierat: in quibus de plasmatione primi hominis le-
gerat. Sunt enim multi gentiles, qui Pentateuchum Moysi recipiunt, nec ta-
men ab idololatria cessant, ut olim Samaritani. Unde mulier Samaritana in
Evangelio dicit: Domine, ut video, Propheta es tu, & cætera.

Torsult. a) Tarsum intelligit, ut explicat *Albert. Aquens. l. III. c. 5.*

Rumenia. b) *Siffridus Presbyter* nominat desertum Romaniæ, *anno 1190. Albertus Aquens.* Romaniam, *l. I. c. 18. l. III. c. 32. & 33.* Nicea caput Romaniæ appellatur, in *Gestis Francor. lib. II.* & apud *Baldric. Archiepiscopum lib. I. Guibertus Abbas* vocat totius Romaniæ metropolin, Bithyniæq; caput, *l. III. c. 4.* Romaniæ nomen etiam *Tageno* in hac historia retinet, *p. 10.*

Quod Romanum Imperium in Orientem translatum esset, Constãtinopolitani se Romanos vocarunt. Cùm enim Constantinus constituta Republica urbem novam, jam ad magnificam ædificiorum speciem perductam, solenni cerimonia, advocatis Orientis Episcopis, dedicandam curaret, illam Constantipolim & novam Romam appellabat. Hinc *Nicetas Choniata, Theophylactus Simocatta, Cedrenus, Nicephorus*, & alii, Constantinopolitanos frequenter Ῥωμαίους appellant. Urbs ipsa Κωνσταντινούπολις, & νέα Ῥώμη, interdum etiam νέα absolutè dicitur, ut *Simocattæ l. IIX. c. 6.* Roma autem Ῥώμη πρεσβῦτις, ut *eidem lib. III. c. 4. lib. IIX. c. 11.* Gennadio, Patriarchæ Constantinopolitano, *Epist. ad Papam*

Romanum

Romanum dicitur ἡ βασιλεύουσα Κωνσταντινούπολις, νέα Ῥώμη, *Juris Græco-Rom. Tom. I. l.3.* Inde Præsules istius vocant se Archiepiscopos νέας Ῥώμης, ut Gennadius, *ibid.* Alexius Patriacha *l. IV.* Constantinus Lichudes, *ibid.* Joannes Cameterus, *lib. eodem.* Tarasius Patriarcha scribit ad Adrianũ τὸν πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, *l. III.* Theodorus Ballamon, Patriarcha Antiochenus, dicit τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας ἐκ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης translata esse εἰς τὴν τῶν πόλεων βασιλεύουσαν, *l. VII.*

Hanc consuetudinem scribendi ex nostris nonnulli imitati sunt, ut & ipsi Constantinopolin Novam Romam appellitarent; ut *Venericus Vercellensis, de Unit. eccles. conservanda, p. 2. Johannes de Parisiis, de potest. reg. & Pap. c. 22.*

Hinc porrò factum, ut invida illa & ambitiosa natio (quanquam Carolus M. Imperium Occidentis sibi & posteris suis legitimè asseruisset) Imperatoribus nostris titulum illum detrahere, & suos solos Romanos, Augustos, βασιλέας & αὐτοκράτορας Ῥωμαίων in historiis, tabulis publicis & numismatis appellaret: nostros autem Latinos tantùm & Alemannos, item Francos, Imperatorem verò Ῥῆγα Ἀλαμανίας aut Φραγγίας vocaret. Quomodo *Simocattæ* Mauricius τοῦ Ῥωμαικοῦ βασιλεὺς dicitur, *l. V. c. 13.* Et Manuel Comnenus *Novella I.* conqueritur, Rogerium, Siciliæ Regem, κατὰ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐπικρατείας, adversus Romanum (Græcum intelligit) Imperium prorepere. *Juris Græco-Rom. Tom. I. l. 2. p. 149.* Eundem Manuelem tamen, à Friderico I. Imperatore monitum, hac appellatione moderatiùs usum esse commemorat his verbis *Radevicus*: Fridericus Imperatorem Constantinopolitanum Manuel, ultro amicitiam & societatem ejus expetentem, cùm sese, sicut antecessores sui, Romanorum appellaret Imperatorem, flexit, ut se non Romæ, sed Neoromæ vocet Imperatorem, *De gest. Frid. l. II. c. 76.* Monumento lapideo Alexii Comneni Constantinopoli in cœnobio Patriarchæ Græci hæc insculpta: Ἀλέξιος Κομνηνὸς, αὐτοκράτωρ τῶν Ῥωμαίων, *Salomon Schweigg. Itiner. lib. II. cap. 35.* Vide de eodem argumento *Laonicum Chacocondylam, Præfat. sui Operis. Martin. Crusium Turcogræc. l. I. p. 48. Rein. Reinecc. append. ad Albert. Aquens. l. I. c. 18.* & in *Haythoni Armenij cap. 13. Marq. Freber. Epist. dedicat. in Jus Græco-Roman. Jacob. Pontan. in Simocattæ l. I. c. 12. l. V. c. 13. l. IIX. c. ult. Eundem in Georg. Phranz. l. I. c. 1.* & *19.*

casulam, c.) recurrit vox infra *c. 12. n. 4.* Est vestimentum presbyteri, quod instar parvæ casæ totum hominem tegat, *Isidor. l. XIX. c. 24.* Casulæ sericæ meminit *Ekkehard. jun. de casib. monast. c. 10.* Vide *Goldast. Tom. I. in h. locum.* Ex mantello Judithæ, Viperti uxoris, fit casula optima; *Monach. Pegav anno 1109.* Casulæ mysticam significationem enarrat *Rupertus Abbas lib. I. de Div. Offic. c. 22.* De usu ejusdem, *Idem l. III. c. 2.*

dalmat, d) usurpatur vox eadem infra

Arnolddi l. II. c. 12. n. 4. l. VI. c. 5. n. 4. Dalmatica est vestis in Dalmatia primùm texta, tunica sacerdotalis, linea, longa, candida cum clavis & purpura, *Isidor. l. XIX. c. 22.* Dalmaticarũ duarum meminit *Conradus Episc. Chronico Mogunt. p. 450.* Dalmatica & subtile pæne aurea, apud *Ekkehard. de casib. monast. c. 10.* Otto M. voluit, ut presbyteri Magdeburgensis ecclesiæ Dalmaticis uterentur, *Historia Erect. Archiep. Magdeb. adjuncta Witichindo.*

filtrin. c.) filtrina vel feltrina domus *Arnoldo* non significat tabernam coactiliariã, uti autumat *Martinius in Lexico.* Nam equis hæ domus vectæ sunt. Sed potius fuere stragula crassa, è coacta lana, quibus in castris uterentur. Filtrum enim, seu Feltrum est vestimentum, seu tegumentum è lana coacta. Nostri vocant Filtz. Græci hinc fecerunt *ἀφέλετρα.* *Καὶ σκέπεσθαι τὰ στήθη καὶ τοὺς τραχήλους αὐτῶν· εἰ δυνατὸν, καὶ τὰς κοιλίας μικρῶν ἀποκρεμασμάτων ἀπὸ τῶν λεγομένων ἀφελέτρων τῆς σέλλας, Leo in Tactic. Cap. VI. §. 8. Ulpianus* vocat Coactilia, *Plinius* lanas coactas. Vide *I. Lipsium de mil. Rom. l. III. Dial. 6.* Turci in adventu nostro exterriti relictis tentoriis & filtris &c. *Tageno de Expedit. Frider. I.* Tentoria filtra habet *Roger. de destruct. Hung. c. 8.* Hinc thoraces filtrini, apud *Olaum Magnum lib. IIX. c. 13.* Si quis in exercitu aliquid furaverit, pastorium capistrum, frenum feltri, (frenum, feltrum, legit *Nic. Rigaltius* in Ἀφέλετρα) vel, quæcunq; involaverit &c. *Lex Bojoar. Cap. II. Tit. 7.*

CAPUT X.

1. Dux Iconium, & ad illum locum pervenit, ubi quondam Conradi III. exercitus perierat. Lib. 1. cap. 60. n. 5.
2. Rex Græciæ tunc Conradum in angustias deducendum curarat.
3. Illius fastus.
4. Dux ad castellum Alemannorum: inde ad urbem Amke progreditur.

1 DImissus itaq; Dux à Soldano, deductus est Insciam. Inde Cunin (a), quæ est civitas Turcorum capitalis. Et inde progressus venit in terram desertam & aridam nimis, ubi dicitur Conradus Rex stetisse cum exercitu suo: quia propter nimiam terræ solitudinem, multis in fame & siti deficientibus, procedere non poterat. Traditus enim à ductore viæ fuerat, quod consilio regis Græ-
2 corum quidam factum dicunt, eo quòd idem Conradus in terra sua cum nimia multitudine diu fuerit, & eum videre noluit. Est enim quædam dete-
3 stabilis consuetudo regi Græcorum, qui etiam propter nimium fastum divitiarum suarum Imperatorem se nominat, quam tamen dignitatem à Constantino, ejusdem civitatis fundatore, traxerat, ut osculum salutationis nulli offerat, sed quicunq; faciem ejus videre meretur, incurvatus genua ejus osculatur. Quod Conradus Rex ob honorem Romani Imperii omnino detestabatur. Cumq; Rex Græcorum in hoc consensisset, ut osculum ei porrige-

ret, ipso tamen sedente, nec hoc Conrado regi placuit. Tandem sapientiores ex utraq; parte hoc consilium dederunt, ut in equis se viderent, & ita ex parilitate convenientes sedendo se & osculando salutarent. Quod & factum est. Propter hanc igitur causam videlicet, quia vires Teutonicorum timebant omnes, exercitum illum peregrinum Græci tradiderunt, miscentes eis venenum in fontibus, & traducentes eos in horridissimam illam solitudinem. Et misero fine immanis illa expeditio soluta est. Dux autem procedens venit
ad nemus maximum, quod dividit terram Turcorum & Græcorum: quod tri- 4
duo cum difficultate transiens, venit ad urbem regum Græciæ, quæ dicitur castellum Alemannorum: quia eam Dux Godefridus olim tenuerat, & inde omnem Turcomaniam sibi subjugaverat. Inde profectus pervenit ad urbem fortissimam, muro & turribus multis in circuitu venustissimè ornatam, & fortissimè firmatam, quæ dicitur Amkke (b), quam idem Godefridus labore nimio expugnaverat. Et quia propter suam fidelitatem omni est memorabilis ævo, dicamus, quomodo eandem urbem, quæ inexpugnabilis erat, Deus in manus ejus tradiderit.

Cunin. a) Iconium intelligit, Lycaoniæ metropolin, Soldanorum Turciæ regiam.

Amkke. b) MS. R. legit Anikke. Suspicor, eandem esse urbem, quæ *Alberto Aquensi l. V. c. 18. & 19.* Amacha dicitur; quam Balas Turca Balduino, Christiani exercitus Duci, se traditurum fraudulenter pollicebatur: nã id agebat, ut vivũ ipsum caperet.

CAPUT XI.

1. Godefredo Bulioneo urbem Amke olim obsidente, obsessi duellum expetunt. - - - - - 1096.
2. Duellum decernitur, & Elias quispiam in urbem mittitur.
3. Elias ad obsessorum partes transit, & duellum denunciat.
4. Drogo quispiam duellũ sibi deposcit.
5. Elias à Drogone in duello superatur.
6. Urbs deditur.

CUm diu Godefridus in obsidione urbis laborasset, & exercitus nimia fa-
me attenuaretur, ita ut omnes ferè equi, & quicquid habebãt usq; ad cor- 1
rigiam calceamentorum consumtum esset, princeps castelli tædio diutini laboris fatigatus, Teutonicũ quendam, quem diu carceris inclusione tormentaverat, fecit muros ascendere. Qui locutus est ad Ducem, & ad populum Dei, dicens: Hæc dicit Princeps. Quid est, quod tanto tempore in obsidione laborastis: & fines meos exire non vultis? Ecce castrũ expugnare non potestis, sed si placet, hujus mali finem faciatis. Procedant duo, unus ex nostris, & unus ex vestris, duellum inter se miscentes, & si vicerit vester, nos dabimus vobis ca-
stellum, & discedemus. Si verò noster victoriam adeptus fuerit, vos sine mora 2
terram nostram exeatis. Placuit Duci & omnibus quod dixerat, & firmatum est ex utraq; parte, ut quocunq; se sors obtulisset, quod dictum erat, certissimè teneretur.

teneretur. Habuit autem Dux Godefridus servum quendam corpore validum,& statura procerum,vultu elegantem nimis,Heliam dictum,quem pace condicta misit in urbem ad Principem,certius finem rei facere cupiens, & di-
3 em determinare explendi duelli. Videns autem Princeps viri venustatem, corporis immanitatem, membrorum fortitudinem,reputans nullum suorum ei viribus æquiparari, complacuit sibi in illo, & cognita legatione, dixit ad eum : O si placeret tibi manere mecum, & condicti duelli pro me certamen inire. At ille: quid, inquit,dabis mihi, ut faciam,quod dicis. Qui dixit; dabo tibi dimidium terræ meæ, & filiam meam tibi copulabo, & omni honore te sublimabo. Et ille; Fac,ut locutus es,& pugnabo pro te. Inito igitur fœdere, Helias abrenunciat Christo, & affinitate junctus est gentili, & facti sunt cor unum & anima una. Dux autem mirabatur, quid de eo factum fuisset, nesciens an captivatus fuisset, vel cujus rei gratia non rediisset. Cùm ecce una dierum prædictus ille Teutonicus stans in muro proclamat ad Ducem & principes dicens : Hæc mandat Dominus meus. Illa die & hora estote parati, quia tunc Dominus meus exibit ad vos cum tirone suo, completurus quod dixit. His auditis, gavisi sunt omnes, & unusquisq; ultrò se offerebat ad hoc singulare certamen pro Dei honore subeundum. Dux autem ante omnes ad bellum se præparabat,sed non permittebatur : quia jam gravis ætate & exhaustus erat,& gibbum in dorso habebat. Ingerebant etiam se Pontifices,& quotquot erant:dives & pauper pro honore Dei aut vincere aut mori paratus erat. Procedens autem qui Drogo dicebatur, consanguineus Ducis,filius sororis suæ, dixit ei : Ecce tot annis servivi tibi, & nihil emolumen-
4 ti à te requisivi. Iustum est, ut laboris mei tandem fructum recipiam. Hoc ergo duellum pro omni servitio, quo servivi tibi, devotissimus excipiam. Quid plura? Placuit Duci devotio viri,omnibusq; acclamantibus, armis præcingitur. Cùm procederet,dixit Dux : Deus, qui benedixit patri nostro Abrahæ,Isaac,Iacob; Deus,qui per manum Moysi traduxit populum suum per desertum, operiens hostes eorum mari rubro, qui etiam per Iosue introduxit eum in terram Chanaan,contritis hostibus sub pedibus eorum; Deus,qui dedit Gedeoni contra inimicos fiduciam, Samsoni fortitudinem, Iudith de Tyranno victoriam; Deus, qui liberavit Danielem de lacu leonum, David de gladio maligno,Heliam de persecutione Iesabel; Deus inquam,qui filium Iesum Christum misit in hunc mundum humani generis redemtorem, qui per victoriam sanctæ crucis Diabolum devicit, & vasa captivitatis ejus diripuit, qui Apostolis suis benedixit,& per eorum doctrinam sanctam Ecclesiam illuminat,qui etiam per eos nobis dixit : Quicquid petieritis Patrem in nomine

meo

meo, dabit vobis: pro cujus nomine & amore peregrinamur, ipse dextera
sua excelsa te benedicat, & hostem nostrum ad laudem & honorem & glori-
am nominis sui hodie sub pedibus tuis conterat. Respondentibus autem o-
mnibus amen, & Episcopis benedictionem confirmantibus, processit tyro
Christi Drogo obuiam adversario suo, omnibus lachrymantibus, & genua in
orationem ad Dominũ flectentibus. Et ecce occurrit ei Goliath(a)superbus, 5
Helias videlicet apostata, ab humili David in nomine Domini dejiciendus,
sedens in equo phalerato, cujus operimento filia Principis inseruerat tintinna-
bula plurima tum pro ostentatione, tum equi alterius fugatione. Providerat
autem hoc Godefridus, obturatis auribus equi cognati sui lana & pice. Con-
currentibus igitur equis primò lanceas fregerunt, pòst in pedes devoluti sunt,
atq; diu valido rimantes corpora ferro, ictibus alternis se cominus afficiebant.
Tandem recordatus Dominus misericordiæ suæ & veritatis, dedit victoriam
servo suo Drogo, & Helias in terram corruit. Qui cùm prostratus esset, ita
ut non adjiciat, ut resurgat, dicit ei Drogo: Quisnam es tu, qui mecum pu-
gnas? Ignorabant enim alterutrum qui essent. Cui ille respondit: Ego sum
Helias. Et ille: quid hîc, inquit, facere voluisti? abnegasti Christum, quomo-
do stare posses? Nunc itaq; pœnitentiam age, & reconciliare Deo tuo, quia
misericors est, & revertere mecum in castra. Habeo enim, ut nosti, quatuor
urbes, & dabo tibi duas, quas eligere volueris, & sororem meam, consangui-
neam Ducis, jungam tibi matrimonio, & eris de familiarissimis Ducis. Qui
respondit, nequaquam: nunquam enim fidem priorem violabo, nec recedam
à genero meo. At ille decollat eum. Et magnificatus est Dominus in suis, & 6
recesserunt gentiles de castro, & intravit illud Dux Godefridus cum suis, col-
laudantes Dominum, qui omnia quæcunq; voluit fecit in cœlo & in terra.

Goliath.a) Simile duellum fuit illius Wandali & Dani, de quo *Krantz. Wand. l.I.c.8.* Scanderbegi & Scythæ, item aliud ejusdem Scanderbegi cum Jaja & Zampsa Persis, quæ exponit *Marinus Barletius l.I. de vita ipsius.* Talia duella inita inter Scarinum Gothorum, & Gramum Danorum Reges, *Joann. Magnus lib. II.c.7.* inter Attilum Regem Suedorum, & Frovinum, Ducem Danorum, *l.II.c.28.* inter Frothonem Daniæ, & Frogertum Norvvegiæ Reges, *l.IV.c.7.* nec non inter Alaricum & Ericum Reges, *l.IV.c.16.*

CAPUT XII. (XVII.)

1. *Henricus L. venit Constantinopolin.*
2. *A Rege Græciæ amplis muneribus affectus Niceam pergit.*
3. *Hinc repetens, quæ emensus erat, in Saxoniam redit.*
4. *Brunsvici templa reliquiis sanctorum ornat.*

1 DUx autem progrediens, transito brachio S. Georgii, venit ad urbem Willecume, & inde procedens, venit Constantinopolin: Ubi homines sui receptis equis, quos ibi reliquerant, abierunt Magnopolin, ubi tunc Rex
2 erat. Qui multum lætatus est de reditu ejus, & cùm honestissimè detinuisset eum per aliquot dies, dedit ei quatuordecim mulos, oneratos auro & argento & sericis vestibus. Dux verò immensas gratias agens, noluit accipere, dicens ad eum: Habeo plurima, domine mi, inveniam tantùm gratiam in oculis tuis. Cumq; nimis cogeret eum, & ille nulla ratione assentiret accipere, dedit ei reliquias sanctorum multas & preciosas, quas postulaverat. Addidit etiam multam lapidum preciosorum gloriam, & ita valedicto, Dux in omni pace
3 discessit, & venit Niceam. Et transito nemore magno, venit ad regem Ungarorum, qui tunc noviter creatus erat, & regnum fratris obtinuerat. Qui honestissimè suscepit eum, dans ei conductum per terram suam, & ita Dux reversus est in fines suos. Post hæc abiit ad Imperatorem, qui tunc erat in civitate Augusta, & lætatus est multum de adventu ipsius, & quia salvum illum
4 recepit. Revoluto autem anno, reversus est Brunschwig, & lætati sunt omnes amici ejus de adventu ipsius. Et ditavit domum Dei reliquiis sanctorum, quas secum attulerat, vestiens eas auro & argento & lapidibus preciosis, inter quas etiam erant brachia Apostolorum plurima. De optimis etiam palliis ad ornatum divini servitii fecit casulas plurimas, Dalmaticas, & ornavit Ecclesiam. Erat autem idem princeps devotissimus in ornatu domus Dei: ut in ecclesia beati Blasii, quæ est in Brunswig civitate, quam tamen, adversitatibus succedentibus, ad quas quidem inviti veniemus, ad libitum non consummavit.

CAPUT XIII. (XVIII.)

1. Canonici Lubecenses Henricum, Abbatem Brunsvicensem Episcopum sibi dari petunt. - - 1172.
2. Dux precibus locum relinquit.
3. Canonici quidam Brunsvicum profecti electionem Abbati nunciant.
4. Henricus consentit.
5. A Duce investiturâ accepta Lubecam deducitur.
6. Lubecæ consecratur Episcopus.
7. Novi Episcopi virtutes.
8. Virgo sacra somnium habet de adventu Henrici.
9. Dux & Episcopus Lubecæ templum cathedrale ædificare incipiunt.

1 POst hæc cùm in castro Luneburg positus esset, adierunt eum Canonici Lubecenses, rogantes, ut ejus providentia idoneum in domo Dei dispensatorem haberent, dicentes, se omnes unanimi consensu in personam Domini Henrici, Abbatis de Brunswig, convenisse, ut eum Ecclesiæ suæ præsentandum omnimodis exorarent, si tamen hæc eorum petitio vel designatio consensu

ſenſui ejus non repugnaret. Quibus ille reſpondit: Fateor idoneam valde eſſe perſonam, & virum prudentem & religioſum, & tritici verbi Dei optimũ erogatorem. Sed quia fidelitatẽ viri & converſationis gratiam expertam habemus, ideo pręſentia ipſius in domo noſtra Brunſchwig non ſine gravi jactura carere poſſumus. Ne tamen tantæ utilitati contraire videamur, & petitionem veſtrã juſtam, & rationabilem vel leviter aſpernari, fiat Domini voluntas & veſtra, virumq; venerabilem cum honore ad ſedem Lubecanæ Eccleſiæ deducite, & ei omnem reverentiam & ſubjectionem exhibete. Veneruntq; 3
Brunſchwig Odo Decanus, Arnoldus Cuſtos, unà cum Præpoſito Henrico, notario Ducis, & ingreſſi Capitulum præſente Abbate Sigebodone de Riddageshuſen, & Godefrido Præpoſito, Anſehelmo Præpoſito, detulerunt litteras Eccleſiæ memoratæ in hunc modum: Fratres Eccleſiæ Dei, quæ eſt in Lubeke, ſacro conventui monaſterii S. Ægidii in Brunſchwig ſalutem & dilectionem in Chriſto. Cumq; ad ſalutationis verba fratres humiliter inclinarent, adjecerunt: Novit dilectio veſtra, quia mater noſtra, ſancta videlicet Lubekana Eccleſia, patre ſuo viduata eſt: & quia diu ſine paſtore eſſe non poſſumus, ideo omni ſolicitudine nobis invigilandum eſt, ut in domo Dei prudentem & fidelem diſpenſatorem habeamus. Unde gratias immenſas Deo referimus, quòd eum, in quo nobis complacuit, invenimus, Dominum videlicet Henricum Abbatem veſtrum, virum prudentem & religioſum, quem non ſolùm electione canonica nobis præficiendum decrevimus, ſed etiam principis noſtri, Domini Ducis, qui eum nobis in Dominũ & patrem ſpiritualem deſignavit, auctoritate uſurpamus. Quapropter rogamus, ut in hoc unũ nobiſcũ ſentiatis, & ordinationi Dei conſentiẽtes, eum nobiſcum ad apicem ſancti miniſterii (a) devotiſſimè promoveatis. Fratribus autem de tam honeſta patris ſui promo- 4
tione congaudentibus, ſed de abſentatione tam pii paſtoris condolentibus, ita reſpondit electus: Opus quidem difficile, & nimis arduum eſt, ad quod me vocatis, fratres & Domini mei, & ultra vires meas eſſe, certiſſimè recognoſco. Sed quia nemo ad hoc venit idoneus, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ideo divina diſpenſatione ad hoc miniſterium me vocari non ambigo: quia omnis poteſtas à Deo eſt: quæ autem à Deo fiunt, ordinata ſunt. Et quia qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, ideo ecce ad obœdientiam venio, neceſſitate tamẽ magis quàm voluntate. Et ita profectus cum eis de monaſte- 5
rio B. Ægidii, cui decem annos præfuit, quod etiam multis rebus ampliaverat, & in ipſo tempore de peregrinatione rediens duodecim palliis ornaverat, venit ad Ducem Luneburg, & accipiens ab eo inveſtituram Pontificalem, cum honore deductus Lubeke, & devotiſſimè ſuſceptus à clero & ab omni populo, 6

in nativitate B. Ioannis Baptistæ præsente Duce consecratus est à Dn. Walone Havelbergensi, & à Dn. Euermodo Raceburgensi, & Dn. Bernone Suerinensi, & inventum est in textu Evangelii, quod super scapulas ipsius tenebatur, in fronte unius paginæ: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: & in fronte alterius: Vir justus & timoratus, expectans consolationem Israel: quod quàm de futura ipsius conversatione divinitus o-
7 stensum sit, satis animadverti potest. Deniq; cùm multis à Domino insignitus fuerit donis specialibus, tamen in eo refulsit scientia liberalis cum facundia sermonis. Et cùm his pleriq; evanescentes in cogitationibus suis magis ad arrogantiam utantur, quàm ad ædificationem, ipse tamen in eadem humilitate permansit, semper devotus Deo & gloriosissimæ genitrici ejus in jejuniis, in vigiliis, in abstinentiis, in oratione, in eleemosynarum largitione, ita ut verè de ipso dicere possimus, Vir justus & timoratus, &c. In prædicatione autem verbi Dei ita singulari quadam prærogativa fulgebat, ut nemo tam saxeum pectus haberet, qui non ad ejus dulcissima verba ad compunctionem, vel etiam ad lachrymas traheretur. Nam profundissima scripturarum ita planissimis verbis exponendo dilucidabat, ut occultam earum similaginem de internis visceribus eliciens, omnes dulcissimo pane verbi Dei reficeret, ita ut gau-
8 dium omni populo non modicum mellita ejus doctrina faceret. Nec tædiosum sit caritati vestræ audire, quid de beatitudine ipsius & fideli doctrina quibusdam Deus revelaverit. Quodam tempore, negotiis exigentibus, transiuit Turingiam, & hospitandi gratia divertit ad locum quendam, qui Ohterekishusen dicitur. Illic religiosissimæ fœminæ sub regula B. Benedicti conversantur, cœlibem vitam actitantes. Quæ cùm tempore meridiano in lectis decumberent, Ida quædam probatissimæ conversationis, quæ postea in Waltingerod Abbatissa destinata est, & prima ibidem fœminarum congregationem rexit, ubi etiam beato fine quievit, somno compressa in visione Dei vidit omnem congregationem sororum suarum in choro devotissimè assistere, & in susceptione cujusdam Episcopi cum nimia vocis alacritate decantare: Verè felicem Præsulem, veræ fidei Doctorem. Quod cùm jucundissimè percantatum fuisset, vir quidam ætate venerandus, persona religiosus, accessit ad fenestram chori, ubi communio diebus dominicis eis porrigitur, & dixit ad eas: Non pigeat vos Episcopum istum peregrinum omni reverentia suscipere, omniq; affectu in omnibus ei officiosissimè subservire, scientes, quia quod in susceptione ipsius decantastis, vobis quidem divinitus ostensum sit, de ipso veraciter est dictum. Ipse etenim est verè felix Præsul, & veræ fidei doctor. Cumq; evigilasset dicta Nona, narravit sororibus quod viderat, & statim venit,

nit, qui diceret, Episcopum quendam ad hospitandum illuc divertisse. Certificatæ igitur de oraculo, Deo gratias referentes, rogabant, ut eas videre dignaretur, ut exhortationis verbum ex ore ejus audire mererentur. Qui veniens ad eas, ut desideraverant, hoc in exordio sermonis habuit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. In quo cùm multa de castitate & innocentia vitæ, quæ ad ædificationem earum pertinebat, insereret, ita de verborum ejus melliflua dulcedine dulcoratæ sunt, ut, sicut ostensum eis fuerat, dicerent eum verè felicem Præsulem, & veræ fidei doctorem. Dux autem eo- 9
dem tempore ædificare cœpit Ecclesiam Lubekanam in honorem B. Ioannis Baptistæ, & S. Nicolai, Confessoris Christi. Et primum (b) cum Henrico Episcopo lapidem in fundamento posuit. Ad cujus consummationem dedit quovis anno centum marcas denariorum, similiter in Raceburg, & omni studio novellæ plantationi in regione aquilonari insistebat. Sed hæc desiderato fine non complevit: quia post tempora dierum illorum factus est motus magnus, qui totam Saxoniam vehementer concutiebat, & intermissis constructionibus Ecclesiarum, cœpit firmare præsidia civitatum & urbium, quia bella plurima adversus ipsum consurgebant.

Ministerii. a) Hanc lectionem Codices MSS. L. & B exhibent, & contextus evincit. *Monasterij* erat in editis.

Et primum. b) Dux primum cum Henrico Episcopo lapidem in ædificando templo nostro cathedrali posuisse dicitur. Idem *Chronicon vetus Saxon.* his verbis asserit: cIↄ CLXX. In dussem Jare begunde Hertoge Hinrick de lauwe den Dom groter to maken unde Bischopp Hinrick / de noch hude in den dach steyt to Lubke / dar de Hertoge den ersten Steyn to leyde. Annum eundem *lapis* muro ejusdem templi insertus, exprimit, in quo hæc incisa: Anno Domini cIↄ CLXX. ædificata fuit præsens ecclesia per dominum Henricum, ducem Bavvariæ & Saxoniæ, & per Henricum, tertium Episcopum Lubecensem, & fundatorem Monasterii S. Johannis in Lubec, consecrata in honorem sanctorum Johannis Baptistæ & Nicolai Confessoris Jesu Christi. At quæras, quomodo Henricus Episcopus anno 1170. primo lapidi ponendo adesse potuerit, qui tunc nondum Episcopus, nec Lubecæ erat, sed Brunsvvici Abbatis munere adhuc fungebatur? Dux enim anno 1171. cum Conrado Episcopo peregre abiit, ut ostendimus supra ad *Cap. 3.* Cōciliari hæc autumo, si statuatur, Ducem anno 1170. primum lapidem ponēdo structuræ dedisse initium, cumq; anno 1172. operi vix cœpto Henricus, novus Episcopus, perficiendo & consummando adesset, inde utriq; initium templi pariter adscribi. Nisi dicere velimus, Auctores Chronici Saxon. & Scripturæ in lapide maluisse uti numero rotundiore, quod antiquis etiam Auctoribus, ut *Livio, Floro* & aliis familiare est.

Primus lapis Basilicæ alicujus â Principe, aut ab Episcopo poni sæpe solebat; idq; plærumq; magno populi confluxu. Græci

hujus

hujus sive pietatis sive superstitionis primi Auctores esse perhibentur: nam Constantinus M. in S. Sophiæ templo inchoando primum posuit lapidem, *Joann. Leonclav. in Pandect. c. 98.* Uratislaus, primus Bohemiæ Rex, ad fundamentum templi, quod Pragæ in arce Wissegrado ædificabat, duodecim cophinos terrâ onustos humeris portabat, *Cosmas Pragensis, anno 1070. Æneas Sylv. histor. Boh. cap. 22. Thomas Jordanus Annotat. in l. IX. Dubravij.* Vipertus Groicensis, in monasterio Pegaviensi fundando, consilio Episcoporum suis humeris per duodecim angulos fundamenti totidem cophinos lapidum detulit, scilicet imitando factum religiosissimi Principis Constantini, inqvit *Monachus Pegaviensis, ann. 1091.* Solennitatem, qua primus lapis templi Augustani ab Episcopo ponebatur, frequentabant XX. millia hominum, *Chron. Augustanum Sigismundi, part. II. c. 7.* Conradus, Præsul Coloniensis LII. circa finem vitæ novam structuram ecclesiæ B. Petri anno 1256. inchoavit, & primum lapidem suis manibus posuit. Qua de re versus:

Præsul Conradus ex Hoestein generosus,
Ampliat hoc templum, lapidem locat ipseq; primum,
Centur. Magdeb. XIII. c. 10.

Templi nostri Catharíniani lapidem primum posuit Episcopus Henricus à Bockholt, anno 1335. Notant hoc versus rhythmici lapidi incisi:

Anno mileno ter CCC. quintoq; trigeno:
Vicesimo primoq; die Julii duce Christo
Hunc Præsul primum lapidem ponebat in imo.

Sultanus Murates Hadrianopoli novi templi primum lapidem suis manibus ponit anno 1437. *Annales Turcici.* Non incommodè huc referas exemplum Caroli V. Imperatoris, qvi victor ex Africa rediens anno 1530. arcis Florentinæ primum victrici manu lapidem posuit, *Paull. Merula part. II. l. 4. c. 21.*

CAPUT XIV. (XIX.)

1. Thomas Cantuariensis apud Alexandrum III. in Gallia aquam in vinum mutat.
2. Occisus est in Anglia IV. Kalend. Jan. - - - - - 1171.
3. Miraculis claret.

1 CIrca tempus illud passus est in Anglia B. Thomas (a) Cantelbergensis Archiepiscopus, vir sanctitate & miraculis insignis. Qui cùm pro lege dei sui certaret usque ad morté, instante persecutionis tempestate, declinans iras malignantium, secessit ad Papam Alexandrum, qui tunc in Francia exulabat, & apud eũ mansit diebus multis, in sanctitate & justitia serviens Domino omnibus diebus vitæ suę. Accidit autem una dierum, cùm Apostolicus sederet cum Episcopo, ut fortè sitiret, [& dixit puero assistenti sibi: Affer mihi aquam de fonte, ut bibam. Quæ cùm allata fuisset, dixit Apostolicus Episcopo: Benedic & bibe.

bibe. Qui benedixit aquam, & mutata est in vinum, & bibens dedit Apostolico. Cumque Apostolicus intellexisset vinum (nam vocato puero, dixit ad eum: quid detulisti mihi? qui dixit, aquā) Apostolicus, affer mihi adhuc de eadem. Cumque hoc secundò factum fuisset, iterum dixit Apostolicus ad Episcopum: Frater benedic, & bibe. At ille virtutem de se exisse nesciens, credens ex industria vinum allatum, simpliciter benedixit, & iterum mutata est in vinum, bibensque dedit Apostolico. At ille adhuc non credens, putans errore factum fuisse, tertiò clàm præcepit afferri aquam, & tertiò mutata est in vinum. Tunc expavit Apostolicus, intelligens eum virum sanctum esse, & virtutem Dei in eo celebratam fuisse. Post hæc dixit ad Apostolicum: Domine revertar in 2
parochiam meam, & visitabo oves meas. Scio quidem iram regis mihi imminere, sed obœdiendum est Deo magis quàm hominibus, ipsius in me perficiatur voluntas, pro cujus nomine etiam mori paratus sum: quia sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita & nos debemus pro fratribus animam ponere. Cui dixit Apostolicus: Vade, ecce ego mittam te. Et ita reversus in parochiam suam, passus est IIII. Calend. Ianuarii, & ex ipsa hora usque in hodier- 3
num diem per ipsum Deus operatus est virtutes multas, sicut etiam testantur hi, qui ad ipsius monumentum fuerunt, ubi per virtutem orationum suarum omnibus infirmantibus vel afflictis præstantur beneficia multa, & magnificatur Deus à populo omnium nationum, qui nostris etiam temporibus in suis sanctis dignatus est glorificari.

Thomas. a) Cædem die V. Dominicæ Nativitatis, i.e. 29. Novembr. anno 1171. contigisse, ejusq; auctores Gulielmum Tracium, Reginaldum Urcium, Hugonem Morivillam & Richardum Brittonem fuisse, scribunt *Matthæus Paris*, *Rogerus de Hoved. Annal. part. poster. Radulph. de Diceto, pag. 513. Gulielm. Neubrig. l. II. cap. 25. Polydor. Vergil. Angl. Hist. lib. XIII.* Coram altari sancti Benedicti immolatum illum esse, *Radulphus* addit. Ad IV. Kal. Jan. cum Auctore nostro cædem refert *Wilhelmus Tyrius*; qui viam, dignitates, exilium & mortem Thomæ describit *l. XX. c. 23.* De cæde illius hos versus adducit *Robertus de Monte*:

Annus millenus, centenus, septuagenus
Primus erat, primus quo ruit esse Thomas.
Quinta dies natalis erat, flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit esse poli.

Herm. de Lerb. hos adfert:

Qvis moritur? Præsul: cur? pro grege: qualiter? ense:
De eadem Qvando: natali: quis locus? ara Dei.

Idem

Idem

Richardus Crito, nec non Moravillius Hugo,
Wilhelmus Turci, Reinoldus filius Ursi,
Thomam martyrium fecere subire beatum.

Pontifex Regi pœnitentiæ loco injungebat, ut convocatis regni baronibus, jurejurando se coram iis purgaret, non esse tale homicidium commissum suo instinctu & voluntate. Præterea ut milites CC. sine mora mitteret Hierosolymam, numerato iis stipendio unius anni, & ipse deinde collecto quando posset exercitu, intra annos tres etiam eò proficisceretur, ut rescinderet omnia, quæ in eodem suo regno, in invidiam & præjudicium libertatis Ecclesiasticæ constituisset; postremo, ut regni incolis quandocunq; vellent, provocandi ad Pontificem Romanum potestatem concederet, *Nic. Machiavell. Hist. Florent. l. I.*

Post annos ducentos, anno videlicet 1375. cùm Henricus à Kniprode, Teutonicæ in Prussia & Livonia militiæ Magister, nec non urbes Hanseaticæ Simonem Svvertingium & Hardevvicum Boteken / Legatos in Angliam misissent, Eduardus III. Rex, & Episcopus Londoniensis illos magnificis muneribus prosecuturi, frustulum de ossibus occisi hujus divi, & particulam tunicæ interioris, qua indutus coram altari occubuerat, donabant, ut illa sacello S. Gertrudis, quod Lubecæ extra mœnia ad portam arcis tunc temporis stabat, inferrent. Addebat idem Episcopus Indulgentias, quas consequerentur ii, qui sacellum illud devotè frequentarent, & reliquias istas muneribus venerarentur. *Codex MS. Privil.*

Erat hæc illorum temporũ superstitio, ut in reliquiis sanctorũ in templa inferendis magnam partẽ cultus divini consistere crederent, Exempla plurima congessit *Lupoldus de Babenberg de Zelo Germ. Princ. cap. 12. & 13.* Et patet vel exemplo Henrici Leonis, *supra cap. 12. n. 4.* Quanta autem illis temporibus impostura sæpe mundo per ejusmodi reliquias facta sit, jam sua ætate queri publicè ausus est *Jacobus de Erfordia*, cùm *libro de erroribus & moribus Christianorum Propositione 6.* scribit: Insuper nec nisi falsissimè negatur, grandia idololatriæ crimina committi à Christianis, in concursibus ad loca occulta æstimata sacra; quæ vulgi inerudíti & fatui, atq; clericorum insatiabilis cupiditatis adinventio sibi instituit ex parvis seu nullis experientiis, fama fatuorum quorundam hoc proclamante, ut aliquid divinum & sanctum ibi fore credatur. Sicq; populus stultus & insipiens, nullo ductu rationis, nec legitimo examine præmisso, adorant, venerantur, coluntq; quod ignorant: offerunt oblationes, signaq; suspendunt in evidentiam falsitatis, &c. *Et post pauca:* Nec admittere volunt, ut res examinetur per sapientes, timentes, nec spes quæstus eorum depereat. Ut manifestè patet in Wilsnack; ubi propter quæstum, putatum sacramentum cruore rubro tinctum, &c.

Quod Auctor hic addit de concursu Wilsnacum facto, illud cœpit anno 1384. Vide *Krantz. Wandal. lib. IIX. cap. 11.* Thomas anno 1173. per Alexandrum III. Sanctorum catalogo inscriptus est: sed post annos 367. ejus reliquias Henricus VIII. Rex Angliæ cremavit, anno 1538. *Joann. Gualter. Chronol. Ecclesiastico-pol. anno 1171.*

CAPUT

CAPUT XV. (XX.)

1. Fridericus Imperator ex Italia redit, exercitum contra Longobardos collecturus. - - - 1175.
2. Henricum L. vult esse socium expeditionis.
3. Ille se excusat.
4. Imperator nullis argumentis Leoni iter persvadere potest.

CIrca tempora dierum illorum in Italia positus erat Imperator nimiis 1
præliis occupatus. Siquidem Longobardi unanimes rebellabant contra eum, & respub. in partibus illis nimis turbata erat, forte propter peccatum schismatis, quod multis annis duraverat: & multi in ovile ovium non per ostium intraverunt, sed aliunde ascendentes ecclesiam errore schismatico vexaverunt. Cæsar igitur fortunatus, bellorum frustratus eventibus, graviterq; anxiatus, exiens de finibus illis, transmissis Alpibus venit in partes Teutonicas, & convocatis Principibus, perturbationem Imperii exposuit, & ad comprimendos rebelles in Italicam expeditionem eos secum evocavit.
Ducem (a) etiam Henricum ad hunc laborem omni instantia adducere conatus est. Et quia eum formidabilē Longobardis expertus erat, dicebat se omnimodis sine ipsius præsentia contra eos prævalere non posse. 2
E contra ille 3
prætendebat, se multis laboribus & expeditionibus tam Italicis quàm etiam aliis innumeris, utpote jam senem, defecisse, & omni devotione Imperatoriæ majestati se obsecuturum affirmabat in auro & argento, cæterisq; impensis ad exercitum contrahendum, sed tamen omnino salva gratia ipsius in persona propria venire posse negabat. Ad hæc Imperator: Deus, inquit, cœli te 4
inter Principes sublimavit, & divitiis & honoribus super omnes ampliavit, omne robur Imperii in te consistit, & justum est, ut ad confortandas manus omnium huic negotio præcipuum te exhibeas, ut respub. quæ labi cœpit, per te convalescat, per quem præcipuè hactenus se stetisse non dubitat. Memorem te esse volumus, quòd nihil unquam tuæ voluntati negavimus, & quia in omni honore tuo ampliando semper parati fuimus. Inimicis tuis semper inimici fuimus, & nullum adversum te prævalere permisimus. Et ut sacramentorum fidem omittamus, quam Imperio firmasti, meminisse te volumus consanguinitatis, qua nobis super omnia teneris, ut in præsenti necessitate omni fidelitate, utpote nepoti & Domino & amico, nobis concurras, & de cætero ad omnia, quæ volueris, benevolentiam nostram habeas. Cumq; Dux adhuc renueret, & ad omne obsequium se paratum offerret, se tamen in propria persona venire negaret, Imperator assurgens de solio suo, utpote quem an-

gustiæ tenebant, ad pedes ejus corruit. Dux autem vehementer conturbatus de re tam inaudita, quòd humiliatus in terra jaceret, sub quo curuatur orbis, quantocyus eum à terra levat, nec tamen ejus consensui animum inclinat.

Ducem, a) Quomodò & quando Dux Imperatoris offensam incurrerit, alii aliter exponunt. In expeditione illa Italica quinta, quam Imperator anno 1174. III. Non. Sebtemb. assumto Henrico Leone primùm ingressus est, & in qua ad Italiæ urbes expugnandas potissimùm Christiani, Archiepiscopi Moguntini, operâ usus est, quæq; anno 1178. demum finita est, offensam hanc ortam esse certum est. Noster tunc Imperatorem à Duce repulsam tulisse refert, cùm ille in Germaniam rediisset, alium evocaturus contra Italos exercitum; quod anno 1175. factum est. Tunc enim illum nullis precibus à Duce obtinere potuisse, ut comes itineris esset, narrat, quòd Dux corpus suum jam tot expeditionibus Italicis & aliis bellis fractum, atq; ætatem vergentem causaretur. Narrant alii, Ducem statim anno 1174. cùm Imperatore in Italiam cum clↄ Iↄ. equitibus progressum. Cùm autem Imperator anno 1175. apud Papiam prope à Lombardis obsessus sederet, & magna rerum consiliorumq; difficultate afficeretur, Ducem diro fulmine, quod jam Alexander III. Pontifex in Imperatorem vibrarat, deterritum ab eo discessisse, magnâq; secum Germanorum partem abduxisse: Imperatorem autem attonitum ipsum usq; ad lacum Comensem esse subsequutum, atq; ibi prope ad genua accidentem obtestatum esse, ne se, remq; publicam in tanta rerum difficultate desereret. Quod cùm ille firmato ad discedendum animo denegaret, Imperatorem tunc quidem in castra reversum esse: deinde verò sive pace sive induciis cum Italis factis in Germaniam anno 1175. rediisse, Ducem lata sententia damnasse, ac mox sese in Italiam retulisse, & reliquias belli confecisse. Vide *Historiam Anonymi de Landgr. Thuring. c. 19. Albert. Stad. ad anno 1177. Duo Chron. Lubec. MS. ad ann. 1177. Hermann. de Lerb. p. 19. Carol. Sigon. l. XIV. de regn. Ital. ad ann. 1174. & seq. Krantz. Wand. l. VI. c. 12. Saxon. l. VI. c. 35. Metrop. VII. c. 1. Georg. Fabr. Chemn. ad ann. 1173.*

CAPUT XVI (XXI.)

1. Imperator, à Moguntino Antistite potissimum adjutus, Longobardos oppressit.
2. Re bene gesta reversus causam Ducis refert ad Principes.
3. Hi graviter de illo conqueruntur.
4. Imperator ad Ducem oppimendum consilia init.

1 Imperator verò pro tempore dissimulata ira, quam ex nimia animi verecundia traxerat, reversus est in Italiam cum exercitu, quem tunc contrahere poterat, adjuvante partes ejus omni instantia Christiano Moguntino, qui

etiam

etiam usque ad finem vitæ suæ Longobardiam vastabat, subjiciens eam Imperio, plus placere cupiens Imperatori terreno quàm cœlesti, & neglectis ovibus sibi commissis, magis tributa Cæsarum quàm lucra Christi colligebat. Imperator itaque prosperatus, victoriam adeptus est, & ad voluntatem abusus est terra illa incendiis & deprædationibus, devastans omnem civitatem munitam. Et contritum est cornu adversariorum, & siluerunt in conspectu ejus. Videns itaque quòd data esset requies, opportunitatem nactus, convo- 2
catis Principibus, multa contra Henricum Ducem allegare cœpit, quòd propter nimium fastum superbiæ suæ tantum Imperio contemtum exhibuerit, ut eo ante pedes ejus humiliato, nullo eum miserationis intuitu in tanta necessitate constitutum attendere dignatus fuerit, & despecta republica & auctoritate Imperatoriæ majestatis neglecta, omne auxilium obstinato animo ei negaverit. His auditis Principes, qui eum prius oderant, 3
accepta occasione, contra eum multa conqueri cœperunt, & cooperantes verbis Imperatoris, omni honore eum privandum judicabant, & reum imperatoriæ majestatis proclamabant, non solùm quia præcepta vel merita ipsius despexisset, sed quòd ad ignominiam omnium principum in propria eum persona humiliatum confudisset. Et alii atque alii se ingerentes, illas vel illas ab eo illatas sibi injurias conquesti fuerunt, & justitiam sibi fieri judicio Imperatoris expostulaverunt. Pontifices ante omnes Ecclesiarum oppressiones clamabant, nullam ferè Ecclesiam esse dicentes, quæ ejus direptioni non subjaceret. Facta est igitur conjuratio valida adversus eum. Cæsar itaque videns Principes ei intentare malum, multa usus pru- 4
dentia, totum ad dejectionem ipsius ingenium pendere cœpit. Animadvertensque quòd facilè eum destruere non possit, admovet omnes varia calliditate dolos, & quem viribus expugnare diffidebat, sapientiæ admota paulatim manu evincere cogitabat. Reconciliatus est etiam tunc Papæ Alexandro, mediante Philippo Coloniensi, & eum, cui diu adversatus fuerat, tunc in pace recepit, ut undique firmata parte sua, facilius, quod volebat, perficeret.

CAPUT XVII (XXII.)

1. Schisma inter Pontifices sublatum, & Alexandro III. dignitas Papalis confirmata est. - - - 1177.
2. Udalricus, Episcopus Halberstadensis, sedi suæ restitutus, nova contra Ducem agitat consilia.
3. Gero ejicitur, & acta ejus rescinduntur.

1 ANno (a) igitur incarnationis Domini nostri Iesu Christi M. C. LXXVII. respexit Dominus de solio suo excelso super filios hominum, & orta est in Ecclesia Dei dies exultationis & lætitiæ, cessante schismate, quod viginti annos Ecclesiam dissipaverat, & facta est pax inter regnum & sacerdotium, & unitas in sede Apostolica, & coadunata est Ecclesia sub Alexandro, & factum est unum ovile & unus pastor. Mercenariis itaq; ejectis, pastores rever-
2 si sunt ad caulas ovium suarum. Inter quos Udalricus Halberstadensis auctoritate Apostolica reversus est in sedem suam. Sed & manus Imperatoris cum ipso erat, in omnibus confortans eum. Statim igitur ad introitum ipsius commota est terra: quia faventibus Principibus orientalibus contra Ducem
3 Henricum multa moliri cœpit. Gerone etiam fugato, omnia quæ multis annis in Ecclesia illa per eum ordinata fuerant, cassata sunt. Omnes igitur ordinati Geronis ab officio suspensi sunt: Ecclesiæ, quas ille non consecraverat, sed magis execraverat, clausæ sunt, & corpus B. Burchardi Episcopi, quod ille transtulerat, per Ulricum terræ reconditum est.

(a) Anno.) Anno 1177. nono Kal. Augusti Imperatorem & Papam omni simultate deposita amicitiam fecisse, scribit *Gulielm. Neubrig. l. III. c. 2.*

CAPUT XVIII. (XXIII.)

1. Henricus L. Deminum oppugnat. - - - - - *1177.*
2. Intellecto, Udalricum rediisse, propter imminentia bella in Saxoniam redit.

1 IN diebus illis autem Henricus Dux cum gravi expeditione Slaviam intra-
2 verat, & expugnabat castrum Dymin. Audito ergo ingressu Udalrici, intelligens se jam circumventum esse: Bella mihi video, bella parantur, ait. Vocatisq; admodum paucis de familiaribus suis, dicebat se sine omni dilatione oportere in Saxoniam reverti: inter quos sic Fridericum, machinarum constructorem, alloquitur: Quibus artibus vel viribus expugnabimus urbem? Qui respondit: Si placet, post triduum eam totam incendiis consumam. Cui Dux: Non laudo, ait, ut incendatur: quia si exusta fuerit, non minus hostes resumtis viribus nos inquietabunt, maximè cùm trans Albiam maxima bella adversum nos insurgant, & durum sit, ex utraq; parte hostiles incursiones sustinere. Cui ille: Si magis placet hoc, elaborabo, ut post triduum obsides, quotquot volueris, offerant, & deinceps tributa cum pace persoluant. Quod cùm Duci placuisset, & sic factum fuisset, acceptis obsidibus quasi infecto negotio reversus est Brunschwig.

CAPUT

CAPUT XIX. (XXIV.)

1. Henricus, Episcopus, Lubecæ cœnobium Johanni Evangelistæ sacrum, fundat. - - - - 1177. | *2. Idem cœnobium dedicat, & reditibus ornat.*

IPso autem anno Henricus Episcopus cœpit fundare opus novellæ plantationis in Lubeke, congregationem videlicet Monachorum quam construxit in honore Sanctę Dei genitricis Mariæ, sanctiq; Ioannis Evangelistæ, & Ægidii Confessoris Christi: facta solenniter consecratione in die B. Ægidii, assistente ei Ethelone, Præposito majoris Ecclesiæ, cum Decano Odone & Arnoldo Custode & aliis Canonicis. Sed quia propter paucos reditus Episcopales largè eam ditare non potuit, contulit tamen in dotem ejusdem ecclesiolæ dimidiam villam Tangenelch (a) & aliam villam Cleve (b), & tres dimidias decimationes, in Gladeburg (c) majore, in Gladeburg minore, & in Stubbekisdorff. Curtes etiam in civitate denariis suis comparavit, persolventes annuatim octo marcas denariorum, & agros quosdam in campo ejusdem civitatis. Et ita omni devotione eidem tenellæ plantationi insistebat, non sine magna æmulatione quorundam, qui ejus studiis invidebant. Ipsam tamen quasi imperfectam reliquit, quia pauco supervixit tempore.

(Margin notes: 1 at "IPso autem anno…"; 2 at "…in die B. Ægidii")

Tangenelch. a) MS. R. legit Ranzivelt. Rectè prorsus. Nam hæc villa Ranzivelt, sive, uti nunc pronunciatur, Rensfeldt / conjuncta est villæ Clevæ, & adhuc subest Episcopo Lubecensi.

Cleue. b) Kleve scribendum, non Clene, ut erat editum. Id nomen loco hodie manet. Inservit usibus Canonicorum Lubecensium.

Gladenburg. c) Gladdenbrügge majus & minus, ad Travam, haut procul Sigebergo sita sunt. Stubbedorff ad eundem amnem prope Reinfeldam occurrit.

CAPUT XX. (XXV.)

1. Copiæ Henrici L. ab Episcopo Halberstadensi vincuntur. - 1178. | *2. Henricus de Orlemund, Adolphi III. vitricus, moritur. - 1178.*

UDalricus autem Halberstadensis occupavit montem quendam, qui Ho- 1
pelberg dicitur, firmans illic præsidium, & adjuvabant eum manus Orientalium. Quod audiens Dux, venit illuc cum multitudine armatorum, & abjectis hostibus, fregit munitionem. At illi resumtis viribus cœpto operi institerunt. Cumq; secundò occurreret eis exercitus Ducis, illi invalescentes hos in fugam verterunt, & plurimis captivatis, spolia multa acceperunt. Mul-

2 ti etiam ibi perierunt, suffocati in locis palustribus. Mortuus est autem tunc temporis Henricus Comes, vitricus Adolfi Comitis, qui adhuc adolescens erat. Sed mater ejus Mechthildis prudens & religiosa fœmina, soluta à lege mariti, domum illius sapienter disponebat. Qui cùm miles factus esset, non degeneravit à virtute paterna.

captivatis a)Udaldricus tunc ope Wigmanni, Antistitis Magdeburgensis, Leonis exercitum superat, & trecentos capit. *Georg. Fabric. anno 1178.*

Henricus. b)Hunc Holsatiæ Leo præfecerat. *Supra l.II.c.7. n.5.*

CAPUT XXI. (XXVI.)

1. Evermodus, Episcopus Raceburg. moritur. - - - - 1178.
2. Miracula vivus ediderat.
3. Isfridus illi successit, qui in Episcopatu multa perpessus est. 1187.

1 TUnc etiā temporis beatæ memoriæ Evermodus(a), Episcopus Raceburgensis, mortuus est: sed sicut fidelium devotioni placet, vivit in Christo; quia religiosam vitam ducens, in sanctitate & justitia usque in finem perseverabat, ita ut, sicut quidam asserunt, eo adhuc vivente, Deus per eum virtutes quasdam signorum operatus fuerit. Et quia opportunitas se obtulit, non prætereunda sunt silentio, quæ fidelium relatione didicimus.
2 Accidit, ut quodam tempore Henricus, Comes de Raceburg, cujus temporibus idem Præsul à Duce Henrico ad Episcopatum vocatus fuerat, duos captivos haberet insignes de Frisia. Quos cùm multum tyrannico more tormentaret, Episcopus eis compatiens, sæpius Comitem, ut eos absolveret, exorabat. Sed ille nulla motus miseratione non minus eis parcebat. Inter hæc Paschalis dies supervenit. Et captivi pro reverentia festi divinis intererant, sub custodia tamen durissimè compediti. Cumq; Episcopus facta aspersione ad eos devenisset, bojā(a) aqua benedicta miseratione ductus aspersit, his usus verbis: Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos. Et statim cum magno strepitu boja discrepuit, & illi soluti Deum glorificabant. Hæc in monte S. Georgii acta sunt, ubi tunc Episcopalis sedes erat, quæ necdum ut nunc per Deum incrementum acceperat. Boja verò ad indicium rei gestæ in Ecclesia multis diebus pependit. Alio quoq; tempore Præsul memoratus cum Dn. Hartuico, Bremense Archiepiscopo, qui pro sua generositate dicebatur Magnus, in Thetmarchia erat in quodam celebri colloquio. Cumq; vir Dei missam publicam, præsente Archiepiscopo, celebraret, accidit ut effusione sanguinis facta, quidam Thetmarcus quendam de melioribus terræ occidisset. Quod cùm innotuisset Episcopo, ad reconciliationem laborare studebat, ut moris est inter missa-

missarum solennia, illumque, cujus cognatum occiderat, obnixè deprecabatur, ut proximo indulgeret, replicans de oratione Dominica, dimitte nobis debita nostra, &c. Cumque ille tumida mente induratus hæc non reputaret, Episcopus de ambone(c) descendens, ad ipsum accessit, & cũ Sanctorum reliquiis ad pedes ejus se obtulit. Cumque ille juramentis terribilibus per Deum & matrem & aliorum sanctorum nomina seipsum constringeret, nunquam se dimissurum, Episcopus pro benedictione contradicenti alapam maximam dedit, & ille promptissimè extensis manibus quod petebatur, annuit, & proximum in pace recepit. Quod divinitus factum credimus, perque alapam Dæmonem ab homine fugatum. Similia in libro Dialogorum B. Gregorii inveniuntur, ut quædam sanctimonialis rusticum quendam alapâ à Dæmone liberavit. Beatus etiam Benedictus Monachum, qui Dæmonem sequebatur, plaga virgæ sanavit, non quòd dæmones alapis vel virgis cædantur, cùm sint incorporei, sed pietas Dei & virtus orationis ibi intelligitur. His aliisque virtutum indiciis credimus Episcopum jam dictum vivere in Christo. Cui successit Dominus Isfridus, prius quidem Præpositus in Ierechowe, vir magnæ religionis, 3
quia in eadem Præpositura non ut Canonicus, sed ut Monachus vixerat. Quod tamen in pace Canonicorum regularium dixerim: quia quamvis plerique Canonicorum sanctè & justè vivant, Monachus tamen nomen est summæ sanctitatis, & huic nomini nihil perfectionis deesse debet: sed hoc paucorum est. Inde est, quòd seculares ignorantes discretionem ordinis Monachorum & Canonicorum regularium, ipsos Canonicos Monachos appellare consueverunt. Factus autem Episcopus viam humilitatis non deseruit, mitem se in omnibus exhibuit, patiens autem ad omnes fuit. Et quamvis ordinem historiæ aliquantulum prævenire videamur, tamen quia de ipso loqui cœpimus, dicamus quantis adversitatibus attritus fuerit, & quanta virtute patientiæ illas sustinuerit. Cùm verò Dominus duo ponat in adversitatibus, ita dicens: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri, quod B. Gregorius exponens, prælia, ait, ad hostes, seditiones pertinent ad cives, dicamus quæ intus à civibus, id est à fratribus, & quæ foris passus fuerit ab hostibus. Ex eo igitur tempore, ex quo mutatio Ducum facta est, quia destitutus solatio Ducis Henrici, qui eum propter suam fidelitatem & propter devotionem Ecclesiæ suæ manu tenebat, pacem cum Othone Præposito nunquam habere potuit. Qui ad Episcopatum aspirans, in multis eum infestabat, & fratres adversus eum commovebat. Ipsum etiam Ducem exosum habebat, & quem lædere viribus non poterat, verbis impetebat. Comes etiam Bernhardus in multis eum gravabat, quia à Ducis Henrici familiaritate se elongare nolebat. Supra omnia autem

autem Ducis Bernhardi intolerabilem iram sustinebat: quia idem Dux hominium ab eo exigebat. Quod ei Episcopus negabat, dicens non esse necesse duobus ab Episcopo fieri hominium, se tamen principatui ejus libenter servire dicebat, si per eum Ecclesia sua pacem vel profectum habuisset. Duci autem Henrico dicebat se hominium fecisse non tantùm propter ejus principatum, sed quia per eum Ecclesia multum accepisset & pacis & religionis incrementum. Huic ergo Dux Bernhardus offensus omnes decimationes suas in omni terra, quæ Sadelbet dicitur, auferebat, homines suos captivatos pecuniam sibi persoluere cogebat. Ille tamen immotus persistens magis elegit ista pro tempore patienter sustinere, quàm novitatem aliquam sibi vel Ecclesiæ suæ inducere.

Euermodus, a) De hoc Evermodo *Krantzius Metropol. l. VI. c. 28. & 40.*

bojam, b) boja est collare in carcerem compactorũ. Vox *Plauto* usurpata *Captiv. act. IV. sc. 2. 108.* Adde *Joann. Meurs. in Glossario.*

ambo) *ἄμβων* Græcè, primò superciliosam eminentiam significat. Unde *Hesychius in Lexico* scribit, Æschylum *Κερκύωνι καὶ Σισύφῳ* vocasse *ἄμβωνας, τὰς προσαναβάσεις τῶν ὀρῶν*, acclivitates & fastigia montium. Cujus significati plura exempla adfert *Henricus Stephanus in Indice Thesauri.* Deinde est idem, quod suggestus rotundus, in medio templo extrui solitus, unde sanctæ scripturæ ad populum legebantur. Usurpat *Cedrenus* scribens: *ἀνῆλθε καὶ Κωνσταντῖνος ὁ Καβαλλῖνος ἐν τῷ ἄμβων, pag. 381.* & *Μεθ' ὧν καὶ Κωνσταντῖνον τὸν ψευδώνυμον πατριάρχην ἐπὶ ἄμβωνος ἀνελθεῖν καὶ ὑψώσαντα τὰ τίμια ξύλα, ὀμόσαι πεποίηκεν, p. 382.* Item de Constantino Copronymo: *ἐν τῷ ἄμβωνι συμβεβηκώς.* Occurrit eodem sensu apud *Curopalatem: ὁ πατριάρχης ἀναβαίνει ἐπὶ τὸν ἄμβωνα, §. de coronat. Imperatoris.* Ad quem locum *Nadabus Agmonius* in *Not.* putat, *ἄμβωνα* dici *παρὰ τὸ ἀναβαίνειν.* Idem censet *Isaac Casaubon. in Athenæum l. XI. c. 10. Ἀργύρεον, ὃ τὸν ἄμβωνα περιήμπισχε, Nicetas Choniata lib. de Murzuflo, c. 3. Theophyl. Simocatta τὸν ἄμβωνα* explicat per *βήματα ὑψηλὰ*, cùm scribit: *ὁ μὲν Θεόδωρος ἀνεὶς ἐπὶ τῶν βημάτων τῶν ὑψηλῶν, (ἄμβωνα ταῦτα τὰ πλήθη ἀποκαλεῖ,) l. IIX. c. 10. Hermias Saxomenus* autem per *βῆμα*, cùm apud illum Polychronius inquit: *εἰκάζω αὐτὴν (Ευσεβίαν) κεῖσθαι παρὰ τὸν ἄμβωνα· βῆμα δὲ τοῦτο τῶν ἀναγνωστῶν, Histor. Eccles. lib. IX. c. 2.* Alii ab ambiendo dictum existimant, quia intrantem ambit. Usurparunt & nostri. Archipresbyterum ambonem conscendere jussit, *Iso Cœnobita S. Galli l. I. c. 4.* Leo Papa ambonem ascendit, *Annal. Fuldens. anno 800.* Utun-

800. Utuntur de eodem Leone alii, (quos vide apud *Frid. Lindenbrog.* in voce Purgatio,) & *Krantz. Sax. lib. II. cap 18.* Item *Carol. Sigon. lib. IV. de reg. Ital.* Vide & *Joann. Leonclav. Pandect. Histor. Turc. cap. 199. Cl. Salmas. Plinian. Exercit. in Solin. p. 704.*

CAPUT XXII. (XXVII.)

1. *In locum Balduini, Archiepiscopi, Bremensis, Bertoldus eligitur. 1178.*
2. *Is electionem suam Papæ judicio submittit.*
3. *Papa illam approbat.*

Circa idem tempus, quo mortuus Evermodus, mortuus est & Baldevinus, 1
Archiepiscopus Bremensis, qui multum neglexit Ecclesiam suam, de cujus conversatione melius est silere quàm loqui. Cui successit Dominus Bertoldus, vir prudens & litteratus valde, & zelotes justitiæ, in quo quidem Duci Henrico primò complacuit, sed postea mutata voluntate displicere cœpit.
Et quia in eo infra quatuor sacros ordines celebrata est electio, visum fuit ipsi 2
electo minus canonicè in eo factum fuisse. Et missa legatione ad Dominum Apostolicum, ipsi omnem seriem electionis intimat, submittens se judicio summi Pontificis, ut si eam approbasset, rata maneret, sin autem, irrita haberetur.
Apostolicus autem cognita viri prudentia, & quia multum in Ecclesia 3
fructum facere potest, electionem ipsius approbat, & per scripta sua in omnibus eam confirmat. Bertoldus igitur promotus ad ordinem Subdiaconatus, denuò in Pontificem electus est, ut si quid in priori electione minus canonicè factum fuisset, eo ad sacros ordines promoto, apostolica auctoritate canonicè & legitimè suppleretur.

CAPUT XXIII. (XXVIII.)

1. *Alexander Papa Concilium Lateranense celebrat, tempore Quadragesimæ. - - - - - - - 1179.*
2. *Concilium Geronem, Episcopum Halberstad: & ab illo inauguratos recipit.*
3. *Bertoldus, electus Archiep. Brem. pro consecratione obtinenda ad Papam venit.*
4. *Henricus Dux per Legatum consecrationem ejus impedit.*
5. *Bertoldo rejecto, Sigfridus Anhaldinus succedit.*

In ipso (a) autem tempore indictum est ab Alexandro generale Concilium, 1
quod celebratum est Lateranis in palatio Constantini. Factus est ergo conventus magnus Prælatorum, & pergebant illuc multi ordinati à Schismaticis, sperantes se gratiam Apostolici invenire & misericordiam exequendi officii ab eo consequi. Præcipuè autem de Ecclesia Halberstadensi, quæ per Geronem nimis demembrata erat, tam Monachi quàm Clerici clementiam

Apoſtolicæ ſedis adierunt. In qua profectione præcipuè erat Abbas Theodoricus de Hilſeneburg: quia ferè omnis congregatio Monachorum ſuorum in ſalicibus organa ſua ſuſpenderant, exceptis paucis ſenioribus, qui ante
2 ſchisma ordinati fuerant. Cumq; omni inſtantia inſtarent pulſantes Apoſtolicam pietatem, tandem de ordinatis Geronis diſpenſatum eſt, ut quia idem Gero non à ſchismatico, ſed à catholico, Hartuico videlicet, Bremenſi Archiepiſcopo, ordinatus fuerat, ordinati ejus per gratiam Apoſtolicam in ordinibus ſuis perſiſterent, & ad majores per benedictionem aſcenderent. Ipſe etiam Gero hanc obtinuit gratiam, ut officium Pontificale in omni loco liberè
3 exequeretur, ut in Epiſcopatu Halberſtadenſi. Venit etiam illuc Dn. Bertoldus (b) Bremenſis electus in promotione officii ſui ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem. Quem Dominus Papa benignè ſuſcipiens, de promotione ipſius inſtantiſſimè tractare cœpit, ipſi etiam omnem honorem deferebat, ita ut in conſilio Prælatorum cathedram ſuam inter ſummos Pontifices collocaret, & eum infulatum coram ſe reſidere faceret.
4 Cumq; in proximo ſabbato promovendus eſſet in ſacerdotem, & ſequenti Dominica in Epiſcopum, feria ſexta ad veſperam venit nuncius Ducis Henrici, Henricus præpoſitus, qui erat acerrimus perorator: & quia idem notus erat ſummo ſacerdoti, ſtatim intravit ad ipſum. Manè autem facto cùm ſe Bremenſis Electus ad ſuſcipiendos ordines præpararet, & ei Hubaldus Cardinalis, qui poſt Alexandrum factus eſt Lucius, in quo ſumma conſilii Romanæ curiæ pendebat, præparaturam ſuam, eo quòd inhoneſtior non eſſet, deputaſſet, dictum eſt à cubiculariis Domini Papæ, Veniant Bremenſes. Venit igitur Dominus Electus cum ſuis, & Dominus Apoſtolicus egreſſus de cubiculo ſuo dixit ad eum: Frater, quia infra ſacros ordines ad honorem pontificatus electus es, caſſamus electionem tuam. Cumq; quidam aſtantium dicerent: Domine, meminerit pietas veſtra, quod electionem ipſius approbaverit: Apoſtolicus in cubiculum, unde
5 egreſſus fuerat, reverſus eſt. Bertoldus autem non ſine rubore diſceſſit. Cui poſtea ſucceſſit Sifridus, filius Marchionis Adalberti, cui Dux in omnibus devotiſſimè tam propter eum quàm propter fratrem ſuum Bernardum Comitem de Hauchalt (c), aſſiſtebat. Erant enim tunc amiciſſimi. Sed poſtea alienati ab invicem facti ſunt inimiciſſimi.

In ipſo. a) Anno 1179. V. Id. Mart. Papa Lateranenſe hoc concilium celebrandum indixit. Fuit autem turpe pecuniæ aucupium juxta *Guilielm. Neubrig. l. II. c. 23.* Legatos Romani Pontificis prætextu pecuniæ ad bellum ſacrum colligendæ multas pecunias ſæpe corraſiſſe, oſtendit *Georg. Buchanan. rer. Scotic. fine libri VII.* Scilicet Curia Romana non paſcit ovem ſine lana, ſcribit *Auctor Chronici*

nici Aulæ Regiæ c. 22. graviter de avaritia Romanæ curiæ ibi conquerens. Nam Episcopus Pragensis omni suarum pecuniarum vellere excoriatus Româ redierat. Eandem querelam instituit *Abbas Urspergensis*, cùm scribit: Vix remansit aliquis episcolcopatus, sive dignitas Ecclesiastica, vel etiam parochialis ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi precium. Jocundare super adjutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines, non ipsorum devotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio, precio comparata. *Ursperg. de diffidio Philippi & Ottonis IV.*

Bertoldus, b) *Krantz. Metrop. l. VII. cap.* 4.

Hauchalt, c) *Anhalt* rectè legit *MS. B.* Et ita legendum esse liquet ex collatione *l. II. c. 1. n. 9.* ubi Sigfridus hic etiam Bernhardi Ducis frater esse dicitur. Bernhardus autem Anhaldinus erat.

CAPUT XXIV. (XXIX.)

1. Philippus, Archiep. Colon. in terras Ducis, Hamelam usq; irruptionem facit. - - - - - 1178.

2. Dux Imperatori injurias à Coloniensi sibi illatas conqueritur.

3. Imperator Ducem bis ad causam in conventu Principum dicendam evocat. - - - - - - - 1179.

4. In conventu Magdeburgensi Marchio Lusatiæ duellum contra Ducem expetit.

5. Dux Imperatorem privato colloquio mitigare nequicquam studet.

6. Imperator Ducem tertia vice Goslariam vocatum, nec se sistentem de sententia Principum proscribit.

7. Cùm quartùm citatus nondum compareret, proscriptio confirmata est.

8. Bernhardo, Comiti Anhaldino, Ducatus Saxoniæ tribuitur.

9. Henricus L. excipit contra latam in se sententiam.

IN illo tempore Philippus (a) Coloniensis cum multitudine gravi exiens de 1
finibus suis, pervagatus est terram ducis, devastans eam incendiis multis,
& ita procedens usq; Quernhamele, non adjecit ulterius progredi, sicq; reversus est in locum suum. Circa dies illos reversus est Imperator de Italia, 2
cui occurrit Dux apud Spiram, & illatas sibi injurias à Domino Coloniensi

3 conqueftus eft in præfentia ipfius. Quod Imperator tunc quidem diffimulans,eis curiam indixit apud Wormaciam, Ducem tamen præcipuè ad audientiam illuc citavit,refponfurum querimoniis Principum. Quod intelligens Dux, eo venire diffimulavit. Imperator autem aliam ei curiam indixit in
4 Magdeburg,ubi Theodoricus(b) Marchio de Landsberg, duellum(c) contra eum expetiit,imponens ei quasdam traditiones contra imperium factas. Verius tamen propter indignationem id factum fuiffe creditur: quia Slavi exciti à Duce omnem terram illius, quæ Lufice dicitur, irrecuperabiliter vaftave-
5 rant. Dux autem hoc animadvertens, venire noluit. In Haldesleben tamen conftitutus,per internuncios colloquium Domini Imperatoris expetiit. Imperator itaq; exivit ad eum ad locum placiti,quem Dux verbis compofitis lenire ftuduit. Imperator autem quinq; millia marcarum ab eo expetiit, hoc ei dans confilium,ut hunc honorem Imperatoriæ majeftati deferret,& ipfo mediante,gratiam Principum, quos offenderat,inveniret. Illi autem durum vifum eft, tantam perfolvere pecuniam, & non acquiefcens verbis Imperato-
6 ris, difceffit. Exinde Imperator tertiam ei curiam Goslariæ præfixit, nec minus illam fuperfedendo neglexit. Imperator itaque procedens in concionem,fententiam adverfus eum propofuit,quærens quid fuper hoc juftitia decernat, quòd tertiò legitimè vocatus, judicium declinaverit, & per contemtum ad audientiam fuam venire noluerit. Cui ex fententia Principum refponfum eft, quòd juftitia dictante, omni fit honore deftituendus, ita ut profcriptione publica dijudicatus & Ducatu & omnibus beneficiis careat, & alter in locum ejus confurgat. Confirmata itaq; fententia Imperator id adju-
7 dicavit fieri. Quartam tamen curiam adhuc rogatu Principum ei indixit, ad quam cùm non veniffet, fecit ut fuperius ex fententia Principum inftructus e-
8 rat,& Bernardum Comitem de Anhald, pro eo Ducem conftituit, & Epifcopis ut fua reciperent,quæ in beneficio habuerant,mandat, & bona ejus publicari præcepit. Unde accepta occafione quidam de fuis alienati funt ab eo.
9 Dux autem injuftè de fe judicatum effe affirmabat, dicens fe de Suevia oriundum,& nullum profcriptione damnari poffe,non convictum in terra nativitatis fuæ.

Philippus.a). Hic fuit Comes de Heynsberg, primùm quidem Præpofitus Colonienfis,& Imperatoris Cancellarius; poftea Archiepifcopus Colonienfis, *Petrus Merffæus n. XLI.* Idem Philippus mercatores Auguftanos contra mandatum Henrici VI.detinet. *infra lib.III. c.11.n 1.* Iturus ad nuptias Henrici VI. revocatur à Moguntino, *c. 14. n. 2.* Cum eodem difputat Henricus VI.de inveftitura Epifcoporum, *c.17. toto.* Moritur in expeditione Henrici VI. Italica, *l.IV.c.6.*

Theodo-

Theodoricus, b) Fuit filius Conradi Pii, Marchionis Landsbergæ & Lusatiæ, qui primus suæ stirpis à Lothario Cæsare, Marchio Misniæ investitus est, anno 1126. *Johan. Gualterius Chron. Polit. lib. I.*

duellum, c) Ratio veritatem per duellum inquirendi perantiqua est, multisq; nationibus olim usitata. De Umbricis narrat *Stobæus, Serm. IIX. ex Nicolao de moribus gentium*: Ὀμβρικοὶ ὅταν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες, ὡς ἐν πολέμῳ μάχονται, καὶ δοκοῦσιν δικαιότερα λέγειν, οἱ τοὺς ἐναντίους ἀποσφάξαντες. Etiam apud Germanos nostros, gentem pugnacissimam, ipsius Augusti Cæsaris ætate, mos erat, manu litem discernere. Q. Varo fictè gratias agunt, quòd lites (Germanorum) Romana justitia finiret, feritasq; sua novitate incognitæ disciplinæ mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur, apud *Vellej. Paterculum Vol. II.* Subsequentibus seculis ad plærasq; nationes Europæas consuetudo hæc penetravit. Cùm enim perjuria crebro committerentur, jurijurando monomachia substituta est. Jurene an injuriâ, & olim controversum fuit, & hodie disputant Juris Interpretes; quibus addantur *Martinus Delrio Disq. Magic. l. IV. c. 4. q. 4. sect. 2. Hugo Grotius Prolegom. Histor. Goth.*

Quàm autem frequens apud gentes Europæas monomachia fuerit, testantur leges, quas plæræq; de illa rectè instituenda tulerunt. Nam post barbarorum inprimis in Romani Imperii provincias crebro factas irruptiones, in usu tam frequenti esse cœpit, ut etiam Imperatorum & Regum auctoritate, legibus atq; edictis communita sit, & multæ Francorum, Longobardorum, Saxonum atq; aliorum populorum sanctiones de eadem constitutæ legantur. Saxones illam suo quodam jure ad se pertinere gloriantur, atq; quo ordine, quibus de causis, cum quibus, quo armorum genere illa suscipi debeat, in *Jure suo Saxonico* sanxerunt, Sachssen-Spiegel *lib. I. artic. LXIII.* Sächsisch Weichbild *artic. XXXV.* & in *Glossa.* Ipsi Islandi, magno oceano à nobis discreti, monomachiam ad lites de prædiis, hæreditatibus, dotibus & aliis rebus finiendas, certis legibus munitam, antiquissimis temporibus usurparunt, ut commemorat *Arngrimus Jonas de rebus Islandicis, l. I. c. 9.*

Latinis duellum: in *Legg. Antiquis* frequentissimè Dei Judicium, item Campus, pugnantes verò Campiones dici consuevere. Nonnunquam antiquis monomachia Wehadinc appellata fuit. Ut *Decreto Thassilonis* Bavari, anno 772. facto: Si quis de quocunq; reatu accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam, quæ Wehadinc vocatur, permittat, *Lege X.* Et in eodem *Decreto*: De pugna Duorum, quod Wehadinc vocatur, ut priusinsortiantur, quã parati sunt, ne fortè carminibus vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidiantur, *Legg. Popular. V.* Ubi Wehrdinc legendum putat *Marcus Velserus l. V. rer. Boicar.* Item *Lege Bajuvariorum*: Si alia probatio nusquam inveniri dignoscitur, nec utriusq; invasionem compensare voluerint, tunc spondeant invicem Wehadinc quod dicimus, *Tit. XI. leg. V.*

Adhibitum duellum fere in omnibus causis est, in quibus veritas per alia rerum documenta erui non posse videretur. In *veneficio*: Si mulier maritum veneficio dicatur

dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse; proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur, *Lex Anglior. Tit. XIV.* Ita in *homicidio* purgando frequens ejus usus: Si quis Adalingum, aut liberum occiderit, & negavelit, cum XII. juret, aut in campum exeat, *Lex Anglior. Tit. I. §. 1. 2. 3.* Nec minus frequens in *adulterij* suspicione amolienda: Si quis alii crimen de uxore sua miserit, quod cum ea fornicatus esset, liceat ei, cui crimen mittitur, aut sacramento, aut per campionem se purificare: & si ei probatum fuerit, animæ suæ incurrat periculum, *Lex Longob. lib. I. Tit. XXXII. c. 3.* Frotho III. qui tempore nativitatis Christi Danorum regnum tenebat, sicut volebat, ut de qualibet lite ferro decerneretur; ita ut suspectus illati stupri duello se purgaret, judicabat. Nam ita de illo *Saxo l. V.* De qualibet controversia ferro decerni sanxit; speciosius viribus quam verbis confligendum existimans. Quod si alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, perinde ac victus causæ detrimentum reciperet. Sin autem quavis de re pugilem popularis impeteret, ipsum armatus exciperet, cubitali duntaxat stipite pugnaturum. Eodem tempore cùm inter Hithinum & Hoginum simultas orta esset, quòd Hithinus apud Hoginum quorundam obtrectatione insimulatus esset, quasi filiam illius ante sponsalium sacra stupri illecebris temerasset; quod tunc immane cunctis gentibus facinus habebatur, et Rex controversiam secundum alias leges componere non posset, ut ferro decernerent, permisit. *Saxo* his verbis expressit: Quamobrem Frotho missis, qui simul eos accerserent, scrupulosiùs causam simultatis inquirit. Qua cognita, juxta legis à se latæ formulam pronuntiavit. Videns autem ne sic quidem eos in gratiam reduci posse, patre filiam pertinaciùs reposcente, litem ferro decidendam edixit. Id quippe solum dirimendæ controversiæ remedium videbatur. *l. V.* Sic qui *furti* insimulatus esset, pugnâ se purgabat: Si quis majorem pecuniam furaverit, hoc est, XII. sol. valentem vel amplius, aut equum totidem pretii, vel mancipium, & negare voluerit, cum XII. sacramentalibus juret de lite sua, vel duo campiones propter hoc pugnent, *Lex Bojor. Tit. IIX. §. 3.* Etiam in *incendij* suspicione diluenda usurpabant: Si quis ignem posuerit in domo, & negare voluerit, cum campione se defendat, aut cum XII. sacramentalibus juret, *Lex Bojor. Tit. IX. c. 4. §. 4.* Cùm de *agrorum terminis* disceptaretur, etiam huc recurrebant: Quotiens de commarchanis contẽtio nascitur, ubi evidentia signa non adparent in arboribus, aut in montibus, nec in fluminibus, & si alia probatio nusquam inveniri dignoscitur, tunc spondeant invicem Wehadinc quod dicimus, & in campiones non sortiantur, sed cui Deus dederit fortiam & victoriam, ad ipsius partem designata pars pertineat, *Lex Bojor. Tit. XI. c. 5.* In *Deposito* sibi vindicando: Si quis per seipsum, aut per suum nuncium, quidquam alicui deposuerit, & depositum, cupiditate victus, negaverit, si XX. sol. pretium fuerit, ut per pugnam veritas decernatur, edicimus, Otto Imper. *ibid. c. 35.* In falsa *accusatione* diluenda: Si quis qualemcunq; hominem ad Regem accusaverit, liceat ei, qui accusatus fuerit, per campionem, id est, per pugnam crimen ipsum desuper se ejicere, Rex Rotharis *Leg. Lõgob. l. I. Tit. I. c. 7.* In *libertate* probanda: Si servus propter appetitum libertatis liberum se vocaverit, liceat domino propter difficultatem approbationis insidiosæ, aut per se, aut per suum campionem, litem dirimere,

Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus, aut ætas eum pugnare prohibuerit, Otto Imper. *Leg. Longob. l. II. Tit. LV. c. 39.* Imò verò in plerisq; causis, in quibus veritas aliis rerum documentis investigari non posset, ad hoc probationis genus, tanquam ad sacram anchoram confugiebant.

Ut autem ritè pugnaretur, variæ cautiones adhibitæ sunt; de quibus nonnullas audiamus. Primùm circulum pugnatorium ingrediebantur, & jurejurando confirmabant, se causam, pro qua pugnaturi erant, pro veriore agnoscere. Fridericus II. Imper: Præsenti lege decernimus, ut campiones amodo, postquam circulum pugnatorum (prout est moris) ingressi, corporalia subeant sacramenta, quod juxta probabilem credulitatem eorum credunt, dominos pro quibus pugnam intraverint, veritatem fovere, & quod cum omni virtute & potentia, studio & vigore, partes, pro quibus pugnaverint, adjuvabunt, *Constitut. Sicul. l. II. Tit. 35. c. 1.* Cantum itidem fuit, ut ne quis in arenam descendens fascino uteretur. Nullus campio præsumat, quando contra alium pugnando vadit, herbas, quæ ad maleficia pertinent, super se habere, nec alias tales ac similes res, nisi tantum arma sua, quæ conveniunt, *Lex Longob. lib. II. Tit. LV. c. 11.* Armorum genus, quo pugnabant, etiam non semper idem fuit. Ludovicus Imper. jubet, ut testes suspecti fidem testimonio suo, scutis & fustibus decertando, faciant, *Leg. Salic. Capitul. Ludov. c. 1.* Item *Leg. Longob. l. II. Tit. 51. c. 10. & 11. Tit. 55. c. 29.* De clavis seorsim præcipit Fridericus II. Imperator: Statuimus, ut campiones habeant clavas æquales, nec spinosas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, nec ex parte fustis ad modum unguis, *Constit. Sicul. lib. II. Tit. 37. c. 1.* Licebat etiam alium ad pugnam pro se substituere, (quem mercede conducebant, *Lex Frision. Tit. XIV. c. 4.*) Ludovicus Imperator: Et in seculari quidem causa hujuscemodi testium diversitas campo comprobetur: in Ecclesiasticis autem negociis, crucis judicio rei veritas inquiratur. Hoc & de timidis, & de imbecillibus sive infirmis, qui pugnare non valent, ne propter hoc justitia sua careant, cēsuimus faciendum, *Leg. Salica Capitul. Ludovici c. 1.* Idem sancit Otto I. Imperator: Quacunq; lege, in omni regno Italico homo vixerit, hæc omnia in his capitulis per pugnam decernimus observare: ita tamen ut si quem eorum juvenilis aut decrepita ætas, seu infirmitas, pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnantem ponere, & alteri similiter facere, *Leg. Longob. Tit. 55. c. 38.* Cautionem de ætate restringit Fridericus II. ad eos, qui nondum XXV. annos expleverint, & qui LX. annum nondum attigerint, *Constitut. Sicul. lib. II. Tit. 37.* In causa tamen homicidii non facile licebat alium pro se ad pugnam educere, uti patet ex collatione *Leg. Longob. l. I. Tit. 9. c. 38. & Tit. 10. c. 4.* Et *Leg. Frision. Tit. 14. c. 4.* Alias pugnantium conditiones proponit Fridericus Imperator *Const. Sic. l. II. Tit. 3.*

Exempla hujus monomachiæ, illustrium præsertim personarum, multa iisdem temporibus, quibus Leges hæ valuerunt, occurrunt.

Adalulfus quidam summo inter Longobardos loco natus, reginam Gundebergam de stupro interpellârat. Cùm repulsam convitiumq; tulisset, illam apud regem nefariorum consiliorũ arguit. Ipsa in carcerem conjicitur; ex quo tandem post triennium liberatur, cùm Adalulfus cum Carello, (Pittone aliis) qui reginæ castitatem tueri constituerat, congressus superatur,

ſuperatur, anno 631. *Paul. Warnefrid. de Longob. l. IV. c. 49. Petrus Bizarus Hiſtor. Genuenſ. l. III. p. 51.* Bero, Barcinonæ Comes, violatæ fidei à vicinis, Aquisgrani in Comitiis Imperii, accuſatus, ut ſe purgaret, cum accuſatore ſuo equeſtri pugnâ decertat, & vincitur. Damnatur ergo capitis. Imperator tamen pœnam mitigat, & Rotomagum in exilium ſecedere jubet. *Annal. Reg. Francor. anno 820. Annales Fuldenſ. eodem.* Bernhardus, Ludovici Pii Cameræ Præfectus, adulterii cum Auguſta commiſſi accuſatus, primùm in Hiſpaniam confugerat. Inde Anno 831. reverſus Imperatorem adit, atq; ab eo contendit, ut ſibi facultas detur purgandi ſeſe more Francis ſolito, i. e. crimen objicienti ſemet objiciendo. Sed cùm accuſator nullus compareret, purgatio facta eſt juramentis, inquit *Aimoinus de geſt. Francor. lib. V. c. 13.* Egillus, Islandus, Bergomundum, Norvvegiæ magnatem, circa annum 931. in jus vocat. Cùm videret, ſe propter animum judicis (is erat Blodoxius, Norvvegiæ Rex) à ſe averſum causâ cadere, ad conſuetudinem lege receptam confugit, & adverſarium ad monomachiam provocat. *Arngrimus Jonas l. II. p. 130.* Idem Egillus magnum athletam Liotum duello vicit, cum quo loco Fridgeiri manum conſerebat. *Idem p. 133.* In alio judicio cùm Atlas, Bergomundi frater, perjurio ipſum vincere ſtuderet, Egillus cum illo congreſſus non ipſum tantùm, ſed & (quæ lex Islandicæ monomachiæ erat) taurum in circum inductum manibus ſuis interficit. *Ibid.* Lambertus, Tuſciæ Marchio, tempore Henrici Aucupis, circa ann. 933. duello probat, ſe Hugonis Regis fratrem eſſe. *Liuthprand. Ticinenſ. lib. III. c. 13.* Filia Ottonis M. in ſuſpicionem impudicitiæ à Cunone adducta, rogatu patris per Burchardum Comitem, duello cum Cunone inito, vindicatur. *Ditmar. Epiſc. l. II. p. 24. Reginonis Continuator l. II. anno 950.* qui tamen in nominibus variat. Otto M. Abderamo Duci Saxoniæ in Diplomate anno 967. X. Kal. April. dato, poteſtatem concedit, poſſeſſionẽ bonorum ſuorum per ſacramenta aut pugnam tutandi. Gero Comes à Waldone quodam accuſatus, illum anno 979. in ſingulari certamine occidit, *Lambert. Schaffnaburg. ann. 979.* Conradus Salicus duello inter Slavum & Saxonem permiſſo diſſidia illorum tollit, circa ann. 1025. *Wippo de Conrado.* Gunildis, Hardecnuti Regis Angliæ ſoror, eademq; Hẽrici III. Imperatoris conjux caſtitatem ſuã duello inter accuſatorem, & unum ex miniſtris ſuis inſtituto teſtatur, circa ann. 1039. *Willielmus Malmesburienſis lib. II. c. 12.* Bela Dux cum Pomeranorum Duce in monomachia congreditur, eumq; gladio confoſſum ſternit, circa annum 1043. *Joan. Thwrocz. part. II. c. 38.* Ditmarus Comes, Ducis Bernhardi frater, ob initum contra Imperatorem Henricum III. conſilium, ab Arnoldo, milite ſuo, delatus, cum eodem congreſſus, ut objectum crimen manu purgaret, occubuit. *Lambert. Schaffnab. anno 1048.* Ipſe Imperator Henricus III. ad duellum cum Galliarum Rege, ſe offert, anno 1056. quo paulò pòſt obiit. *Lamb. Schaffnab.* Otto, Bavariæ Dux, inſidiarum contra Henricum IV. accuſatus, duello ſe contra delatorem tueri in Comitiis jubetur. *Idem anno 1070. Conrad. Ursperg. anno 1071.* Regenger, Henrici IV. familiaris, ſe & alios intimæ admiſſionis aulicos, ab illo ad trucidan-

dandum Rudolphum & Bertholdum Duces ſubornatos calumniatur, nec dubitat crimini delato fidem duello facere. Imperator contrà ad ſe purgandum duellum cum Rudolpho expetit. Udalricus de Cosheim, qui ſocius conſilii fuiſſe à Regengero perhibebatur, profitetur, ſe loco Imperatoris conſertâ cum Regengero manu, Cæſaris & ſuam innocentiam teſtaturum. *Schaffn. anno 1073.* Burgvvido ad vadum Agrimesvvedel (in Holſatia) fecit duellum contra campionem Slavorum, interfecitq; eum: ubi & lapis in monumentum poſitus eſt, inquit *Adam. Bremenſ. l. II. c. 9.* Duellum quod Cacia pro Othobono Elia, Piſtellus pro Jacobo Grillo, Prætoris Genuenſis auctoritate anno 1232. inierunt, & eventum ejus deſcribit *Petrus Bizarus Hiſtor. Genuenſ. lib. III.* In Gallia, Carolo VI. regnum tenente, circa annum 1386. duo ex familia Petri Alenconii Ducis proceres Jaquetus Griſus & Johannes Carongius magna familiaritate uſi ſunt. Jaquetus Johannis abſentis uxorem per vim ſtupravit. Cùm poſtea negaret factum, Senatus Pariſienſis ſtatuit, ut monomachia litem finirent. Johannes Jaquetum occidit. Interemtum carnifex pertractum ad patibulum ſuſpendit, *Robert. Gaguin. l. IX. in Carolo VI. Froſſard. lib. III. initio.* Atque in hunc quidem modum antiquis iſtis & barbaris ſeculis controverſiæ diremtæ ſunt, donec paulatim majore luce veritatis cœleſtis animos hominum colluſtrante, ſublata eſt. Sanè inter ipſos Veteres, quo tempore plurimum huic examinis generi tributum eſt, cordati viri reperti ſunt, qui illud improbarent. Verùm ita inveterata opinio animos inſederat, ut illi parum efficerent. *Rotharis*, Longobardorum Rex, cùm de monomachia ex ſuſpicione homicidii inſtituenda quædam ſanxiſſet, ſubjicit: Incerti ſumus de judicio Dei: & multos audivimus per pugnam ſine juſta cauſa ſuam perdere. Sed propter conſuetudinem gentis noſtræ, Longobardorum legem impiam vetare non poſſumus, *Leg. Longobard. l. I. Tit. 9. c. 23. Agobardus*, Lugdunenſis Epiſcopus, epiſtolam prolixam ad Ludovicum Pium, Imperatorem, contra legem à Gundebado, Burgundionum Rege (is anno 484. tempore Clodovæi, Burgundionum regnum tenebat, *Sigebert. Gemblac. Robertus Gaguinus l. I.*) de duello latam, ſcripſit, in qua argumentis è ſacris literis & ratione petitis aſſerit, conſuetudinem hanc Chriſtianæ religioni è diametro eſſe contrariam, qua non ſolùm valentes, ſed etiã infirmi & ſenes laceſſantur ad certamen, & pugnã, etiã pro viliſſimis rebus; quibus feralibus certaminibus (ſunt verba *Auctoris*) contigũt homicidia injuſta, & crudeles ac perverſi eventus judiciorum non ſine amiſſione fidei, & charitatis ac pietatis, dum putant Deum illi adeſſe, qui potuerit fratrem ſuum ſuperare. In ejusdẽ *Agobardi* munumentis extat libellus cum hac inſcriptione: Liber de divinis ſententiis digeſtus, cum breviſſimis annotationibus, contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem, igne vel aquis, vel conflictu armorum patefieri. Vide *Notas ad l. I. c. 83. n. 19.* Etiam Imperator *Fridericus II.* cum tandem ſummam iniquitatem, quæ ſæpe in duello committebatur, obſervaret, prorſus illud abrogavit, excepto tantùm homicidio, & aliis paucis caſibus; de quibus *Conſtit. Sicul. l. II. Tit. 32. 33. & 34.* Quam ægrè tamen inveteratum morem dimiſerint, vel ex eo liquet, quod *Danthes Aligherius* adhuc ſuo tempore, i. e. circa

annum 1324. de æquitate monomachiæ disputet, atq; leges in ea observandas præscribat, *lib. II. de Monarchia.* Plura de monomachia, Danica inprimis, collegit *Olaus Worm Dan. monum. lib. I. c. 9. & 10.* ut, quod arma, quibus instructi incedebant, *galea, clypeus, ensis & hasta* fuerint, item quod provocatus prior ictũ in adversarium direxerit, & alia. Nam cum tempore Rolvonis, (qui anno 566. ante Christum natum in Dania regnare cœpit) Agnerus cum Biarcone decernere vellet, in ineundo duello, utri prior feriẽdi copia deberetur, diutulè certatum est. Non enim antiquitùs, (sunt verba *Saxonis lib. II.*) in edendis agonibus crebræ ictuum vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiam feriendi distincta successio, rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, quàm numero deferretur.

CAPUT XXV. (XXX.)

1. *Philippus, Arch. Coloniensis, denuo in Ducis provincias irruit, & atrocissimè sævit.* - - - - 1181.

2. *Wigmannus, Arch. Magdeb. Hadeslebum obsidet: capit: evertit.* - - - - - - 1181.

1 EX eo igitur tempore multiplicata sunt mala multa in terra: quia omnes consurgebant adversus Ducem, & manus omnium contra eum, & manus ejus contra omnes. Philippus autem Coloniensis contracto exercitu, secundam expeditionem instauravit, habens in comitatu suo illos, quorum secta Rote dicitur. Rursumq; in manu valida pertransivit omnem terram Ducis, & timuerunt omnes à facie ejus. Facta sunt autem abominabilia multa & gravia in profectione illa, eo quòd viri iniqui, filii Belial, qui comitabantur cum eo, sceleratissimi essent, & sceleribus perficiendis inexplebiliter insisterent. Factæ sunt autem cœmeteriorum deprædationes, Ecclesiarum exustiones, & multa loca religionis destructa sunt, ita ut, quod dictu gravius est, sponsas Dei quasi captivas abigerent, & eas prostituendo templa Dei non manu facta libidinosè polluerent. Quis non gemat, quòd sacerdoti sacrosanctis mysteriis assistenti non pepercerunt, sed impingentes in eum, necdum benè completis sacramentis, calicem de manu ejus rapuerunt? Multa etiam alia sceleratissimi illi perpetrarunt, quæ pro enormitate nefas fuit scribere, &
2 nimis venenata auribus fidelium infundere. Episcopus autem procedens Haldesleben, quod Wichmannus (a), Archiepiscopus Magdeburgensis, obsederat cum Principibus Orientalibus, confortans manus eorum, reversus est in locum suum non sine gravi compunctione, quòd propter eum occasio tantorum malorum data fuerit: nec adjecit ultrà viros illos apostatas secum educere. Crevit autem obsidio in dies & menses, eo quòd Bernardus, Comes de Lippe, præfectus civitatis, vir strenuus valde & militaris esset, & locus palustris

ſtris ab hyemis mollicie expugnari non poſſet. Cumq; tædio diutini laboris deficerent, tandem novum quoddam genus expugnationis excogitaverunt, ut eam aquis ſuffocarent. Cumq; vallo facto excogitatum inſtantiſſimè peragerent, aquæ uſq; ad trabes domorum excreverunt: ſed adhuc viri bellatores civitatem tenuerunt. Tandem conditione facta Bernardus cum ſuis liber egreditur, & civitas funditus (b) deſtruitur.

VVichmannus. a) Bellicoſum epiſcopum hunc vocat, & in ordine XVII. collocat *Gabriel Bucelinus Germ. ſacr. Part. I.* Vide *Krantz. Sax. l. VI. c. 38. Metrop l. VI. c. 35.*

funditus. b) Factum anno 1181. *Gerhard. Stederburg. de Henrico L. p. 2.*

CAPUT XXVI. (XXXI.)

1. *Udalricus, Epiſc. Halberſt. anathemate contra Ducem pugnat.*
2. *Dux veniam petens ad breve tempus excommunicatione ſolvitur.*

INter hæc autem Udalricus (a) Halberſtadenſis omnibus modis importunè 1
ei inſiſtebat, adeò ut excommunicationis maledicta in eum ſæpius proferret, facta ſuſpenſatione divinorum in omni Epiſcopatu illo, & tantùm in monaſteriis ſub ſilentio divina celebrabantur, clauſis tamen januis propter excommunicatos. Dux autem timens ſententiam excommunicationis, venit 2
Halberſtad cum ſuis, & in contritione cordis humiliatus eſt ad pedes Domini Epiſcopi. Et ſolutus eſt à vinculis anathematis, tam ipſe quàm ſui, facta ſolenniter abſolutione. Et ſenſit cum Epiſcopo & cum Eccleſia illa, ea quæ pacis ſunt. Sed hoc parvo duravit tempore. Nam idem Epiſcopus impatiens otii & quietis erat, & iterum occaſione accepta, alienatus eſt ab eo, & additus inimicis ſuis, multa contra eum moliri cœpit, & factus eſt noviſſimus error pejor priore.

Udalricus. a) *Krantz. Sax. l. VI. c. 38. Metrop. l. VI. c. 26.* Ordine fuit XIIX. *Gabriel Bucelin. Germ. ſacr. part. I.*

CAPUT XXVII. (XXXII.)

1. *Henricus L. hoſtes ſuos gravi prælio in Weſtphalia vincit.* 1181.
2. *Simon, Comes Tecklenburgius, capitur.*
3. *Duci reconciliatur.*
4. *Dux & Adolphus Comes de captivis inter ſe contendunt.*

DUx autem egregio exercitu congregato, direxit eum in Weſtfaliam, 1
per manus Adolfi, Comitis de Schawenburg, Bernardi, Comitis de Raceburg, Bernhardi, Comitis de Welpe, (qui etiam, ut in ſequentibus clarebit, aliis

aliis à Duce deficientibus ipse fidelis solus permansit) Guncelini, Comitis de
Suerin, Ludolfi (a) Comitis & Wilbrandi, fratris ejus, de Halremund, ut
pugnarent contra inimicos suos in medio terræ eorum, qui fines suos in
partibus illis occupaverant, videlicet contra Simonem (b), Comitem de
Teckenburg, Hermannum, Comitem de Ravensberg, Henricum, Co-
mitem de Arnsberg, Widekindum (c), Comitem de Schwalenberg, &
alios plures, & consederunt contra Osenbrugge. Cumque appropinquasset
exercitus hostilis, attriti sunt Westfali plaga magna, eo quòd Saxones, qui
Holsati dicuntur, viri sint absque misericordia, & humani sanguinis auidissimi
fusores. Et non pepercit oculus eorum majori vel minori, sed omnes, quos
2 oppositos habebant, insatiabiliter neci tradiderunt. Plures tamen à militi-
bus in captivitatem ducti sunt, inter quos præcipuus erat Simon, Comes de
Teckenburg: qui à Duce conjectus est in vincula, constrictus manicis ferreis,
3 donec ea, quæ subjecta sunt, sentiret. Postea tamen solutus à vinculis, sub
jurejurando fidem faciens, factus est Duci fidelissimus, & in omni illa contro-
4 versia, secum fideliter perseverabat. Facta autem est disceptatio inter Du-
cem & Comitem Adolfum & cæteros nobiles de captivis. Dicebat enim
Dux, sui juris esse, ut omnes captivi sibi rederentur. Cui consentiebat Gun-
celinus Comes, Conradus de Rothe, redditis captis suis, & alii de domo Du-
cis familiariores. Econtra illi dicebant, se de propriis stipendiis militare, &
ideo justum esse, ut de captis sua reciperent: nec omnino stipem militiæ se
habere posse dicebant, si eorum captivi in usus alienos tollerentur. His con-
tradictionibus Comes Adolfus animum Ducis graviter irritavit. Et ex illo
tempore seminarium discordiæ inter eos pullulat. Ipse autem cum aliis re-
versus est in terram suam cum numerosa multitudine captivorum & præda
multa.

Ludolphi. a) Ludolphus hic & Wilbrandus, Comites Hallermundii, postea cum Imperatore Friderico ad terram sanctam profecti sunt, & Wilbrandus quidem in itinere extinctus & Antiochiæ sepultus est: Ludolphus verò in reditu vitâ decessit, cujus ossa Adolphus, Comes de Schovvenburg sepelienda transmisit. Vide *literas fundationis Monasterii Luccensis in Notis Henr. Meibomij ad Hermann. de Lerb.*

Simonem. b) Hic Simon, Theodorici F. Reineri N. Hermanni Pron. Comes Tecklenburgius hac expeditione, anno 1181. susceptâ, Philippi, Archiepiscopi Coloniensis arma secutus, capitur. A Duce in fidem receptus, strenue & magna fide ejus partes juvit. Nam anno 1182. Lubecam fortiter contra Fridericum I. defendit, *infra c. 35. n. 1.* Quod igitur nonnulli tradidere, illum anno 1178. in prælio contra Udalricum Halberst. & Wigmannum Magdeb. Antistites cecidisse, quod faciunt *Georg. Fabric. ad ann. 1178. & Elias Reusner.*

Reusner. Operis genealog. Auctario, id cum serie historiæ non convenit.

Widekindum. c) Widekindus fuit Comes de Schvvalenberg & de Waldegge, & Advocatus ecclesiæ Paderbornensis. Cum Friderico I. anno 1189. in Syriam abiturus jus Advocatiæ suæ Bernhardo Episcopo CCC. marcis argenti vendidit. Fratres Hermannum & Henricum habuit. Captus hoc prælio cum Simone Tecklenburgio, paulò pôst in gratiam Imperatoris dimissus. *Gobelinus Persona Cosmodr. æt.6. c.60.* Comites Schvvalenburgios & Waldeccenses ejusdem esse originis & familiæ, non solùm ex Gobelino satis liquet, sed etiam ex utriusq; familiæ insignibus, stella videlicet octangula constat. Vide *H. Meibom. in Not. ad Herm. de Lerbeck.* Quod autem *Theodorus Höpingius* duos VVidekindos facit, quorum alter à Carolo M. Advocatus Paderbornensis constitutus sit, alter à Leone captus, id σφάλμα historicum sapit, *De Jure Insignium part.6.c.6.n.921.*

CAPUT XXVIII. (XXXIII.)

1. Udalricus iterum in terras Ducis excurrit, & villas exurit.
2. Ducis milites Halberstadium capiunt, & incendio delent.
3. Auctor in Episcopos belligerantes invehitur.

Udalricus autem Halberstadensis ea tempestate impatiens quietis, ut supra dictum est, zelo ductus antiquæ æmulationis, multis perturbationibus Ducem infestabat. Unde Ecclesiam illam gravis jactura omni ævo geminanda subsecuta est. Nam cùm sæpissimè eruptiones fierent de Halberstad & de castro Horneburg, & succenderentur villæ Ducis, & homines sui aut mutilarentur, aut in captivitatem traherentur, tanta commotus inquietatione, coadunatis amicorum suorum turmis, eas in partes illas misit, ut, si possent, debitam rependerent inimicis suis talionem. 1
Abeuntes ergo, exustiones & deprædationes villarum multarum fecerunt: & venientes Halberstad, sine periculo inuitis hostibus civitatem obtinuerunt. 2
Facta igitur discursione, civibus captivatis, spolia multa acceperunt, urbe adhuc illæsa, quæ undique clausa & munita fuerat, in qua Dominus Episcopus cum multitudine armatorum consistebat. Providentia verò civium, qui periculum incendii timuerant, provisum erat, ut in civitate ignis non inveniretur. Nec multum ab hostibus quærebatur ignis, eo quòd propter sanctimoniam loci parcerent civitati. Cumque unus in loco quodam occultatum ignem invenisset, ex eo casulam quandam incendit, & statim crescente incendio tota civitas conflagravit, ita ut tota in favillam redigeretur. Capitalis etiam Ecclesia B. Stephani & beatæ Dei genitricis Mariæ cum omni ornatu suo exusta est, & quod sine gemitu dici non potest, multitudo clericorum, quæ quasi in asylo se illic receperat, cum ipsis locis sanctis excinerata est. Dominus verò Episcopus in domo

domo propria ignibus circumdatus, cum agnato suo, Romano Præposito, & aliis multis captivatus est, & reliquiæ B. Stephani, quas fortè ad præsidium Episcopus secum habuerat, de ignibus raptæ quasi semiustæ abductæ sunt.
3 O judicia Dei abyssus multa. Necesse est, ut veniant scandala, veruntamen væ homini illi, per quem scandala fiunt. Sed quis est, qui propter peccata sua concedat venire scandala? Omnes in tali casu innocentias suas prætendunt, impunitatem sibi promittunt, errorem que suum quo tueantur, habent. Sed propter præcedentia delicta sæpe gravissima peccatorum nascuntur scandala. Unde B. Gregorius dicit: Contemnenti, qui non vult pœnitere, ponit Deus offendiculum, sed ut gravius impingat, qui levius pœnituit. Quædam enim peccata sunt peccata & peccati pœna: quædam autem sunt & peccata & peccati causa. Alia verò peccata & causa sunt peccati & pœna. Peccatum ergo, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Propter ergo præcedentia delicta, ut suprà dictum est, veniunt scandala, id est, graviora peccata. Unde dicitur in Psalmo: Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Et alius Propheta: Sanguis sanguinem tetigit, id est, peccatum peccato est cumulatum. Sed nunquid per pastores Ecclesiæ & summos Pontifices possunt venire scandala? Ipsi enim populum Dei ad terram promissionis, ut olim Moyses, per hujus seculi vastam solitudinem ducere videntur: sed utinam eum via regia ducant, ita ut non cæcutiendo ambo in foveam cadant. Quid ergo, reprehendemus eos? Absit, sed geminis eos gladiis cinctos videmus, uno spirituali, altero materiali. Sed spirituali plus utendum fuerat, materiali verò minus, contra eos tamen, qui excommunicationis sententiam minus formidant. Nunc autem ad ostendendam mundanæ gloriæ potentiam plus utuntur materiali quàm spirituali, & in hoc arbitrantes se obsequium præstare Deo, sæpe minus proficiunt. Fortior enim spiritualis est materiali: quia vivus sermo Dei est, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Ecce enim Leo ille sævissimus, ad cujus rugitum contremuit terra, constrictus gladio spirituali, ad terram humiliatus est. Materiali verò exagitatus, ad iram stimulatus est, & inde majus crevit scandalum. Unde plus materialiter & in hoc certamine & in superiori est conflictum. Sed ista relinquentes ad propositum redeamus, ne temere sacerdotes reprehendere videamur. Ipsi enim in specula Domini pervigiles stare videntur, tanquam rationem reddituri de animabus subditorum.

conflagravit. a) *Auctor Addition. ad Lamb. Schafnaburg.* hoc incendium ita describit: Anno 1175. Dux Henricus Halberstatensem civitatem expugnando capit, cunctaq; ejus loci ædificia cum ipsa matrice ecclesia Christi honori ædificata, reli-

reliquisq; ecclesiis voraci flamma consumpsit. In quibus homines, qui pro loco-rum tuitione intus confugerant, plusquam (ut dicitur) octingenti, promiscui sexus & ætatis, nec non & ordinis, incendio periere.

CAPUT XXIX. (XXXIV.)

1. Udalricus captus ad Henricum L. perducitur; à quo liberaliter habetur. - - - - - 1181.
2. Dux prædantem Episcopi militem repellit, & Hornburgum exurit.
3. Episcopus paulò pòst à Duce dimittit, & moritur.

IGitur depopulata vel potius exusta civitate, sacrilegi illi tripudiantes reversi sunt Brunschwig. Dux verò cùm audisset civitatis deprædationem, & vidisset captivorum multitudinem, lætatus est. Sed cognita exustione tantarum Ecclesiarum cum multitudine clericorum, videns etiam Dominum Episcopum cygneo capite grandævum, & jam ultima ætate fathiscentem, captivum adductum, præterea reliquias beati protomartyris Stephani semiustas, & squalore incendii fuscatas, quasi ad triumphi decorem unà cum Episcopo adductas, dejecta facie ubertim lachrymas profudit, præter voluntatem suam hæc facta fuisse testans, & amarissimè deplorans. Nec tamen ad præsens captivitatem illam relaxavit, sed Dominum Episcopum Hertene-burg(a) deduci fecit, & eum honestè, sub custodia tamen, præcepit tractari. Quem religiosissima ducissa Mechthildis pietatis affectu complexa, quasi pro reverentia sacerdotalibus vestibus bonis largè induebat, & ita in omnibus necessariis ei devotissimè ministrabat, ut in tali statu nihil ei deesse videretur. Romanus verò, consanguineus ejus & concaptivus, in castro Sigeberg in custodia tenebatur. Interea homines Episcopi de Horneberg zelantes injurias Domini sui, frequentem insultum hominibus Ducis fecerunt, & discurrentes per regionem illam, circumjacentes villas incendiis vastaverunt. Unde Dux offensus exercitum illuc misit, & castro exusto, in solitudinem illud redegit. Post hæc in nativitate Domini egit diem solennem in Luneburg, & vocans Dominum Episcopum, statuit cum eo conditiones pacis. Et relaxata captivitate, cum honore eum ad sua remisit. Veniens autem Episcopus in Husenburg, infirmitate tactus, ibidem per aliquod tempus ægrotare cœpit. Crescente autem dolore corporali, temporalibus incommodis exemtus beato(b) fine diem clausit extremum.

(Margin numbers: 1 at "reversi sunt Brunschwig"; 2 at "Interea homines"; 3 at "Post hæc")

Herteneburg. a) An ab Hertha, Dea Germanorum, i. e. terra matre, quòd illa ibi culta sit? De qua *Tacitus de morib. German. Elias Schedius de DIS Germanor. c. 9. Andreas Althamer. in Tacit. p. 90. & 451.*

beato fine. b) XXX. Jul. 1182.

CAPUT

CAPUT XXX. (XXXV.)

1. Henricus L. Ludovicum Laudgravium, & Hermannum fratrem ejus in prælio capit. - - - 1181.
2. Guncelinus Comes Adolphum Holsatum coram Duce criminum quorundam reum facit.
3. Adolphus Comes de objectis criminibus se Duci purgat.
4. Dux jus suum de captivis sibi tradendis urget.
5. Adolphus se eos tradere posse negat, & à Duce deficit.
6. Dux Holsatiam ingressus, Plönam & Sigebergum occupat, præsidiis utrobiq; locatis.
7. Adolphus arcem Honroth evertit.

1 ADveniente autem Majo, Dux cum expeditione intravit Turingiam, & exussit civitatem, quæ dicitur Koniges Northausen. Cui occurrit Ludovicus(a) Comes provincialis cum multitudine magna, commissumq; est prælium inter eos, & fugati sunt Turingi, & Ludovicus captivatus est cum fratre suo Hermanno Palatino & cum militum multitudine. Exaltatus est autem Dux in die illa, & factum est gaudium, & exultatio in omni domo ejus. Et re-
2 versus est Brunschwig cum infinita turba captivorum & spoliis multis. Cumq; una dierum intraret ad eum Comes Adolfus, congratulans de victoria, & expetens ab eo licentiam revertendi in terram suam, Guncelinus Comes verbis calumniatoriis eum in conspectu Ducis alloqui cœpit. Et cùm prius amicissimus ejus fuerit, quasi tergiversando occasiones quærens adversus eum, conqueri Duci cœpit, multas sibi injurias ab eo illatas fuisse, & non solùm ab eo se in multis inquietatum, verùm omnes, qui Duci devoti fuissent, ipsi semper exosos fuisse. Insuper ipsum Dominum Ducem hanc ab eo injuriam suscepisse, ut captivos suos ei, sicut cæteri nobiles, quasi vi ablatos repræsentare nolu-
3 erit. Cui Comes Adolfus: Vestræ quidem, inquit, potestatis est, hoc mihi in conspectu Domini mei, Ducis, impingere, cùm vobis paratissimus & devotissimus in omnibus semper fuerim. Nunc autem in quibus à me læsi fueritis, coram Domino meo proponite, ut de his me, si potero, aut justè expurgem; sin autem, justè vobis coram Domino meo satisfaciam. Si quid tum Domino meo in me displicuit, sicut justum est eum de me quæ voluerit judicare, ita promptum erit, me omnem ei satisfactionem exhibere. Quia autem dicitis, illos me exosos habere, qui Domino meo fuerint devoti, voluntatem quidem vestram dicitis, cùm hoc probare non possitis. Hoc etenim certissimè de me omnibus constat, quod semper Domino meo fidelis perseveraverim, egrediens & regrediens & pergens ad imperium ejus. Si quis autem aliud de me indica-

indicavit,in præsentiarum eum coram Domino meo mendacem convincam. Veruntamen si placeret Domino meo,ut in præsentia ipsius honestius tractarer,tanto fiducialius in conspectu ejus apparerem. Dux autem quasi dissimu- 4
lans altercationes eorum,sic respondit: Adolfus satis quidem inocentias suas prætendit.Fateor autem, quòd devotus valde in omnibus nobis astitit.Sed in hoc non justè prætendere potest, quòd in proximo conflictu captivos nobis non reddidit. Nunc autem captivos, quos habet,reddat,ne alii ejus exemplo suos etiam detineant. Habebat autem tunc Comes Adolfus cum Comite de Dasle & cum aliis sociis captivos insignes septuaginta duos. Quare Adolfus 5
Comes:Domine novistis,ait, me in hac expeditione omnia mea insumsisse,equos militū runcinosq́(b)servorum innumeros perdidisse,& nunc si captivos vobis reddidero,nihil superest,nisi ut pedes domū meā revertar.Et his dictis, exivit à conspectu Ducis, & obortis lachrymis conquestus est omnibus amicis suis,quantas à Guncelino Comite verborum calumnias passus fuerit, & quòd suis cavillationibus eum Duci suspectum reddiderit. Post hæc cùm impetrata licentia abiisset cum aliis nobilibus,alienatus est ab eo,& infirmata est pars Ducis propter defectionem eorum. Dux autem ut agnovit,quia defecisset ab 6
eo,occupavit omnem terram ejus trans Albiam, & expugnavit castrum Plune, & ejectis hominibus suis,collocavit illic Marcradum præfectum Holsatorum. Castrum autem Sigeberge quia inexpugnabile erat, diutina illud obsidione expugnabat per Bernhardum,Comitem de Raceburg,quod mater Comitis,Domina Machtildis,constanter tenebat. Exiccata autem cisterna,sitierunt hi, qui in castello erant, & arebant fauces eorum propter siccitatem sitis,& necessitate compulsi, sub conditione pacis castrum dederunt. Et præfecit ei Dux Lupoldum quendam, natione Bavarum, virum prudentem & strenuum. Domina verò Mechtildis cum suis abiit Schawenburg. Porrò 7
Comes Adolfus cum suis amicis & cognatis castrum Honroth destruxit,quod è regione castri sui ultra Wiseram Conradus de Rothe(c)ædificaverat.

Ludovicus,a) Hic est Ludovicus V. sed Landgravius III.Thuringiæ & Hassiæ,cujus fratrem Hermannum Barbarossa Imperator Comitem Palatinum Saxoniæ fecit.Progressus cum Imperatore in Orientem, anno 1190. obiit. Ossa ex Syria domum deportata, in Reinhardsborn humata sunt.*Historia Anonymi de Landgrav.Thuring.c.22.24.25.28.*

runcinos,b) Malè erat editum *rivisinos.* Meliùs in *Codice MS.L. runsinos.* Et correctiùs adhuc in *MS.B.&R.runcinos.* Runcinus est equus castratus, canterius, qua significatione usurpat *Roger.de Hoved.Annal.part.post.*

Rothe.c) Lovvenrodii, sive Rhodii, Wunstorpienses & Limberienses dynastæ ejusdem fuere originis. Duravit familia usq; ad ann. 1533. *Henr. Meib. Not. ad Histor.de Henr. Leone n. 20.*

CAPUT XXXI. (XXXVI.)

1. Imperator cum exercitu in Saxoniam descendit. - - - 1181.
2. Leonis militiæ Præfecti plerique se & castella dedunt.
3. Casimirus, Pomeraniæ Dux, moritur.

1 IMperator autem audiens, quod defecissent hi à Duce, convertit faciem suam venire in Saxoniam, & timuerunt valde omnes viri bellatores, qui erant
2 in castris Ducis à facie ejus. Et eo approximante, sive ex necessitate, sive ex voluntate omnia castra ejus firmissima & seipsos in potestatem Imperatoris tradiderunt. Multi enim ministerialium Ducis, qui ab incunabulis ab eo educati fuerant, & quorum patres sine omni contradictione ipsi servierant, ut Henricus de Witha, Lupoldus de Hertesburg, Ludolfus de Peina, & plures alii recesserunt ab eo, & ad Imperium se transtulervnt. Invaluit ergo imperator, cùm obtinuisset castra firmissima, Hertesburg, Lawenburg, Blanckenburg(a), Regenstein, & convertit exercitum ad expugnandam Lichtenberg.
3 Et post paucos dies tradita est in manus illius. Circa dies illos mortuus est Cazamarus, princeps Pomeranorum, Duci amicissimus, & defecerunt ab eo Slavi: quia frater ejus Bugislaus Imperatori conjunctus, hominium & tributa ei persoluit.

(Blanckenburg. a) Hîc *MS.R.* interserit Hermenburg. *Chronicon San-Petrinum* habet Hennenberg.

CAPUT XXXII. (XXXVII.)

1. Imperator Hartesburgum prope Goslariam instaurat. 1181.
2. Idem castellum Henricus IV, olim contra Saxones erexerat.
3. Saxones Henricum aliquem contra Henricum IV. elegisse falsò narrantur; qui novus rex Hartesburgum expugnaverit.

1 IN diebus illis Imperator occupavit montem excelsum prope Goslariam,
2 qui Hartesburg dicitur, firmans illic castrum & cingens muro valido. Hunc montem olim firmissimè ædificaverat Henricus Imperator senior, contra quem Henricus filius ejus consurrexit, qui etiam expulit patrem, illatis cru-
3 deliter armis, qui etiam à Saxonibus in Welfesholtz bello fugatus est. Cumque ipsum castrum quasi jugum totius Saxoniæ fuisset, & Imperator propter nimiam superbiam suam non solùm Saxonibus, sed etiam sedi Apostolicæ & omni ferè Imperio exosus fuisset, Saxonum Principes cum Episcopis apud Goslariam colloquium celebrare statuerunt. Et ibi conspiratione facta contra Henricum Cæsarem alium contra eum regem suscitare conati sunt. Sed cùm de electione regis schisma esset inter eos, & quivis pro libitu suo illam vel aliam

aliam personam designaret, quæ idonea non esset, surrexit quidam inter eos, Conradus nomine, vir eloquens, & dixit ad eos: Ut quid discordatis, ó viri? nóne pro bono pacis convenistis? Si placet consilium meum, ego vobis virum bonum demonstrabo, dignum honore regio, virum felicem in victoriis, per quem Dominus operetur salutem in nobis. At illi omnes assensum ei præbuerunt, ut quemcunque ille designasset, hunc regem omnes salutarent. Qui assumtis secum sociis, abiit ad hospitium cujusdam honesti viri, cui nomen Henricus. Sed intrantibus illis hospitium, ipsum non invenerunt. Erat enim in horreo, aucupandi studio occupatus. Uxor autem ejus illos intrantes honestè suscepit, dicens: maritum præsentem non esse, non longè tamen positum. Cumque illi desternerent equos, & convivium hospitibus instrueretur, illa clàm misit equos marito, ut equitando domum intraret, quasi de via venisset. Illi autem intranti occurrerunt, quos ille cum salutatione honestè suscepit, præcipiens poni mensam, invitans ad epulas. Cui Conradus respondit, Non comedam, donec loquar sermones meos. Qui ait, loquere. At ille: Salutant te omnes Saxoniæ Principes, rogantes ut quantocyus ad eos Goslariam venias. At ille respondit: Quid tantilli viri indigent Principes Saxoniæ? Surrexit tamen, & venit ad eos. Quibus Conradus, qui eum adduxerat, dixit: Ecce rex vester. Confestim autem omnes unanimiter creaverunt eum sibi regem. Et ex eo quod acciderat, quia in aucupando detentus fuerat, quod tamen illi quasi de futuro augurium erat, dictus est rex avium, Teutonicè autem *VogelKonig*. Ille verò sublimatus in regem, dixit ad Principes: Quia dignati estis, me vobis suscitare regem, justum est, ut sacramentis fidem regi vestro faciatis. Cumque omnes sacramenta ei fecissent, misit legatos ad eos, qui in Hartesburg erant, præcipiens eis, ut quantocyus in præsentiam ejus venirent. Qui abeuntes dixerunt eis, quæ ex ore regis audierant. At illi indignati, virgis excoriaverunt eos, & decaluatos ad Dominum suum remiserunt. Tunc qui major inter eos fuerat, dixit ad socios: Nos quidem dehonestati sumus, sed estote viri constantes, & ignominiam nostram in gloriam convertamus. Vidi hodie nisos volantes: isti excipient confusionem nostram. Descenderant enim ad balneum adolescentes nobiles plus quàm viginti, quorum reditum præstolantes omnes eos trucidarunt, & sic ulti confusionem suam ad regem reversi sunt. Qui audiens quod factum fuerat, indignatus est valde, & cum multitudine magna obsedit castrum, & expugnavit illud, & ad terram usque dejecit. Dicunt autem quidam, quòd propter multam enormitatem de eodem perpetratam castro, & propter memoratum Henricum Imperatorem, qui usque ad finem vitæ suæ à sede Apostolica excommunicatus fuerat, sub anathemate à

DominoPapa damnatus ſit locus ille,ut nunquam inhabitetur,ſed cumBabylone in perpetua ſolitudine deputetur. Fridericus autem Imperator ipſum montem ædificare cœpit: quia etſi ille excommunicationis ſententiam meruit,ipſe tamẽ nihilominus ullam regni ſui diminutionẽ pati noluit.Rebellabant autem hi, qui in caſtro Waldenburg poſiti erant, & non valuerunt, ſed potius caſtro eorum deſtructo ipſi ad caſtrum Imperatoris migraverunt.

CAPUT XXXIII. (XXXVIII.)

1. Dux natalem Domini Luneburgi celebrat,exeunte anno 1181.
2. Bernhardum, Comitem Raceb. proditionis accuſatum Luneburgi cuſtodiæ mandat.
3. Raceburgũ ope Lubecenſium capit.
4. Bernhardus dimiſſus Gadebuſchum commigrat.
5. Illo nondum quieſcente Dux etiam Gadebuſchum caſtellum deſtruit.
6. Dux caſtella quædam munit.

1 POſt hæc in nativitate Domini cùm Dux diem ſolennem egiſſet Luneburg,
2 cœpit incuſare Comitem Bernhardum de Raceburg, qui tunc cum ipſo erat, de conſpiratione adverſum eum facta, imponens ei notam perfidiæ & traditionis, dicens ſe indubitanter à fidelibus ſuis compertum habere, imò ſi neceſſitas exegiſſet, manifeſtis eum indiciis & teſtimoniis poſſe convincere, quod cum inimicis ſuis hanc contra eum conſpirationem fecerit, ut eum unà cum uxore ſua in Raceburg quaſi ad epulas invitaret, & ſic inſidiis diſpoſitis convivantes occideret. Cumq; ad objecta nihil dignè prætenderetur,capti-
3 vavit eum Dux unà cum filio ſuo Volrado, & veniens cum exercitu Raceburg, obſedit eam, ipſum trahens ſecum. Cui occurrerunt viri Lubecenſes
4 cum navibus multis & armis & machinis,& crevit obſidio. Bernhardus autem neceſſitate compulſus, tradidit caſtrum, & ipſe cum uxore & filiis & o-
5 mnibus,quæ habebat,abiit Godebuſch. Poſtea tamen cùm adhuc Dux eum ſuſpectum haberet,quòd fidem integram ei non ſervaret, quia adhuc cum inimicis ſuis familiaritatem habebat,ſecundam in terram ſuam profectionem fecit,& deſtructo caſtro Godebuſch,ſpolia multa ibidem accepit. Ille autem
6 fugiens, ad Bernhardum Ducem ſe tranſtulit. Dux igitur ejectis omnibus, ſolus potitus eſt omni terra, & cœpit munire caſtrum Raceburg, Sigeberg, Plune, plurimum confidens præliis ſuis.

CAPUT XXXIV. (XXXIX.)

1. Imperator denuo in Saxoniam movet. - - - - - - 1182.
2. Brunſvicum & Bardevicum à tergo præſidiis firmat.
3. Dux Ludovicum, Landgravium Thuring. Luneburgo Sigebergum deducit.
4. Lubecam munit.

5. Inde

5. Inde Raceburgum progreditur.
6. Raceburgum defectione amittit.
7. Castellum Atlenburgum succendit ipse, & Stadam navigat.

PRoxima (a) autem æstate Imperator totus infusus finibus Ducis, in manu 1
validа intravit terram illius,& ejecturus eum de terra,in propria persona
Albiam transire disposuit. Timens autem, ne post eum insurgerent insidiæ, 2
Philippum Coloniensem cum aliis Principibus præcepit servare Brunschwig, Bernhardum verò Ducem & fratrem ejus Othonem, Marggrafium de Brandeburg,cum aliis Principibus Orientalibus propter Luneburgenses deposuit Bardewich. Ipse autem in comitatu habens Wichmannum Magdeburgensem & Dominum Bambergensem, Abbatem Fuldensem, Corbejensem,Hersueldensem,cum Othone Marchione de Mysna,& multo robore militum Suevorum & Bavarorum, convertit exercitum versus Albiam. Quo 3
appropinquante, Ludovicus Comes provincialis, qui prius in Luneburg custodiebatur, deductus est Sigeberg, & in arctiorem custodiam est traditus.
Dux autem eo tempore Lubeke constitutus erat, muniens civitatem, & eri- 4
gens machinas multas. Quibus dispositis, in die Apostolorum Petri & Pau- 5
li abiit Raceburg. Cumque manè inde proficisceretur,tendens ad Albiam, secuti eum sunt omnes,qui in castro erant, quasi deducentes eum cum gaudio. Videntes autem hi, qui de parte Bernhardi Comitis ibi remanserant, 6
quòd vacuum esset castrum,repentè occupaverunt illud, & capta arce, concluserunt valuas ejus,& quotquot remanserant de servis Ducis,ejecerunt foras. Dux autem audiens,quod factum fuerat, frendens animo reversus est ad castrum,& invenit contra se obstinatos animos illorum. Repentè autem misit Sigeberge ad Lupoldum,& Plune ad Marcradum,ut quantocyus venirent cum Holsatis,si fortè posset ejicere illos,quia pauci erant. Interea venit,qui 7
diceret, jam appropinquare Cæsarem, & sic imperfecto negotio abiit, amarus in indignatione animi sui,& venit Erteneburg. Et videns appropinquare castra Cæsaris, succendit ipsum castrum,& ingressus naviculam, per devexa Albiæ proficiscens,abiit Stadium.

Proxima,a) Enarrat *Pontanus rer. Dan. l.VI. anno 1180.*

CAPUT XXXV. (XL.)

1. Imperator cum sociis & Danorum Rege Lubecam obsidet. 1182.
2. Waldemarus Rex filiam septennem Imperatoris filio despondet.
3. Cives per Henricum Episcopum inducias & fidem publicam mittendis ad Ducem legatis petunt.

4. Impera-

4. Imperator hæc concedit, & de Ducis contumacia conqueritur.
5. Lubecensis per legatos Ducis voluntatem requirunt.
6. Imperator Medicum suum in urbem ad Episcopum curandum mittit.
7. Cives consensu Ducis se & urbem Imperatori permittunt.
8. Imper. illis libertatem & privilegia à Duce concessa, confirmat, & auget.
9. Comiti Adolpho mediam partem tributorum Lubecæ assignat.
10. Abbati ad D. Johannis possessionem agrorum & villarum confirmat.

1 IMperator ergo transito flumine venit Lubeke, & occurrit ei exercitus Slavorum & Holsatorum. Waldemarus quoque Rex Danorum cùm multa classe venit ad ostium Trabenæ, & obsessa est civitas terra marique. In civitate verò erant Simon, Comes de Teckenburg, & Bernhardus, Comes de Aldenburg, & æquivocus ejus Comes de Welpe, cum Marcrado præfecto Holsatorum, & Emecone de Nemore, cum quibusdam Holsatis strenuissimis &
2 multitudine infinita civium. Rex (a) verò Waldemarus cum multo comitatu veniens in præsentiam Imperatoris, cum magna jactantia gloriæ suæ ei se exhibuit, & filiam suam filio ipsius, Duci Sueviæ videlicet, desponsavit, & E-
3 piscoporum juramentis firmata sunt sacramenta conjugalia. In ipso autem tépore obsidionis Dominus Henricus Episcopus in civitate constitutus erat, quem adierunt burgenses (b) dicentes: Rogamus sanctitatem vestram reverendissime patrum, ut ad Dominum Imperatorem exeatis, & ei verbis nostris dicatis: Domine, servi vestri sumus, Imperatoriæ majestati vestræ servire parati sumus: sed quid commisimus, quòd tanta obsidione à vobis conclusi sumus? Civitatem istam hactenus ex munificentia Domini nostri Henrici Ducis possidemus, quam etiam ad honorem Dei & robur Christianitatis in loco hoc horroris & vastæ solitudinis ædificavimus, in quo, ut speramus, nunc habitatio Dei, sed prius per errorem gentilitatis sedes Sathanæ fuit. Hanc igitur in manus vestras non trademus, sed ejus libertatem viribus & armis, quantum possumus, constantissimè tuebimur. Hoc tamem rogamus apud Magnificentiam vestram, ut data conditione pacis, eamus ad Dominum nostrum, Ducem, percontatum ab eo, quid sit faciendum, qualiter vel nobis vel civitati nostræ in præsenti necessitate sit consulendum. Qui si liberationem nobis promiserit, justum est, ut civitatem ei servemus; sin autem, quod placitum est in oculis vestris, faciemus. Quod si facere nolueritis, sciatis, omnes nos pro defensione civitatis nostræ magis optare honestè mori, quàm fidei violatores inhonestè vivere. Episcopus ergo veniens ad Imperatorem, hæc diligentissimè peroravit. Monuit autem Imperatorem,

ratorem, ut memor consanguinitatis & servitii, quod sæpius ei magnificè Dux exhibuerat, patientiam haberet in nepotem suum, Ducem. Imperator verò, gaudens de adventu Domini Episcopi, quòd pro fama bonæ opinionis eum diligebat, & libenter audiebat, sic ait ad ipsum: Multum quidem gaudemus de adventu vestro, Episcoporum amantissime, & admodum gratum habemus vestro frui conspectu & colloquio. Sed quòd cives vestri arrogantiam verborum nobis offerunt, & quòd civitatem nostram ultrò nobis non aperiunt, credimus, quòd nec nobis, nec alicui, qui sanæ mentis esse dinoscitur, justum videatur. Fatemur quidem, hanc largitate nostræ munificentiæ quandoque nepotis nostri fuisse: sed ex quo ille propter suam contumaciam decreto omnium Principum publicam proscriptionem meruit, justissimè hæc nostro possidetur titulo, cùm etiam quivis Pontificum sua receperit, quæ idem stabili tenuerat beneficio. Et nunc quidem valet manus nostra eis reddere, quod meruerint. Sed quia nos censura justitiæ omnibus magis patientiam exhibere oportet, quàm vindictam, ecce in hoc etiam eis consentimus, ut sicut postulant, eant ad Dominum suum, & cum eo de statu suo conferant, unum scientes, si in redeundo civitatem nobis non apparuerint, graviorem de hac mora sentient ultionem. Quod autem dicitis, ut patientiam habeamus nepotis nostri, Ducis, sciatis, quòd mira patientia & multa clementia erga eum semper usi fuimus. Unde in superbiam elatus, gratiam quam invenerat, in vacuum recepit, imò nec ipsam Dei gratiam circa se exuberantem, ut debuit, recognovit. Quapropter sciatis eum à Deo humiliatum, quia tam præpotentis viri dejectio non nostræ virtutis est operatio, sed magis Dei omnipotentis dispensatio. Episcopus ergo reversus in civitatem, civibus, quæ audierat, nunciavit. Qui sine mora accepto conductu, abierunt Stadium, ubi erat Dux. Imperator verò considerans invalitudinem Episcopi, quia crebris incendebatur febribus, quibus etiam usque in finem laborabat, misit ad eum Physicum suum, ut potionibus suis debilitati ejus corporis subveniret. Post aliquot autem dies burgenses reversi cum Gunceli-no Comite, ex præcepto Ducis civitatem in manu ejus tradiderunt. Verùm priusquam ei civitatem aperuissent, exierunt ad eum, rogantes ut libertatem civitatis, quam à Duce prius traditam habuerant, obtinerent, & justitias, quas in privilegiis scriptis habebant, secundum jura Sosatiæ(c), & titulos, quos in pascuis, sylvis, fluviis possederant, ipsius auctoritate & munificentia possiderent. Imperator verò annuit petitioni eorum, & non solùm ista confirmavit, verùm etiam quicquid à Duce de telonio ad stipendia Canonicorum in Lubeca vel in Raceburg donatum fuerat, ratum judicavit(d). Comiti autem

autem Adolfo medietatem tributorum totius civitatis de teloniis, de molendinis, de trapezitis in beneficio dedit, tum quia multum Imperio servierat, tum quia propter ipsum ad tempus exulaverat. Et ita ingrediens civitatem, magnificè susceptus est cum hymnis & canticis Dei, tripudiante clero & omni populo. Abbas autem monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctiq; Ioannis Evangelistæ, veniens in præsentiam ipsius, suscepit de manibus ejus curtes, quas in civitate habebat, & agros quosdam in campo ejusdem civitatis, mediante Domino Henrico Episcopo, qui easdem curtes & agros denatiis suis emerat, & beatæ Dei genitrici & virgini Mariæ, sanctoq; Ioanni Evangelistæ in eodem monasterio obtulerat.

Rex. a) Qua pompa Rex in castra Imperatoris advenerit, quid item inter utrũq; actum sit, refert *Saxo Sialandicus, lib. XV.* non tamen sine sugillatione Imperatoris.

burgenses. b) Vox à nostro burg derivata. Burg enim, ut Latina vox *Castrum*, non solùm arcem munitam, sed & oppidum muris cinctum portisq; clausum significabat.

Sosatiæ. c) *Hermannus Kornerus in Chr. MS.* Arnoldum hîc, ut aliâs, exscribens, hæc verba omittit; quod indicio est, ipsum ea non satis intellexisse. Sunt qui per Sosatiam hîc Susatum (Soest) antiquum Westphaliæ oppidum, intelligant, ut *Henr. Meibom. Not. ad Witichind.* Et dubitanter *Reiner. Reinneccius* in margine hujus loci. Alii scribentium vitio Sosatia pro Holsatia scriptum censent, ut *Hermann. Conring. Comment. de origine Juris German. c. 28.* & *Petrus Lambecius Originib. Hamburg.* Quæ sententia vero propior est. Quale autem jus hîc intelligatur, locus præsens satis explicat, videlicet, non ipsum jus municipale, sed antiqua consuetudo utendi agris circa urbem, pascuis & sylvis, nec non fluviis, ut Trava, Wakenissa, & cæteris ex Holsatorum, Mechlenburgensium & Raceburgensium terris defluentibus.

judicavit. d) Hîc addit *Kornerus*, Imperatorem Lubecam caput urbium ad mare Balticum constituisse: Senatoribus aurum gestandi facultatem dedisse, eosq; omnes Consiliarios Romani Imperii fecisse. Verba ejus appono: Concessitq; eisdem civibus gratiosè, ut amplius caput essent omnium civitatum maritimarum, & quod Consulatus (Senatus) eorum aurum deferre posset, & eo uti ut milites (i.e. Nobiles, seu Equites.) Et insuper omnes in præsentiarum de consulato exeuntes, & in perpetuum futuros assumpsit de speciali gratia in consiliatores imperii. Eadem confirmat *Auctor Chronici Slavici Cap. 37.* his verbis: Fredericus I. fecit Lubecam imperialem, & quod esset caput omnium civitatum maritimarum, & quod consulares eorum aurum deferre possent, & quod omnes de consulatu essent in concilio Imperatoris in perpetuum. Adstruit etiam *Henricus Aquilonipol. de primordiis Lubecæ c. VIII.* versibus suis barbaris;

Am-

Amplius ut caput urbibus ista urbs esse marinis
Debeat, elegit præ reliquis & eam.
Aurum deferre possit Senatus eorum
Concessit Cæsar (militum ad instar) herus.

CAPUT XXXVI. (XLI.)

1. Dux Stadam munit.
2. Fide publica accepta Imperatorem, Luneburgum progressum, sequitur.
3. Landgravium, & hujus fratrem, è vinculis dimittit; sed frustra Imperatorem solicitat.
4. In conventu Quedlinburgensi propter Bernhardum æmulum, novum Saxoniæ Ducem, nihil obtinet.
5. Archiepiscopus Brem. Stadam: Bernhardus & Adolphus Comites terras suas recipiunt.
6. Dux nec in conventu Erfurtensi, qvanqvam Cæsari supplex factus, sua recuperat.
7. Retento patrimonio in exiliū abit.

IMperator verò inde regrediens, transivit Albiam, & castrametatus est juxta Luneburg ad plagam occidentalem. Dux autem, ut suprà dictum est, apud Stadium positus erat, & illuc se quasi propter loci firmitatem receperat. Quia etsi ab hostibus locus ipse caperetur, ipse tamen per aquas se evadere posse sperabat. Maximo enim vallo civitatem ipsam circumdederat, & munitiones fortissimas cum machinis ibidē construxerat. Et Guncelinus Comes, qui ipsum opus urgebat turres monasterii beatæ virginis Mariæ, quia nimis contiguæ videbantur munitioni, temerario ausu destruxit. Quod sine reatu perpetrari non potuit. Sed pro abundantiore cautela, dum talia fiunt, majorem sæpe ruinam per Dei vindictam operantur. Dux autem videns se in 2
arcto positum, rogavit Dominum Imperatorem, ut ipsius conductu veniret Luneburg, sperans se apud ipsum alio pacto misericordiam invenire. Qui cùm inter Herteneburg & Bardewich conduceretur, occurrit ei multitudo militum de castris imperatoriis, pacificè eum salutantes. Quibus resalutatis: Non consueveram, ait, in his partibus alterius conductum accipere, sed magis dare. Et ita veniens Luneburg, omnibus modis perinternuncios animum Imperatoris lenire studuit. Captivos etiam suos, Ludovicum Landgrafium & 3
Hermannum, fratrem ejus, Palatinum, de captivitate laxavit, sperans se his beneficiis gratiam aliquam mereri: sed nihil inde consecutus est. Imperator 4
tamen inde proficiscens, curiam apud Quidelingeburg ei præfixit, ut ibi inter Principes, quid de ipso fieret, justitia mediante decerneretur. Unde gavisi sunt omnes amici Ducis, sperantes aliquid boni ibi de eo ordinandum. Ubi

cùm nihil de causa ipsius tractatum fuisset, propter seditionem, quæ inter ipsum & æmulum ejus, Ducem Bernhardum, coorta est, aliam ei curiam apud
5 Erpisfordiam indixit. Tunc temporis Sifridus, Archiepiscopus Bremensis, in plenaria restitutione recepit Stadium cum omnibus aliis, quæ antea Dux quasi de Bremensi Ecclesia inbeneficiatus possidere videbatur. Sexcentas tamen marcas argenti Philippo, Coloniensi Archiepiscopo, persolvit, quem rogaverat, ut cum exercitu veniens, Stadium expugnaret. Qui cùm juxta petitionem ipsius venisset, ille per dispensationem Imperatoris, ut dictum est, castrum obtinuerat, nec minus ille pecuniam sibi promissam exigebat. Comes etiam Bernhardus & Comes Adolfus castra & provincias suas per imperato-
6 rem adepti sunt. Dux autem veniens ad curiam sibi præfixam, totum se submittens gratiæ Imperatoris, venit ad pedes ejus. Qui de terra levans, osculatus est eum, non sine lachrymis, quòd tanta inter eos controversia diu duraverit, & quòd ipse sibi tantæ dejectionis causa fuerit. Quæ tamen an veræ fuerint, ambigitur: nam videtur eum verè non fuisse miseratum: quia ad statum pristini honoris eum restituere non est conatus. Quod tamen propter jusiurandum ad præsens facere non potuit. Deniq; cùm omnes Principes ad dejectionem ipsius aspirarent, juravit eis Imperator per thronum regni sui, nunquam se eum in gradum pristinum restauraturum, nisi id fieret in bene-
7 placito omnium. Hoc tamen circa ipsum dispensatum est, ut patrimonium (a) suum, ubicunq; terrarum fuisset, sine omni contradictione liberrimè possideret. Dux verò per triennium (b) terram abjuravit, ut infra tempus id terram suam non intraret, nisi per Imperatorem revocatus. Profectusq; (c) est ad generum suum, regem Angliæ, cum uxore & liberis, & apud eum moratus est omni tempore illo. Quem rex Angliæ honestissimè suscipiens, ipsum quasi principem super omnem terram constituit, & omnes, qui secum exulabant, donis multis ampliavit.

patrimonium, a) Non ergo veritati litat *Ubbo Emmius*, cùm scribit, Leonem ab exilio reversum Brunsvicensem & Luneburgensem agrum ab Imperatore, qui eum occupaverit, dono recepisse, *lib. VII. rer. Frisic. ann. 1186.*

triennium. b) Falsò ergo scribit *Rogerius de Hoveden*, Ducem terram suam septem annos abjurasse; sed postea Imperatorem precibus Alexandri Pontificis, Philippi Regis Galliæ, Henrici Regis Angliæ, & Philippi Flandriæ Comitis exoratum quatuor annos de exilio remisisse, *part. post. Annal. p. 595.*

Profectusq;. c) Circa diem Paschatos anno 1182. Ducem iter versus Angliam ingressum esse scribit *Joh. Ruff. Chron. MS. Lub.* Primùm illum ad Henricum II. Regem in Normanniam anno 1182. venisse, deinde anno 1184. circa d. festum Jacobi in Angliam cum Rege progressum, referunt *Gervasius, scriptor Anglicanus, p. 1466.* & *Rogerius de Hoved. Annal. part. post. pag. 617.* Etiam juxta *Matthæum Parisium* Dux anno 1184. in Angliam pervenit, ibidemq; illi uxor post paucos dies apud Wintoniam Wilhelmum filium peperit.

ARNOLDI,
ABBATIS LUBECENSIS,
CHRONIC. SLAVORUM
LIBER III.
CAPUT I.

1. Propter absentiam Henrici L. multa insolenter fiunt à Principibus. - - - - - - - 1182.
2. Bernhardus Dux segnior est in gubernanda Saxonia.
3. Adolphus Comes filiam Comitis à Dassel uxorem ducit.
4. Terrâ adversarios suos ejicit.
5. Bernhardus Dux Clientes quosdam sacramento Atlenburgi obstringit.
6. Quod Adolphus non compareret, apud Ducem in suspicionem incidit.
7. Dux Atlenburgo destructo Lawenburgum condit.
8. Trajectum Albis eodem translaturus impeditur à Lubecensibus.
9. Iniquis exactionibus se suis exosum reddit.
10. Archiep. Bremensis Dithmarsiam Adolpho eripere studet.

IN diebus illis, non erat Rex in Israel, sed unusquisq; quod rectum in oculis suis videbatur, faciebat. Siquidem post exilium Ducis Henrici, qui solus in terra prævaluerat, &, sicut ab initio diximus, pacem maximam fecerat: quia non solùm finitimas, sed etiam barbaras, & extraneas regiones ita freno sui moderaminis constrinxerat, ut & omnes sine terrore quiescerent, & terra propter quietis securitatem bonis omnibus exuberaret: tyrannico more unusquisq; regnabat in loco suo, & alterutrum vim faciebant & vim patiebantur. 1
2 Deniq; Bernhardus Dux, qui principatum obtinere videbatur, segniter agebat: & cùm prius in Cometia positus strenuissimus fratrum suorum fuisset, ad Ducatū promotus, non ut verus princeps proficiebat, sed ut superpositus degenerabat, & quasi pacificum se exhibens, in omnibus tardus & distinctus (a) erat. Unde nec ab imperio juxta statū prioris est honoratus, nec à Principibus, vel terræ nobilioribus, est reputatus.
3 Circa dies illos Comes Adolfus duxit uxorem, filiam (b) Comitis Othonis de Dasle, agente Philippo, Coloniensi Archiepiscopo, cujus propinqua erat, per quem etiam multum prævalebat.
4 Cumq; obtinuisset omnem terram patris sui, ejecit omnes inimicos suos de terra, qui in diebus Henrici Ducis contra eum senserant, Marcradum videlicet præfectum Holsatorum, pro quo alium

Cyriacum nomine substituit, qui tamē virtute & honestate longè inferior fuit, & Hemeconem, virum strenuum valde, & alios plures, quorum quidam transeuntes ad regem Daciæ, peregrinati sunt apud ipsum. Alii verò apud Co-
5 mitem de Raceburg tempus exilii sui peregerunt. Dux autem Bernhardus cum fratre suo Othone Marchione veniens Erteneburg, magnificum se illic exhibuit, & nobiliores terræ adesse præcepit, ut receptis ab eo beneficiis suis
6 hominium ei facerent, & fidelitatem ei per sacramenta confirmarent. Cumq; ei se exhibuisset Comes de Racesburg & Comes de Danneberg & Comes de Luchowe & Comes de Suerin, expectabatur etiam Comes Adolfus, & non ve-
7 nit. Unde eum Dux suspectum habere cœpit, & exinde occasiones discordiæ inter eos exortæ sunt. Dux autem Bernhardus in ipso tempore cœpit ædificare Lawenburg super littus Albiæ ad Orientalem plagam Erteneburg. Et desolato hoc castro, murum quo cingebatur destruxit, & ex lapidibus ejus ca-
8 strum suum novum firmavit. Transitum etiam navium, qui ibi erat, apud Lawenburg esse præcepit. Sed viri Lubecenses coram Imperatore conquesti sunt de mutatione illa, quòd propter longiorem & difficiliorem viam, maximam haberent in transeundo difficultatem. Unde præcepit Imperator, ut
9 apud Erteneburg transirent sicut prius. Dux igitur Bernhardus nominis sui extendere volens potentiam, novis quibusdam inductionibus & inauditis ac intolerabilibus provinciales suos gravare cœpit, & derelicto consilio senum, & acquiescens consilio juvenum, minimum digitum suum grossiorem dorso patris faciens, aggravavit jugum eorum. Unde principatus ejus versus eis in
10 odium, & gloria in nihilum. Frater quoq; ejus Sifridus, Bremensis Archiepiscopus, Cometiam Thetmarchiæ Adolfo Comiti adimere conatus est, & ad fratrem Ducem transferre. Quam Adolfus viribus & armis, invito Episcopo, obtinuit, & eam sui juris esse affirmavit.

distinctus. a) *MS. B.* rectè legit *discinctus.*

filiam. b) In nomine soceri variat *Hermann. de Lerb.* qui ita: Igitur Adolphus ad ætatem legitimam perveniens, duxit uxorem Alheidim, filiam Borchardi Comitis de Dasle, & Dominæ Salomæ suæ consortis, sororis Philippi Coloniensis Archiepiscopi.

CAPUT II.

1. *Waldemaro Regi Kanutus VI. filius succedit.* - - - - *1182.*
2. *Imperator filio Waldemari filiam, ei olim desponsam, adducendam curat.*
3. *Kanutus ægrè illam tradit.*
4. *Nam propter Henricum L. inter Imperatorem & Kanutum simultates ortæ erant.*

In

IN tempore illo mortuus est Rex Danorum Waldemarus, & regnavit Canu- 1
tus filius ejus pro eo. Ad quem misit Imperator legatos honoratos; Sifri- 2
dum videlicet, Archiepiscopum Bremensem, cum aliis nobilibus pro sorore ipsius, quam pater ejus jam pridem filio ejus desponsaverat, & ut partem pecuniæ persolueret, sicut determinatum fuerat. Hæc enim pactio desponsationis fuerat inter Imperatorem & Regem Daciæ, ut quatuor millia marcarum cum filia persolueret librata pondere publico, quod Carolus Magnus instituerat, & ut in ipso tempore, quo filiam repræsentaret, partem pecuniæ, prout sibi visum fuisset, persolueret, & post sex annos desponsationis, dum nubilis ætas advenisset (qui tunc puella septennis erat) sex hebdomadibus prius pecunia tota ex integro solueretur. Hæc privilegiis utrobiq; firmata erant, ut si quid horum negligeretur, hæc pactio seu desponsatio irrita haberetur. Venerunt igitur ad Egdoram fluvium legati Imperatoris cum quadringentis equis, quibus Comes Adolfus per triduum abundantissimè ministravit. Canu- 3
tus autem Rex sororem quasi cum dedignatione eis tradebat, dicens, sororem suam nequaquam filio Imperatoris sociandam, si juramenta patris temerare voluisset. Tradidit tamen eam illis cum equitatu & vestitura mediocri, sed non juxta regalem magnificentiam, & partem quandam pecuniæ, ut di-
ctum est, persoluit. Iam enim inter Imperatorem & ipsum discordia erat, quia 4
Imperator ab ipso hominium exigebat, quod ei rex negabat: quia propter generum suum, Ducem Henricum, quem de terra ejecerat, occasionem rebellionis adversus eum, ut quidam arbitrati sunt, suscipere attentabat.

CAPUT III.

1. Henricus Episcopus adversa valetudine sacris tamen interest.
2. Moriturus de cœnobio suo, Johanni Evangelistæ dicato, solicitus est.
3. Æquo & forti animo moritur, III. Kal. Decemb. - - - 1183.
4. In cœnobio suo sepelitur.
5. Henrici patria: studia: somnium: vita monastica: in cœlum receptio, visionibus confirmata.

CIrca illos dies ægrotabat Henricus Episcopus infirmitate, qua & mortuus 1
est. Cumq; nimia corporis invaletudine laboraret, psalmodiis tamen & orationibus non minus intentus erat, & Missæ officium, quod in veneratione beatæ Dei genitricis Mariæ sine intermissione frequentabat, non nisi tribus diebus ante depositionem suam omittebat. Abstinentias etiam quasdam speciales usq; in finem servare laborabat. Cumq; vir Dei jam bonum certamen 2
certasset, cursum consummasset, fidem servasset, & jam de cętero coronam ju-

 stitiæ

ſtitię ſibi repoſitam non dubitaret, cœpit tamen de vinea Domini, quam noviter plantaverat in monaſterio beatę Dei genitricis, & S. Ioannis Evangeliſtæ, anxiari. Et quamvis jam diſſolui cuperet, & eſſe cum Chriſto, ut pius tamen paſtor paucis & adhuc tenellis ovibus luporum inſidias curabat prævidere.
3 Et dum à fratribus ſæpe viſitaretur, dicentibus: Cur nos, pater, deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? dicebat, Gratias ago Deo meo, Ieſu Chriſto, & piiſſimæ genitrici ſuæ: quia per ſpem divinæ clementiæ de morte quidem mea non contriſtor, ſed de deſolatione hujus novellæ plantationis non modicum conturbor. Ad cujus profectum in beneplacito Domini vellem adhuc ſupereſſe, & ipſam ad ejus honorem, quantum poſſem, adhuc novellam confortare. Sed intèr hæc cum Pſalmiſta cogitatum meum in Domino jactabo, qui in omnibus ſemper exaudivit me, & factus eſt mihi in ſalutem. Cumq; ſæpius iſta replicaret, & ea attentius Domino commendaret, quadam nocte poſt matutinale officium, ac ſi divinitus inſtructus, confidenter ait Abbati ſibi aſſidenti: Confide, fili, in Domino, & conſtans eſto, & de morte mea noli contriſtari: quia quod Domino placet, neceſſe eſt impleri. Hoc tamen certiſſimè ſcias, quod ad laudem nominis ſui ſervitium ſuum iſto in loco confortabit, tantùm ne dubites, ſed viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Sic confortatus in Domino, convocatis fratribus, dicebat, ſe jam reſolui: & accipiens olei ſancti unctionem, manus ipſe porrigebat, pedes extendebat, cum pſallentibus pſallebat, ſumtoque viatico Dominici corporis dixit: O rex gloriæ veni cum pace. De cujus adventu quaſi jam ſecurus adjunxit: Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Cumq; magis magisq; morti propiaret, & jam lingua palpitante in verbis deficeret, repente oculos, quos jam in morte clauſerat, aperuit, & quaſi exiliens, extenſis manibus dixit: Ecce virgo. Quod qui aderant ad beatam Dei genitricem Mariam dictum credebant, cui idem antiſtes omni devotione ſervierat. Nec dubitari poteſt, quin eũ mater miſericordiæ in ipſo mortis articulo conſolata fuerit, quem tam devotum miniſtrum ſemper habuit. Pòſt de ſtrato levatus ſuper cilicium depoſitus eſt, & ſic extremum trahens
4 halitum, III. Cal. Decembr. in pace reddidit ſpiritum. Cujus corpus in eodem monaſterio, quod idem fundaverat, terræ reconditum eſt, inuitis tamen quibusdam & contradicentibus, qui eum deferre conabantur in majori Eccleſia tumulandum. Sed Deus eum voto ſuo fruſtrari noluit. Quia cùm in eodem monaſterio ægrotaret, ibidem etiam ſepulturam deſiderans, ait: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam. Cujus animam in ſorte beatorum reputatam credimus: quia ab ipſis puerilibus annis Chriſtum

secutus est. Cùm esset circa ætatem viginti annorum jam adolescens factus, relicto studio Parisiensi, terram nativitatis suæ egreditur, Brabantiam scilicet: quia de Brusle civitate oriundus erat. Et veniens Hildesheim, quia in artibus bene profecerat, scholas ibidem regendas acceperat. Cumq; per tempus ibi stetisset, Dei nutu venit Brunschwig, & nihilominus scholarum curam suscepit regendã. Procedente autem tempore, febre tactus decubuit. In infirmitate autem positus tale vidit somnium: Videbat virum procerum valde & horrendum sese agitantem, ipse verò fugiens, venit ad fluvium latissimum: quem cùm propter timorẽ prædonis infesti anhelans transiret, venit ad monasteriũ B. Egidii: quod cùm intrasset, manus insequentis inimici evasit. Evigilans igitur, & divinæ clementiæ circa se dispositionem sentiens, mox ad monasterium B. Ægidii deducitur, & tonsuratus habitu monachali induitur, & febrium importunitate cessante, & fluctibus secularium tempestatum eripitur, & sic Monachus factus Monachi vigilavit in actus. Nec, sicut quibusdam moris est, ad terram nativitatis suæ ulterius, vel ad cognatos aut notos suos repedavit, sed cum Abraham terram suam veraciter egressus, omnia pro Christo reliquit, & summam præmii à Deo expectavit. Unde post decessum ipsius quibusdam spiritualibus personis Deus revelare dignatus est, quòd post hujus vitæ exilia ad gaudia transierit sempiterna. Nam infra octavam depositionis ejus visum fuit Abbati per somnium, quòd sepulcrum ejus aperiret, quasi in eodem monumento aliquid negligenter factum fuisset, quod mutari debuisset: Cùm ecce Episcopus levans se cœpit sedere, & cum magna gratulatione dicere: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, non delectasti inimicos meos super me, & ita ex ordine Psalmum ipsum prosecutus, Domino gratias agebat. Et veniens ad locum illum: Convertisti planctum meum in gaudium, &c. cœpit à se divoluere paniculos, quos in exequiis acceperat, & dicere: Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Et cùm consummasset psalmum: Domine, Deus meus, in æternum confitebor tibi, &c. dixit: Iam ulterius vobis non loquar: & ita terminata est visio. Quædam etiam monialis in Keuena (a) vidit in visione columbam nive candidiorẽ volare in sinum suũ. Quæ cùm nimis exhilarata fuisset, cœpit ei pastum offerre. Quæ ait: Non comedam: neq; enim columba sum, sed merceda conducta sum: dicam tibi quis sim. Illa verò timore perterrita dixit: Dic, quid mercedis accipies, ut dicas mihi, quis sis. Et illa: si, inquit, per circuitum anni ob memoriam mei dixeris Psalmum, In exitu Israel de Ægypto, &c. dicam tibi quiduis. Cumq; hoc devotissimè promisisset, dixit: Ego dicor Henricus, & fui antistes in Lubeca. Cui illa inquit: Ubi nunc est conversatio vestra? Qui ait, Inter choros angelorum.

Talibus

Talibus indiciis ſperandum eſt, eum conſortium beatorum meruiſſe. Sed ne aliquibus abſurdum videatur, quòd ſomniorum argumentis iſta probamus, ad auctoritatem ſancti Evangelii eos mittimus, ubi frequenter legitur, angelos in ſomnis apparuiſſe Ioſeph, & illa vel illa de puero Ieſu & matre ejus ei dixiſſe. Præterea in ſacra ſcriptura multa ſomnia recitantur, ut ſancti Danielis & ſancti Ioſeph, quæ fidelia inveniuntur tam pro veritate ſcriptorum, quàm pro auctoritate eorum, de quibus ſcripta leguntur, qui ſua teſtimonia ſanctitate & meritis confirmarunt. Quod ſi auctori hujus operis minus credi poteſt, quàm illis, ajo quia verè poteſt. Ipſe enim cum Apoſtolo teſtimonium fidelitatis in hac parte ſibi perhibet: Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

Keuena, a) Eſt monaſterium Epiſcopatus Bremenſis.

CAPUT IIII.

1. *Bernhardus Dux Adolpho, Bernhardo & Guncelino Comitibus quædam auferre ſtudet.*
2. *Hi ideo junctis armis Lawenburgum evertunt.*
3. *Dux eos apud Imperatorem accuſat.*
4. *Ipſi caſtellum Ilow in Mechlenburgica ditione diruunt.*
5. *Boruinus tunc Roſtochium & Mechlenburgum tenebat.*
6. *Niclotus, Wertislai filius, & Jarimarus, Rugianus, terras Boruini infeſtabant.*
7. *Bugislaus, Pomeranorum Dux, juvat partes Boruini.*
8. *Jarimarus Boruinum captum in Daniam mittit.*
9. *Bugislaus Niclotum captum in vincula conjicit.*
10. *Obſidibus datis dimiſſi ſunt.*
11. *Boruinus Ilow & Mechlenburgum caſtella retinet.*

1 DUx autem Bernhardus ut minus ſapienter agebat, ideo minus proſperè procedebat. Nam, ut ſuprà dictum eſt, cùm quibusdam novitatibus provinciales gravaret, contra Comitem Adolſum & Bernhardum de Raceburg & Guncelinum de Suerin quædam ineptè molitus eſt. Adolfo ſiquidem Comiti omnem terram, quæ Ratekowe attinere dicitur, quam Dux Henricus prius habuerat, & Todeslo civitatem adimere conatus eſt. Civitatem quoque Lubeke ſibi uſurpare volebat. Imperator verò civitatem propter utilitatem tributorum, vel quia in fine Imperii ſita eſt, ſibi retinuit: pro qua tamen Duci Bernhardo Hideſacker & viginti manſos valde bonos conſignavit. Quia verò Adolfus medietatem tributorum de civitate Lubeke ex beneficio Imperatoris

toris habebat, propterea eum magis Dux Bernhardus impetebat. Comiti
verò de Raceburg & Comiti Guncelino deSuerin partem quandam benefici-
orum ſuorum minuere tentabat. Unde commoti, conglobati in unum, urbem 2
ipſius Lawenburg expugnare aggreſſi ſunt. Cumq; adverſus eam ordinaſſent
obſidionem, & machinas feciſſent, poſt paucos dies eam ad ſolum diruerunt.
Dux verò ut vir manſuetus eis talionem reddere non valens, Imperatorem a- 3
diit, & hoc in præſentia ejus conqueſtus eſt. Illi autem cupientes excutere ju-
gum ejus de cervicibus ſuis, quos ei amicos eſſe ſciebant, de terra fugare co-
nati ſunt. Unde congregato exercitu clàm terram Slavorum intrantes, occul- 4
to quodam aditu noctu occupaverunt caſtrum Ilowe, & clanculum illud in-
trantes, matrem Nicloti, qui Wertislai filius fuerat, inde ejecerunt, cæteriſq;
captivatis, ſuccenderunt ipſum caſtrum, & depopulata terra omni reverſi ſũt
ad loca ſua cum ſpoliis multis. Boruinus verò filius Pribislai, qui filiam Henri- 5
ci Ducis habebat, Mechthildam(a)dictam, obtinuit caſtra Roſtock & Meke-
lenburg. Niclotus autem fugiens, ad Ducem Bernhardum ſe contulit, quem 6
frater ejus Otho Marggravius in caſtro Havelberg collocavit. Unde frequen-
ter eruptiones faciens, terramSlavorum inſtanter vaſtabat. Quem adjuvabat
Germarus, princeps Rugianorum, Bugislaus verò Pomeranorum princeps 7
firmabat partem Boruini. Et ita conſanguinei illi inteſtina inter ſe prælia mi-
ſcebant. Prævalebat tamen pars Nicloti, eo quòd Germarus, vir ſtrenuus, ter-
ram Circipanorum, quæ Tribuſes contigua erat, plurimum vaſtaret. Cumq; 8
quodam tempore Boruinus, qui & Henricus, terram illius piratis vaſtaret,
captivatus eſt à Germaro, qui conjecit eum in vincula, mittens eum Canuto,
regi Danorum, apud quem diu in cuſtodia ſervabatur. E converſo Niclotus, 9
qui & Nicolaus, cùm in terra Bugislai prædas exerceret, captivatus eſt ab eo,
& conjectus in vincula. Sed cùm diu in cuſtodia ſervarentur, tandem ſoluti 10
ſunt ea conditione, ut à rege Danorum terram ſuam ſuſciperent, & obſides,
quos habere voluiſſet, darent. Dederunt ergo obſides 24. Inter quos Borui-
nus filium ſuum dedit, & receſſit à caſtro Roſtock, tradens illud nepoti. Ipſe
verò Ilowe & Meckelenburg in poſſeſſionem ſortitus eſt, rege ſic diſponente,
qui jam terram Slavorum ſibi ſubjicere cogitabat, & adjicere regno ſuo.

Mechthildam, a) Hæc Mechtildis, Borvini conjunx, Leonis filia fuit. *Albert. Stad. ad ann. 1164.* Borvinum *noſter* Pribislai; *Albertus Stad.* ipſum Wertislai filium facit. Genealogia hæc eſt



CAPUT V.

1. Dani consuetudine & usu cum Germanis civiliores: halecum captura in Scania locupletiores facti.
2. Bellandi item peritiores: doctiores & religiosiores facti sunt.
3. Eskillus, Antistes, multas ædes sacras religioni exercendæ dicavit.
4. Absolon, successor, propagandæ religionis studiosissimus.
5. Kanutus Rex semper vitæ sanctitatem sectatus fuit.
6. Bellum in Slavos meditatur.

1 SIquidem Dani usum Teutonicorum imitantes, quem ex longa cohabitatione eorum didicerunt, & vestitura & armatura se cæteris nationibus coaptant: & cùm olim formã nautarum in vestitu habuissent propter navium consuetudinẽ, quia maritima inhabitant, nunc non solùm scarlatico vario grisio, sed etiam purpura & bysso induuntur. Omnibus enim divitiis abundant, propter piscationem, quæ quotannis in Sconia exercetur: ad quam omnium circumquaq; nationum negotiatores properantes, aurum & argentum & cætera quæq; preciosa illuc deferunt, & comparatis halecibus eorum, quæ illi gratis ex divina habent largitate, quasi pro vili quodam commercio sua optima, nonnunquam etiam seipsos, naufragando relinquunt.
2 Repleta est etiam terra eorũ equis optimis propter pascua terræ uberrima. Unde propter equorum copiam in militari palæstra se exercitantes, equestri pugna simul & navali gloriantur. Scientia quoq; liberali non parum profecerunt: quia nobiliores terræ filios suos non solùm ad clerum promovendum, verùm etiam secularibus rebus instituendos Parisios mittunt. Ubi litteratura simul & idiomate linguæ terræ illius imbuti, nõ solùm in artibus, sed etiam in Theologia multum invaluerunt. Siquidem propter naturalem linguæ celeritatem non solùm in argumentis Dialecticis subtiles inveniuntur, sed etiam in nego-
3 tiis Ecclesiasticis tractandis boni decretistæ sive legistæ comprobantur. Præterea religionis vigor apud eos multum florere dinoscitur, eo quòd Æschylus (a) Lundensis Archiepiscopus, vir summæ pietatis, quiq; etiam relicto Episcopatu, quietã cupiens ducere vitam, ad Clarevallense monasterium se contulit, ubi

tulit, ubi sanctè & justè vivendo vitam in pace finivit, loca multa ex omni ordine spiritualium, tam virorum quàm mulierum, in partibus illis construxerit. Quæ quasi cedrus Libani multiplicata, non solùm Daniam, sed ut vineam Domini Zebaoth extensis palmitibus usq; ad mare, imo ultra mare etiam Slaviam repleverunt. Dominus quoq; Absolon, qui loco regiminis ei successit, 4
zelo justitiæ accensus, & armatura Dei procinctus, in promovenda religione nequaquam segnior fuit. Qui cùm à Domino multis virtutum polleret donis, specialiter tamen thesauro bonæ conscientiæ, decore videlicet castitatis, vernabat. Unde velut lucerna ardens & lucens æmulatione sua provocavit plurimos juxta illud: Videte quemadmodum non solùm mihi laboravi, sed omnibus quærentibus veritatem. Hic quoq; cum Apostolo subditos suos æmulans Dei æmulatione, dum eos ad custodiam castitatis arguendo, obsecrando, increpando informaret, multas & graves contradictiones à quibusdam pertulit. Nec mirum. Carnalis enim mens dum consuetudine peccandi ligata fuerit, aut vix aut nunquam jugum diaboli à se removere potest, sed cum asina foris stat in bivio ligata ad opera communia, ut quoties ei onus imponere voluerit, sine contradictione ferat illud. Quia quascunq; sordidas cogitationes immundi spiritus ei suggesserint, tanto delectabilius suscipit, quanto nequius inferuntur. Et ideo cùm à rectore corripitur, intelligere non potest: quia spiritualiter examinatur. Inde fit, quòd tales stimulo recalcitrantes contra Prælatos ova aspidum congerunt, dum conspiratione facta seditiones commovent, & justam magistri admonitionem oppressionem nominant, & inde calumniam in se queruntur. Unde correptionis verba contra se justa proferunt. De ordine quoq; conjugali multi in sua vocatione religiosi inventi sunt hospitalitatem sectantes, eleemosynis vacantes, fidem conjugii servantes, orationi intenti & cætera justitiæ opera implentes. Quid de rege dixerimus: 5
qui adhuc in juvenilibus annis in omni actu suo ita grandævum se exhibuit, ac si de ipsius gravitate pariter illud sapientiæ dictum sit: Senectus venerabilis est, non diuturna, neq; numero annorum computata. Siquidem ut assolet talis ætas, non ludis in spectaculis se ingerebat, non discursibus aut vagationibus studebat, nec lubricitati deditus, conjuge cum casta vivebat castior ipse. Inter missarum quoq; solennia non, ut quibusdam moris est, susurrationibus aut placitationibus intendebat, sed codices psalmorum aut aliarum orationum habens præ oculis, orationi devotus incumbebat. Et quia sapientiæ adhæsit, quæ dicit: Per me reges regnant: ideo Deus regnum illius firmat, ut cùm tempore avorum suorum in regno Danico triarchæ vel etiam tetrarchæ fuerint, ipse solus monarchiam regeret, quam tamen pater ejus multo labore

 & pru-

6 & prudentia obtinuerat. Canutus ergo multam pacem habens in regno suo, animadvertit quod Slavi in diebus patrum suorum multas calamitates terræ suæ intulissent. Videns etiam eos auxilio Henrici Ducis destitutos, qui freno dominii sui maxillas eorum constrinxerat, suscepta adversus eos occasione, bello eos aggressus est. Contra quos tamen consilio usus Absolonis Archiepiscopi prudentia magis quàm viribus prævalebat.

Æschylus. a) Gravem simultatem inter Regem Waldemarum I. & Eskillum ortam, iter illius Hierosolymitanum & reditum, aliasq; ejus res descripsit *Saxo lib. XIV.* Concessit tandem in cœnobium Clarevallense; de quo ita *Saxo*: Eodem tempore Eskillus domesticis supra vires negotiis fatigatus, dum quieti intentiùs consulit, proficiscendi licentia á Rege difficulter extorta, nobile Galliarum cœnobium, quod Claravallis nuncupatur, petivit, ibiq; privati more tranquillam vitam degens, asperum patriæ convictum voluntariæ peregrinationis lenitate mutavit, jocundiorem rerum usum apud exteros, quàm inter cives habiturus. Adde *Cypræum l.I.c.26.* Extat *D. Bernhardi* amicissima ad Eskillum hunc Epistola, numeró CCCXIV. in qua illum consolatur de rebus adversis. Epistolæ hæc inscriptio addita: Ad dominum, ac venerabilem Eskillum Lundensem Archiepiscopum, sedis apostolicæ in Dacia & Suecia legatum, cujus corpus gloriosum in Claravalle requiescit juxta matrem ejusdem divi Bernardi.

CAPUT VI.

1. *Canonici Lubecenses ab Imperatore Episcopum petunt.*
2. *Conradus II. auctoritate Imperatoris Episcopus constituitur.* 1183.
3. *Singularis ejus in munere sacro obeundo dexteritas.*
4. *Consecrationem sui prudenter distulit.*
5. *Cum Adolpho Comite lis ipsi orta.*
6. *Convasatis rebus discedit, & Episcopatu se abdicat.*

1 INterea autem vacabat sedes Lubecensis: quia Imperator in longinquo positus erat. Quem adierunt Canonici Lubecenses, submittentes se dispensationi ipsius, rogantes ut per ejus ordinationem Episcopum habere possent. Qui designavit virum quendam religiosum, Alexium dictum, Præpositum in Hildeburgerach, qui de ordine Præmonstratensium erat. Sed illi unanimiter
2 contradixerunt, & de ordine suo aliquem sibi præferri flatigabant. Qui communicato consilio familiarium, dedit eis Conradum (a) capellanum suum, virum litteratum valde & facundum, & in causis tractandis acerrimum Oratorem. Sanè Imperator audierat, vel etiam perspexerat, statum Ecclesiæ Lubecensis (quia quasi de novo suscitatus fuerat) adhuc tenerum, & ideo in multis neglectum

neglectum esse. Quare virum hunc sapientem mittere eo decrevit, ut non solùm per eum illa proficeret Ecclesia, verùm etiam sua per eum in partibus illis firmarentur negotia. Accepta igitur Pontificali vestitura apud Egere, castrum Imperatoris, Dominus electus veniens in parochiam suam, decenter 3
statumEcclesiæ suæ ordinare cœpit, informans clerum ad religionis honestatem, adhortans eos castos, sobrios & sine murmuratione hospitales esse, cæterisque studere virtutibus, quibus & Deo & hominibus complacerent: laicos verò, qui magis austeritatem quàm doctrinam mirantur, tanta prudentia moderabatur, ut eum supra omnes, qui ante eum fuerant, revererentur. Non permittebat aliquem clericorum de alieno Episcopatu in sua diœcesi, parochiam tenere, dicens, neminem posse duobus Dominis servire. Et quemlibet parochianum semper paratum ad visitationes & unctiones infirmorum & ad cætera spiritualis curæ officia, & in cœna Domini ad pœnitentes introducendos, & chrismatis consecrationem, Pontifici suo assistere affirmabat. Super hoc etiam auctoritate Apostolici utebatur. Quia dum cum Imperatore Veronam venisset, detulit litteras Lucii Papæ super eodem negotio, admodum præcipiens, ut si quis clericorum de alieno Episcopatu in sua diœcesi Ecclesiam tenere voluisset, aut stationem in ea faceret, aut à beneficio cessaret. Necdum tamen consecrationem pontificalem susceperat, quam tamen non 4
sine causa differebat. Fortè statumEcclesiæ, quam regere cœperat, prius explorare volebat, & vires suas prætentare, si onus impositum ferre potuisset, & versare diu, quid ferre retractent quid valeant humeri: ut si Ecclesia per eum proficere potuisset, subire laborem non recusaret; sin autem, humiliter cessaret. Erat siquidem multis Ecclesiasticis beneficiis ditatus in parochiis, & præbendarum stipendiis, quibus abrenunciare timebat, nisi melioris status commutatione. Orta est autem dissensio inter Episcopum & Comitem Adolfum. 5
Dicebat enim Dominus electus, homines suos in multis ab eo injustè gravari, quædam etiam prædia episcopalia violenter occupari, & justitias suas, quas in civitate sua Utine de advocatia consequi debebat, sibi frequenter per suos impediri. Et quia his reniti propter Comitis magnanimitatem non poterat, patienter ista, non tamen sine amaritudine, videbatur dissimulare. Cumque 6
hoc Imperatori insinuasset, & nec sic in sua causa profecisset, cœpit à cœpto proposito lentescere, & animo paulatim ad sua remigare. Et ita dispositis rebus suis abiit ad Sifridum, Archiepiscopum Bremensem. Quicquid mobilium habere poterat in argento vel supellectile, aut equis optimis, quos etiam quibusdam vi extorserat (quia aliquantulum cupidus erat) secum deferebat. Et resignans ei curam, quam ab ipso acceperat, rescripsit clero suo, se ulterius non

non reversurum, absoluens eos ab obœdientia sibi ab eis facta. Sicq; inconsultis omnibus discessit, seu propter causas suprà dictas, seu pro aliis latentibus, vel quia majora aspirare videbatur.

Conradum. a) In familia hujus Conradi annotanda non conveniunt. Nonnullis est Nobilis heros à Rabenspurgk, ut *Caspаro Bruschio*: aliis à Reinstein, ut *Idem* narrat: quibusdam etiam Dynasta à Quernfurt, ut *Cyr. Spangenbergio.* Varia illius fortuna fuit. Cùm egregiis doctrinæ ornamentis & præsidiis instructus esset, atq; singulari facundia polleret, Friderici I. Capellanus, i. e. Cancellarius, sive intimus Consiliarius factus est. Inde illum Cancellarium Imperatoris vocat *Albert. Krummendyck Chron. Episcopor. Lub.* MS. Vide & *supra lib. I. c. 79. n. 2.* Imperator diu fideli viri operâ in Imperii & aulæ negociis expediendis usus, ut tot annorum ministeria digno redhostimento remuneraretur, ipsum, Henrico mortuo, Episcopum Lubecensem anno 1183. fecit; quod hîc *Auctor* narrat.

Vir magnanimus & ambitiosus Episcopatu Lubecensi non contentus, & præterea controversia cum Adolpho Comite ortâ irritatus hoc Episcopatu paulò pòst se abdicavit. Non tamen eodem anno vitâ decessit, uti falsò narrat *Hermannus Bonnus Chron. Lubecensi*; sed ad Imperatorem se denuo contulit, atq; apud eum iterum Cancellarii munere aliquandiu functus est.

Sunt, qui scribant, illum anno 1189. Imperatorem in Syriam secutum, & cùm iste in amne periisset, Friderico ejus filio fidum fuisse Achatem, curam exercitus cum illo suscepisse, copias in terram sanctam duxisse, atq; diu ibi cum Friderico rem sustinuisse, uti *Krantz. Metrop. l. VII. c. 9. Bruschius Episcop. Hildesheim. XXVI.* imò etiam cum Friderico domum rediisse, atq; in reducendo exercitu fidelem operam præstitisse, ut addit *Cyriacus Spangenberg. Chr. Quernfurt. l. III. c. 3.* At, quod pace tantorum virorum dixerim, videntur hanc Friderici expeditionem confundere cum ea, quæ postea auspiciis Henrici VI. suscepta. Nam huic posteriori Conradus interfuit, imò nomine Imperatoris præfuit, uti infra *Arnoldus* narrat. Primùm enim, si Barbarossam secutus esset, non illius nomen reticuisset *Tageno*, qui interfuit, & nomina Principum atq; Episcoporum diligenter adnotavit: deinde, si interfuisset, ipse, qui primariam personam in aula Imperatoris sustinebat, post excessū Friderici junioris copias ductasset. Id verò à nemine istorum, qui tunc scripsere, commemoratur. Quin potius à *Godefrido Monacho* ad ann. 1190. proditum est, post Friderici ducis mortem, Henricum quendam per quatuor septimanas, ac deinde per sex Gerhardum aliquem exercitui præfuisse. Sed & in eo fallitur *Spangenbergius*, quòd Conradum cum Friderico Duce reversum scribit, cum Dux in obsidione Acconis urbis extinctus sit. Accedit deniq;, quod Godefridum, Episcopum Wûrtzburgensem, inprimis hanc expeditionem rexisse *Arnoldus* scripserit, de Conrado autem, nihil talit prodiderit, *lib. III. c. 34. n. 5.*

Conradus porrò defuncto Bernone Episco-

piscopus Hildesheymensis electus est. Unde se Electum Hildesheymensem vocat in inscriptione literarum ex Apulia scriptarum, *Arnold. l. IV. c. 19.* Postea circa annum 1196. in Apulia se ad Henrici VI. copias in Orientem ducendas præparabat, indeq; cum exercitu anno 1197. in Syriam navigabat, *lib. V. cap. 2. n. 6. 7.* In itinere autem Amalricum, Cypri Regem, nomine Romani Imperatoris, coronabat, *Ibid. n. 8.* & *c. V. n. 6.*

Ex Oriente redux, cùm Episcopatum Würtzburgensem vacare intelligeret, & opimiorem, & magnificentiorem, quòd Præsules VVürtzburgenses iidem etiam Duces Franciæ Orientalis essent, nondum sua sorte contentus, etiam hunc affectavit, eundemq; liberalitate Henrici VI. anno 1198. priore deserto, consecutus est.

Quod autem hoc sine consensu Innocentii III. Pontificis faceret, ille hominis inconstantiam cum pari conjunctam animi arrogantia castigaturus, utrumq; Episcopatum illi ademit. Extat *Innocentij III. Decretalis de Translat. episc. c. 3.* qua ei aditum ad VVürtzburgensem, & reditum ad Hildesheymensem ecclesiam intercludit, ut nec illis præsideret, quos per superbiam spreverat, nec illis, quos per avaritiam concupiverat: Canonicis autem Würtzburgensibus illa vice potestatem Episcopum eligendi abstulit. Item alia ejusdē *Innocentij* ad Capitulum Herbipolense, quâ cōqueritur, Imperialis aulæ Cancellarium licentia Papali non solùm non obtentâ, sed etiam nec petita aut postulata, ecclesia Hildesem. relictâ, Herbipolensem occupavisse, *De major. & obedient. cap. 5.* Cum post Henrici VI. mortem Philippus, frater illius, & Otto, Henrici Leonis filius, de Imperio inter se contenderent, Conradus Philippi partes juvabat, juxta *Abbat. Ursperg. p. 321.*

Tandem Conradus Würtzburgi in via publica III. Iduum Decemb. anno 1203. occisus est, uti *noster infra* narrat, *l. VII. c. 2. n. 3.* à Bodone & Henrico, nobilibus de Rabensspurgk, & per horum servos Heroldum & Conradum, *Joann. Tri-them. de orig. Francor. Paul. Lang. Chron. Citizensi.* Percussorum alter *Bruschio* Potho à Reinstein, alter Henricus gentis Canum â Falckenburg, appellatur, *Episcop. Herbip. XXXVI. Spangenbergius* quidem autumat, hunc Conradum, qui anno 1203. occisus sit, alium esse ab illo Conrado, qui interdicto Pontificis Episcopatu VVürtzburgensi motus sit, adeoq; hos duos temerè à *Bruschio* confundi, *Chron. Quernf. lib. III. c. 3.* Sed eundem esse, & *Bruschio* injuriam ab illo fieri, liquidò constat ex *Arnoldo nostro infra lib. VII. c. 2. n. 3.* Quanquam enim & *Krantzius* narrat, nostrum illum Lubecensem in tumultu (non ex insidiis) occisum esse, tamen in eo cum *Arnoldo* convenit, quòd sub occisi vestibus cilicium inventum sit.

CAPUT VII.

1. Dani aliquot annos prædas ex Slavia agunt.

2. Bugislaus in Jarimarum, Ducem Rugianorum, Regis Daniæ socium, movet. *1183.*

3. Bugislaus & Slavi à Jarimaro & Danis vincuntur.

4. Slavi

4. Slavi Wolgasto tradito fiunt Danorum tributarij.
5. Imperator Fridericus graviter hac re offenditur.
6. Adolphus & ejus socij, operâ Imperatoris cum Bernhardo Duce in gratiam redeunt.

1 CAnutus verò Rex Danorum incessanter vastabat terram Slavorum. Illi autem rebellare parantes, occupaverunt vadum, quod Dani transire debuerant, firmantes ex utraq; parte castella, de quibus piratas eorum jaculando obruerent. Catenis etiam ferreis semitam claudere tentabant. Sed nihil tali molimine proficiebant. Deniq; venientes Dani in manu excelsa munitiones fregerunt, & infusi finibus eorum, sicut locustæ universam faciem terræ repleverunt. Slavi verò impetum eorum ferre non valentes, in castris suis se receperunt. Illi verò abusi provinciis eorum, comedentes medullam terræ, reversi sunt ad loca sua. Sicq; per aliquot annos ascendentes tempore sementis & messis, depasti terram eorum, famis importunitate sine gladii occisione
2 ad deditionem eos coegerunt. Quodam igitur tempore Bugislaus (a) princeps sive Rex Pomeranorum propinquum suum Germarum, principem Rugianorum impetebat, talionem ei rependere volens, eo quòd idem Germarus regi Danorum in subactione Slavorum promtulè assisteret: quia ex quo Chri-
3 stianitatem susceperat, sub ipsius ditione consistebat. Ascendit ergo ad eum cum sexcentis piratis, sine dubio credens se omnem terram illius consumturum, quemadmodum ignis consumit ligna sylvarum. Ille autem occurrens, licet non ex æquo, subitò eum in fugam vertit. Siquidem Dani non longè insidias tetenderant, quos Slavi de suis esse credentes, nil suspicati remigabant ad eos. Illi autem insultum in eos facientes cum Rugianis eos insequuntur, & alios quidem ex eis occiderunt, alios comprehenderunt, quosdam in mare præcipitaverunt. Slavi videntes se circumventos, in perturbatione consilium non habentes (quia periit fuga) ab eis credentes se natando evadere, in aquis suffocati sunt. Alii verò littus apprehendentes, relictis navibus, per sylvas & nemora errantes, in locis palustribus fame & siti perierunt. Reddidit quoq; eis Dominus in die illa, ut quia multos Danorum per aquas in captivitate traxerant, ipsi quoq; in captivitatem & exterminium raperentur, sicq; Danorum servituti fierent obnoxii, qui eorum libertati semper fuerant insidiati. Germarus autem cæteris omissis Bugislaum insequitur. Ille verò sibi consulens celeri fuga elabitur. Et ille post tergum clamavit dicens: Quid est, ô princeps Bugislae? nonne nigrum & horridum illum Germarum ligare te jactitabas? expecta ut servum abducas, quem consortem habere nolebas. At ille fugiens salvatus

salvatus est. Sicq; humiliatæ sunt vires Slavorum, & servierunt Danis sub 4
tributo, tradito castro Wollgast in manu Regis cum obsidibus duodecim.
Hæc autem non sine indignatione Imperatoris facta sunt, qui se dicebat du- 5
pliciter à Canuto rege injuriatum, & quòd ab eo coronari noluerit, & quòd
Slavos Imperio subditos suo dominio per tributum & hominium subdiderit.
Discordantes etiam à Duce Bernhardo, Adolfum Comitem, Bernhardum & 6
Guncelinum, propter causas suprà dictas, ad concordiam reformavit, ea conditione, ut Adolfus Comes septingentas marcas denariorum ei persolueret, & gratiam ejus pro castro destructo inveniret, & terram, quæ Ratecowe attinet cum civitate Todeslo, quam Bernhardus Dux requirebat, liberè obtineret. Bernhardus verò Comes trecentas marcas persolueret, & totidem Guncelinus. Omnes tamen castrum destructum reædificare studerent.

Bugislaus: a) Ab Imperatore illum incitatum scribit *Saxo Gramm. l. XVI.* Adde *Joh. Isac. Pontan. l. VI. ann. 1185. Cypræum l. I. c. 28.*

CAPUT VIII.

1. Manuel Comnenus, Imperator Constantinopol. moritur. 1180.
2. Andronicus, illius ex fratre nepos, regnum invadit.
3. Viduam, & filium Manuelis Imperio destinatum, è medio tollit. 1183.
4. Pueri occisi sponsam ducit.
5. Propinquum suum cœnobio includit.
6. Uxorem repudiat.
7. Isaacium Angelum etiam ad cædem è cœnobio evocat.
8. Hic cum sociis impetu in eum facto, ipsum interimit, prid. Id. Sept. 1185.
9. Isaacius Angelus fit Imperator.

TUnc(a) temporis mortuus est nobiliss. ille Manoe, Rex Græcorum, qui fi- 1
lium licet puerum pro se regnaturum reliquerat, cui etiam adhuc vivens
filiam regis Francorum desponsaverat. Facta est autem perturbatio mirabilis 2
in civitate Constantinopoli, & in omni regno illo: quia percusso pastore, turbantur oves, & lupi rapaces, qui earum quieti in abscondito insidiantur, per furta & mactationes & rapinas injustas manifestantur. Erat enim ibi quidam inveteratus dierum malorum, Andronicus dictus, filius fratris regis defuncti. Qui regnandi libidine illectus, tutorem se pueri regis affirmans, cœpit regnare, quasi pro ipso causam acturus, & regnum nepoti fideliter conservaturus.
Cumq; tali occasione invaluisset, cœpit seditiones concitare, & maximam per- 3
secutionem & cædem in eos, qui in parte regis esse videbantur, facere. Et cùm omnes, qui in sua parte stabant, exaltasset, illos verò aut humiliasset aut neci dedisset, fecit occultè reginam matrem regis deduci, & in mare demergi. Sic omnes, quos in regno sibi adversarios timebat, aut vita privabat, aut mutila-

 bat,

bat,aut exilio damnabat. Habebat enim quendam auricularium, ſpecie quidem Monachum,ſed in veritate Diabolum,qui ad hominum perditionem ſub ſpecie religionis in angelum lucis ſe transformaverat. Ex cujus pendens conſilio, omnes, quos ille ei ſuſpectos fecerat, ipſe ſtatim exterminio tradebat. Cumq; una dierum puer de matre quereretur, ille reſpondit: De matris abſentia ne ſis ſolicitus, ſalva enim eſt, & in tuto loco conſiſtit. Et cùm per dies ſingulos puer moleſtus eſſet ei matrem requirendo,ille reſpondit: Mater quidem tua ſalva eſt,ſed ne diutius de ejus abſentia triſteris, ad eam quantocyus
4 ibis.Et juſſit occultè puerum deduci & ſicuti matrem necari.Quo facto,ſpon-
5 ſam(b)ejus duxit uxorē,repudiatis duabus,quas antea legitimè duxerat. Poſt hæc dixit ad auricularium ſuum: Quid tibi videtur?num remanſit aliquis, qui inſidietur honori meo? Eſt adhuc,ait, unus de cognatis tuis, quem ſuſpectum habeo.Sed quia illum propter nimiam conſanguinitatem vita privare non potes,reclude eum in clauſtro Monachorū,ut vel ſic ceſſet tibi vel regno tuo ma-
6 lignari. Quod cùm factum fuiſſet,adjecit: Num bene ſunt omnia? Et ille: Bene quidē ſunt omnia,ſed de ſponſa tua non bene ſentio:ipſa enim videtur contra te amaritudines habere propter prioris ſponſi memoriā. Sed hæc in confeſſione audiēda eſt,ut ſic occulta cordis ejus manifeſta fiant.Tu verò ipſe,ſimulato vultu ſacerdotis,vicem ſacerdotis arripies.His ergo auditis, dixit ad eam: Uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ: video in te amaritudinis eſſe, ſed vade & confitere peccata tua,ut ſic à pravitate cordis tui mundata æquanimiter poſſis videre faciem meam. Illa autem abeunte,prævenit ſenex,ſumtoq; ſacerdotis habitu,dixit ad eam: filia confitere peccata tua, & ne abſcondas à me ſermonem.Vicem enim Chriſti teneo: & quia ipſe novit omnia,nihil abſcondas in tua conſcientia.Illa verò ſimpliciter de venialibus confitente,utpote juvencula,quæ criminalia non noverat,ille ſubjunxit: Num ſincerè regē maritum tuum diligis?Et illa: Diligo quidem regem ut Dominum & maritum meum,tamen ſi filio regis,qui mortuus eſt, nupſiſſem, magis diligerem: quia ipſi deſponſata fueram. Nunc autem quia ſic oportet fieri, iſtum fideliter diligo,& fidem ei conjugalem integram cuſtodio. His auditis, ille indignans ſurrexit & abiit.Quid plura?Illa ſic repudiata,ſimiliter eam cum aliis in extermi-
7 nium miſit.Poſt hæc cùm completa fuiſſet iniquitas illius,& juſto judicio Deus malitiæ ejus finem imponere voluiſſet,ſenex rurſus conſuluit collateralem ſuum,dicens: Num adhuc ſperandum eſt, quòd ſublatis æmulis ſecurus ſuper thronum regni mei nullo turbante ſedere valeam?Cui ille reſpondit:Securus quidem vivere potes, ſed de monacho illo cognato tuo ſolicitudinē quamvis parvam habeo: qui ſi extinctus fuerit, de cætero ſine timore quieſces. Ad

hæc ille

hæc ille misso nuncio, eum accersiri jussit. Ille audito nuncio expavit, & venire distulit. Statimq; mittens, convocat amicos & notos, & eis legationem regis exposuit: seq; indubitanter ad mortem vocari sciens, rogavit eos, ut latenter sumtis armis secum ad palatium pergerent. Qui constanter accincti armis & animis ibant cum eo. Veniens autem ad primam custodiam, statim ipsum janitorem interfecit, & idem ad secundam & tertiam fecit. Sicq; cum strepitu ingressus aulam, dixit regi: Ecce assum: vocasti enim me. Erat autem rex cum paucis in cubiculo: quia terrente eum conscientia de multis sceleribus, nusquam audebat tutò consistere. Cui ille: Vocavi quidem, sed vade, revertare, quia inordinatè intrasti. Non revertar, ait sed scio, quia post necem multorum etiam quæris animam meam, ideoq; aut ego tuam auferam, aut tu meam. Et irruit in eum. Ille autem fugam iniit, & ita per quendam occultum meatum evasit, & venit ad castellum cujusdam principis, quem idem pro causa injusta effossis oculis cæcaverat. Dixitq; ad eum: En inimici quærunt animam meam, rogo ut facias mecum misericordiam, & præsidio mihi fias. At ille respondit: Quamvis injustam in me exercueritis potentiam, probabo tamen, si potero, salvare animam vestram. Et recepit eum in castrum. Ille verò cùm cognovisset, quòd illic esset, insecutus est eum in manu valida. Porrò cum auditum fuisset, quod rex fugeret, insecutus est eum omnis populus, senes cum junioribus (quia odibilis erat omnibus) & vi tollentes eum de castro, reduxerunt in civitatem, & tractum per plateas omnigenis contumeliis affecerunt, & sine omni miseratione animam ejus excusserunt, feceruntq; ei, sicut malè egerat contra proximos suos. Et vindicatus est sanguis innoxius in die illa. Porrò regnum ad æmulum ejus translatum est Emanuel nomine, & prosperatum est in manibus ejus: quia in benedictione justorum civitas, & in perditione impiorum erit laudatio.

8 9

Tunc. a) Complectitur Auctor hoc capite historiam fere quinq; annorum; ab initio videlicet regni Alexii, pueri, usq; ad inaugurationem Isaaci Angeli. Sed quæ ille succinctè hîc de rebus Constantinopoli gestis narravit, ea pleniùs & rectiùs *Nicetas Choniates*, qui ipse rebus istis gerendis interfuit, tribus integris libris, uno de Alexio, puero, duobus de Andronico, exposuit. Nonnulla etiam de iis, quæ noster hîc attulit, ipse præteriit. Ex tribus igitur istis libris breviter hîc ordinem & seriem rerum gestarum ad intelligendum Arnoldum excerpemus.

Manueli, qui annos XXXIIX. tribus mensibus demtis, imperio præfuit, Alexius filius, puer duodecim annorum, anno CH. 1180. succedit. Propter pueritiam ipsius principes aulæ pessima quæq; moliebantur. Alii Imperatricis amore flagrabant: alii ærariũ & provincias depeculabantur: alii ad imperii cupiditates omnia referebant.

bant. *Nic. libro de Alexio Manuel. filio, c. 1.* Alexius Comnenus, Protosebastus, Manuelis defuncti patruelis, pueri Regis matrem sibi conciliabat. Andronicus, qui & ipse Manuelis patruelis erat, Oenæi auditâ Imperatoris morte, domum redire cogitabat. Hic Andronicus fugerat primùm ad Sultanum Toparcham: deinde impetrata à Manuele venia redierat, & Oenæum ablegatus erat, ut ibi se ex longinquis erroribus recrearet. Andronicus occasionem regni invadendi quærit: Protosebastum literis apud Regem & alios nonnullos accusat; procerum & populi favorem consequitur, idq; eò faciliùs, quò insolentiùs Protosebastus se gerebat. *c. 2. & 3.*

Interim Maria, Regis pueri soror, germana, sed non uterina, Andronicum ad imperium invadendum per literas hortatur: novercæ & Protosebasto quibus potest modis adversatur, & alios ex cognatione Manuelis in Protosebastum concitat. Cumq; aliquando percussores in ipsum subornasset, & illi deprehensi essent, ad templum confugit, atq; ex eo se defendit. Oritur in urbe seditio contra Protosebastum & Reginam. Sed eam seditionem Protosebastus VII. Maji armis compescit. Theodosius Patriarcha partes bellantes prorsus reconciliat, & turbas componit. *c. 4. 5. 6.* Andronicus interim Heracleam usq; progressus animos omnium sibi conciliat: Protosebastus itidem operâ Reginæ & pecuniâ magnos viros ad suas partes trahit. *c. 9.*

Cùm Andronicus paulatim urbi appropinquaret, legatis ex aula ad se missis respondebat, si velint, ut veniat, Protosebastum inprimis pellendum esse: Regis matrem in monasterium abdendum, & Regi ex testamento paterno imperium committendum. *c. 10.* Protosebastus interim comprehenditur, & asservatur ab illis, qui Andronici partes fovebant. Aliquot diebus elapsis ad Andronicum adducitur, atq; illius jussu excæcatur, *cap. 11.* Andronicus triremi conscensa in urbem trajicit; Rempublicam statim suo arbitratu administrat: suos, & suæ factionis homines dignitatibus ornat; bonos omnes, & vel levissima de causa suspectos excæcat aut aliis pessimis exemplis excruciat, imò & in ipsos assentatores suos sæpe atrociter sævit: Mariam, cujus instinctu redierat, & ejus maritũ, veneno tollit, *c. 13. 14.* Tum subdolo consilio auctor quidem est Alexii coronandi, sed summam rerum administrandarum in se transfert: fortes viros, qui in necem ejus conspiraverunt, conjuratione proditâ, excæcat: Xenam, Regis matrem, falsis criminibus mortis damnatam in carcerem abducendam curat. Paulò pòst illa, ubi Rex chartæ, in qua feralis sententia consignata erat, subscribere coactus fuisset, misera suffocatur, atq; in litore arenâ obruitur. *c. 16. 17.* Septembri mense Andronicus ab adulatoribus Imperator proclamatur: Alexius ipse ei adulari, atq; in regni societatem ipsum recipere cogitur. Postridie cùm in magna ecclesia Imperatores proclamarentur, Andronici nomen priore loco pronunciatum est. Andronicus templum ingressus, coronationis ceremoniis peractis, cùm ad sacra mysteria percipienda accederet, atq; ad calicem prehendendum manus extenderet, jurabat, se non alio consilio imperium accepisse, nisi ut Alexium Imperatorem juvaret. Sed paucos post dies Alexium per senatum suum, scelerum ministrum, capitis damnat. Tres viri, quibus id negocii datum, noctu eum adorti, nervo arcus strangulant. Andronicus cadaveris latus pede tundit; Caput à cervice revulsum in Catabaten abijcitur; reliquum corpus

corpus arcæ plumbeæ involutum, in mare demergitur, *c.18.*

Ita Alexius puer anno ætatis nondum XV. imperii tertio, exacto, rebus humanis exemtus est; quod tamen suo arbitratu non gessit, à matre principiò, deinde à duobus tyrannis republica administrata. Andronicus statim Annam, Alexii sponsam, Regis Francorum filiam, matrimonio sibi jungit, & Pontifices eum jurejurando, quod Manueli & filio ejus dederat, solvunt. *Lib. I. de Andronico, c. 1.* Plerisq; civitatibus se ei dedentibus Nicæa ejus minas contemnebat. Ad hanc igitur expugnandam multas copias adhibet. Confugerat eò inter cæteros & Isaacius Angelus, qui post ipsum imperavit. Hujus matrem Euphrosynam, Constantinopoli evocatam; machinis atq; arietibus, quibus mœnia quatiebat, imponit. Post occupatam urbem Isaacium Angelum servat, & Byzantium mittit, atq; ita suum percussorem & imperii eversorem fovet. *c.2.3.*

Andronicus intelligens se propter immanes suas cædes atq; alia enormia scelera Deo & hominibus invisum esse, magos de successore percontatur. Dæmon obscurè per initiales literas Isaacium Angelum designat. At Andronicus hunc, quem in aula secum adhuc retinebat, ut mollem & ignavum contemnit; *l. II. de Andron. cap.9.* Tum Stephanus, unus ex præcipuis Andronici adulatoribus, Isaacii ædes ingreditur, ac illum se sequi jubet. Hic jam ad cædem se vocari intelligens, conscenso equo & metu in audaciam converso isti Stephano ense caput in duas partes findit, & statim ad magnum templum confugit. Eò promiscua turba ad illum confluit: ipse illam ad seditionem concitat. *c.10.* Andronicus tum urbe aberat; sed altero die manè triremi regia ad magnum palatium pervehitur, seditionem tamen comprimere frustra studet. Nam concitatissima illa multitudo interim Isaacium Imperatorem proclamat, & coronat. Cùm Andronicus alia ratione non posset tumultuantem compescere populum, armis decernere statuit. Sed & id frustra tentatum, omnibus eum jam deserentibus. Itaq; eadem nave conscensa cum duabus mulierculis, Anna, quam sublato Alexio duxerat, & Maraptica meretricula celeritur navigat, ad Tauroscythas profecturus *cap.11.* Isaacius satellites mittit, qui eum comprehendant. Hos evasisset, nisi mare decumanis fluctibus insurgens fugam ejus præpedivisset. Comprehensus ergo atq; ad Isaacium vinctus perductus est. Tum verò à furente plebe atrocissimis cruciatibus occisus est. Nam nullum contumeliæ genus in ipso exagitando atq; excarnificando omissum est. Regnavit annos duos: unum verò rerum potius est sine regio diademate. *c.12.13.*

In hac narratione Nicetas primùm omittit illud, quod Andronicus cognatuum suum, Isaacium Angelum carceri incluserit, & postea ad cædem evocarit. imò contrarium asserit, videlicet, quod ipsum in aula foverit. Nec de dimissa Anna quicquam commemorat; quin potius affirmat, ab omnibus desertum hanc solam cum meretricula fugæ comitem habuisse.

sponsam. b) Hæc erat Ludovici, Galliæ Regis, filia, Agnes dicta, quam ex Ala, con-

juge sua tertia cum Philippo filio, successore in regno, susceperat. Hanc octennem Emanuel, Græcorum Rex, filio suo Alexio, tredecim annorum puero, anno 1180. desponderat; quo anno & ipse Emanuel & Ludovicus in fata concessere. Eandem Græcorum Proceres Constantinopolin per legatos adductam in aula educere volebant, donec & filius Emanuelis, & ipsa ad annos pubertatis pervenissent. *Wilh. Tyr. l. XXII. c. 4. Gulielm. Neubrig. l. III. c. 4.*

CAPUT IX.

1. Fridericus Imperator Comitia Moguntiæ habet. 1184.
2. Incredibilis illic hominum multitudo confluit.
3. Commeatus magna copia congeritur.
4. Reges & Duces dapiferorum & Marschalcorum munia obeunt.
5. Abbas Fuldensis cum Episcopo Coloniensi de loco contendit.
6. Imperator inclinat ad partes Abbatis.
7. Coloniensis & ejus amici ideo discedere è consessu parant.
8. Imperator, & filius Henricus Coloniensem retinent.
9. Coloniensis Imperatori merita sua commemorat.
10. Controversia componitur.
11. Henricus Rex cum regina coronatur.
12. Auctor insolentiam & luxum Ecclesiasticorum & Monachorum perstringit.
13. Domus lignea, ruri substructa, corruens, XV. homines opprimit.

1 IN tempore illo Fridericus Imperator edixit curiam famosissimam & celeberrimam apud Moguntiam, quæ celebrata est in Pentecoste, anno verbi incarnationis M.C.LXXXII. (a) imperii aut regni sui año XXXVI. ut filium suum Henricum regem, militem declararet, & gladium (b) militiæ super femur
2 ejus potentissimum accingeret. Venit igitur illuc omnis dignitas potestatis & principatus, sublimitas Archiepiscoporum & Episcoporum, gloria regum, jucunditas principum & multitudo nobilium, Imperatori certatim placere vo-
3 lentium. Quid de abundantia, imò de superefluentia victualium dixerim, quæ illic de omnibus terris congesta erat: quę sicut erat inæstimabilis, ita cuilibet linguarum manet inedicibilis. Illic copia vini, quæ per descensum similiter per ascensum Rheni advecta fuerat, sicut in convivio Assueri, sine mensura pro uniuscujusq; possibilitate vel voluntate hauriebatur. Ut autem nimium, &, ut dictum, inedicibilem apparatum attendas, unum de minimis referam, ut exinde majora perpendas. Fuerunt ibidem erectæ duæ magnæ domus & spaciosæ intrinsecus, undiq; perticatæ, quæ à sumo usq; deorsum ita gallis

gallis sive gallinis repletæ fuerãt, ut nullus eas suspectus penetrare potuerit, non sine admiratione multorum, qui tot gallinas in omnibus finibus illis vix esse credebant. Officium dapiferi seu pincernæ Camerarii seu Marschalci, 4
non nisi reges vel Duces aut Marchiones administrabant. Erat autem prope civitatem inter Rhenum & Mogum quædam magna planicies. Illic Imperator propter civitatis angustiam, & aeris gratiam, Ecclesiam maximam & palatium de lignis honestissimè fieri jusserat, & alia habitacula diversa & innumera, ut ibi tantæ solennitatis jucunditas honestissimè celebraretur. Cumq; 5
in sancto die Pẽtecostes, jam instante processionis hora, Imperator Ecclesiam intrasset, & coram eo sederent summi Pontifices & principum conventus, surrexit Dominus Abbas (c) Fuldensis, & sic ei locutus est: Rogamus serenitatem vestram, Domine, ut hæc audiatis. Ad hæc Imperator, Audio. Et ille, Domine, diu est, quòd Dominus Coloniensis, qui assidet, Fuldensem (d) Ecclesiam sive cœnobium, quod gratia Dei & vestra munificentia regimus, quodam jure suo privat. Cui Imperator: Assignate, quod dicitis. Et ille: Fuldensis, ait, Ecclesia hanc habet prærogativam ab antiquis Imperatoribus traditam, ut quotiescunq; Moguntiæ generalis curia celebratur, Dominus Archiepiscopus hujus sedis à dextris sit Imperatoris, Abbas Fuldensis sinistram ejus teneat. Et quia diu Dominus Coloniensis nos in hac parte supplantat, rogamus, ut vestro interventu hodie locum nobis debitum sibi non usurpet. Et dixit Imperator Ar- 6
chiepiscopo: Audistis, quid dixerit Abbas. Secundum petitionem ipsius rogamus, ut hodie jucunditatem nostram non turbetis, & locum, quem sui juris esse affirmat ei non negetis. Ad hæc verba surgens Archiepiscopus, dixit: Do- 7
mine, ut serenitati vestrę placet, fiat, Dominus Abbas locum, quem desiderat, teneat, ego autem salva gratia vestra ad hospitium meum vadam. Cumq; jam abire pararet, surrexit de latere Imperatoris frater ejus Palatinus de Rheno, & dixit: Domine, homo sum Coloniensis, justum est ut eum sequar, quocunq; ierit. Deinde surgens Comes de Assowe (e), dixit: Et ego in gratiam vestram sequar Dominum meum Archiepiscopum. Similiter & Dux Brabantiæ & alii multi viri potentes dixerunt. Respondẽs autem Ludovicus, Comes provincialis, qui fuit homo Abbatis, dixit Comiti de Assowe: Bene hodie beneficium vestrum meruistis. Cui ille: Et merui & merebor, si hodie necessitas exigeret.
Abeunte igitur Archiepiscopo, Rex adolescens videns seditionem acerrimam 8
fieri, exiliens de sede sua suspensus in collum ejus dixit: Rogo te, patrum amantissime, ut maneas, ne gaudium nostrum in luctum convertas. Ipse etiam Imperator rogat eum subsistere, dicens: In simplicitate cordis nostri, quod di-
ctum

ctum eſt, diximus, & vos in perturbatione animi abire vultis. Nolite malum
9 hoc facere, & quietem noſtram in ſeditionem acerrimam concitare. Cui ille: Non credebam, inquit, quòd tantam injuriam in conſpectu principum mihi inferre velletis. Ecce in ſervitio veſtro conſenui, & certamen, quod vobis certavi, teſtantur cani capitis mei in periculo vitæ meæ. Et quod majus eſt, proh dolor, animæ meæ tribulationes & anguſtias multas tranſivi, nec aliquando pro honore Imperii mihi vel rebus meis peperci. In Longobardia devotionem meam vidiſtis, apud Alexandriam nihilominus felicitatem animi mei ſenſiſtis, & quæ in Saxonia non ſemel fecerim, ſed ſæpius, animadvertiſtis. Et cùm in omnibus his ſecundus nulli fuerim, miror cur hodie Abbatem iſtum mihi præferre volueritis, de cujus præſumptione vos ipſum ſuſpectum habeo, quia niſi voluntatem veſtram in mea humiliatione ſenſiſſet, nunquam adverſum me calcaneum ſuum levaſſet. Nunc ergo, ſi placet, ponantur ſedes ſolito, & ſi ſedem meam dejecerit, ſine contradictione ſimilis ſit altiſſimo. Siquidem Colonienſis arrogantiam Abbatis præſenſerat, & cum quatuor millibus &
10 ſexaginta quatuor viris armatis ad curiam venerat. Tunc ſurrexit Imperator, & dixit: Innocentiam quidem noſtram ſuper hac impoſitione verbis prætendimus: ſed ſi adhuc diffiditis, juramento nos in præſenti expurgare non dubitetis. Et extendit manum quaſi jam ſuper reliquias poſiturus. Ad hæc verba requievit ſpiritus Archiepiſcopi, & dixit: Sufficit, quia verba veſtra pro juramento mihi ſunt. Sed tamen hi, qui cauſa hujus perturbationis fuerunt, non facilè ab hac ſuſpicione purgabuntur. Imperator autem dixit Abbati: Oportet vos ab hac juſtitia veſtra, quam exigitis, temperare, & locum
11 Archiepiſcopo ſuperiorem dare. Sedata itaq; controverſia, coronatur Imperator, & cum Imperatrice & filio coronato proceſſit. Abbas verò non ſine rubore locum inferiorem tenuit.

12 Væ tibi ſuperbia, quæ in cœlis quidem nata, ſed cum genitore tuo Diabolo ad inferiora barathri es demerſa, & quanto fuit tibi altior gradus, tanto factus eſt inferior caſus. Tu quidem de ſtirpe peſſima pullulaſti, & infectis parentibus primis per invidiam Diaboli in orbem terrarum introjiſti. Tu autem Diabole in lateribus Aquilonis ſedem tibi parabas: ſed credo, quia non ſedem materialem affectaſti, ſed per hoc à caritate Dei diſcedens, & in frigore malitiæ perdurans thronum tuum ſuper filios ſuperbiæ erexiſti: qui ſublimes habent oculos, qui non cum Apoſtolo quæ ſurſum ſunt, ſapiunt, ſed quæ ſuper terram, quorum Deus venter eſt, & in pravitate cordis ſui machinantur malum. Sed quid tibi cum ſpiritualibus? quid tibi cum his, qui religionem profeſſi in diverſis gradibus Eccleſiaſticis conſiſtunt, & miniſtri Domini nuncupantur, vel

tur, vel etiam cum his, qui sacerdotio funguntur, qui omni sanctitate & justitia Domino servire videntur? Væ væ præsumptioni tuæ, qui multos eorum in perditionem misisti. Nec mirum: quia contra altissimum prævalere non potuisti, contra ejus membra acrius exarsisti, dum de cœlo velut fulgur cecidisti. Propterea Deus destruet te, in finem evellet te, & eliminabit te de tabernaculo suorum electorum & radicem tuam de terra viventium. Parumne tibi videtur, quòd hoc feceris? quin etiam gregem Monachorum invadere præsumseris? dum eos ambitiosè vivere cogis, qui jugum Christi suave, & onus ejus leve ferre detrectantes, jugum tuum gratanter suscipiunt, comessationibus & ebrietatibus servientes, in superbia vitæ ambulantes, concupiscentia carnis & oculorum seipsos ante Deum semper polluentes. Væ tibi Leviathan, qui fluvium absorbes, & non miraris, & adhuc fiduciam habes, quod influat Iordanes in os tuum, Iordanes inquam non solùm baptizatorum, sed etiam religiosorum, monachorum videlicet, qui pro Christo reliquisse videntur omnia, sed pro his vitam æternam possessuri, dum tuis pestiferis suasionibus assentiuntur, retrò aspicientes simul perdunt omnia. Habitus enim religionis, quem præferunt, pro quo etiam ab hominibus honores recipiunt, eos sancto plenariè conformare non permittit, sed dum secularia meditantes, carnalia sapientes vani in cogitationibus suis ante Deum efficiuntur, & præsens seculum, quod appetunt, perdunt, & futurum, quod quærere videntur, non inveniunt. Quos Leviathan iste tanto avidius appetit, quanto eos videt per professionem religionis à se elongatos, & Deo per speciem unitos. Ipse enim sicut oculos protoplastorum per concupiscentiam aperuit, sic etiam magis desiderabilia concupiscit: quia esca ejus esca electa spiritualium, proh dolor, vita, quæ nonnunquam ab innocentia inchoat, sed plerunque, dum perficere debuit, ad lubricitatem descendit, quæ illi tanto sapit suavius, quantum per condimentum bonæ actionis redolet spiritualius. O quàm dura sunt, viri, quæ dico: quia dum alienam vitam non dijudicando sed condolendo discutio, meipsum reprehendens, pœnitentiam non ago, non metuens illud Apostoli: Ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Quid ergo, taceam an loquar? Conscientia quidem tacere suadet, sed caritas, quæ verbum Dei alligatum tenere non potest, loqui suadet. Loquar ergo, ut dum reprehendo aliena, erubescam propria? Quid enim olim erat vita Monachorum? nisi puritas innocentiæ, semita justitiæ, vivendi forma, via paradisi. Hæc enim est angelorum socia, Apostolorum assecla, martyrum lætitia, confessorum gloria, virginum corona. Hanc præcursor Domini Ioannes, primus eremiticam vitam ducens, docuit, Christus in deserto jejunans confirmavit, chorus eremitarum signis & virtu-

tibus extulit,& cœnobitarum innumera multitudo toto orbe terrarum dilatavit. Hanc ut cognoverunt principes, glorificaverunt, eamq; super aurum & topazion diligentes, patrimonia latissima conferendo, copiosissimè dilataverunt. Crevit autem possessio, & evanuit religio. Siquidem ex temporalium abundantia dùm cœperunt carnaliter vivere, cœperunt etiam carnaliter sapere. Refrixit caritas,subintravit mundialitas. Nec fuit locus religioni,ubi patebat introitus elationi. Nec stare potuit humilitas, quam fugat dominalitas.Et cœperunt concupiscere aliena,quibus nec licebat tenere propria. Sicq; factum est, ut sola remanserit religionis forma, cùm ex toto ab eis perierit justitiæ norma. O Monache, qui vanum servas nomen religionis, & vias sectaris superstitionis! Regulam profiteris: sed quasi conscientia illam discutiendo legis,cùm omnia in contrarium facis. Illa ascendit per gradus humilitatis, sed tu descendis per gradus elationis. Illa te utiliter vult occupari aut opere manuum,aut oratione,aut in lectione divina; tu verò otium sectaris,ad curiositatem converteris. Illa te per obœdientiam præcipuè docet salvari; tu verò contradictionibus plenus es. Et de obœdientia quidem caritatis nihil tibi constat, cùm obœdientia voluntatis aut necessitatis te impellat. Illa in rebus duris & contrariis sibimet ex caritate obœdit, juxta illud: Non veni voluntatem facere meam, sed ejus qui misit me; hæc autem si ad voluntatem aliqua præcepta fuerint,suscipit jubentis imperium: sin autem, minimè obœdit, nisi per necessitatis stimulum. Es ergo auditor legis non factor. In quo ergo habes fiduciam? legem non servas, sed quasi de solo habitu & tonsura judaizas. Unde vereor,ne,quod facis, magis ex hypocrisi quàm ex veritate facias. Vis enim Monachus videri,religiosus prædicari,nec times irritare Deum, qui solus judicat iustum & impium. Non attendis ei in Evangelio dicenti: Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et iterum: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Et temetipsum quidem abnegaveras, sed contra Christum sequeris temetipsum. Hominem abnegaveras, & hominem sequeris, qui vinctum trahit captivatum te lege peccati. Sed jam convertere ad Christum,& dic ei: Exurge Domine, non prævaleat homo. Ultimum locum elegisti,ipsum humiliter teneas,ut veniens,qui te inuitavit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, non in convivio Imperatoris terreni, sed cœlestis: quia omnis, qui se exaltat,humiliabitur,& qui se humiliat,exaltabitur.

13 Cùm autem per aliquot dies maximo tripudio curia illa celebraretur, uno dierum venit turbo vehemens,& subitò dejecit structuram illam ligneam, & attriti sunt in ea quindecim homines, sive ex incuria artificum ruina illa sit, sive se-

ve secundum conjecturationem quorundam majorem casum portenderit: quia non longo tempore pòst Imperatrix mortua est. Sicq; soluta curia, Ludovicus provincialis timens indignationem Philippi Archiepiscopi, secutus est eum in Coloniam, nec prius ab eo discessit, donec sedata commotione illa gratiam ipsius invenisset.

---

clɔ C LXXXII. a) Anno CH. 1184. Comitia hæc acta esse scribunt *Otto de S. Blasio, cap. 26. Chronicon Monast. S. Udalrici. Additiones ad Lambert. Schafnab. Albertus Stadens. Krantz. Sax. l. VI. c. 46. Carol. Sigon. de regno Ital. l. XV.* Atq; is verus annus est. In numero ergo Arnoldi mendum inest: quod facile in cifris scribendis committi potest. Apparet idem ex initio capitis seq. ubi scribit auctor, anno sequenti, i. e. 1185. Imperatorem in Italiam profectum esse. Sic correxit & *Baron. ad ann. 1185. n. 4. & Krantz. Metr. l. VI. c. 46. in fine & 47.* Accedit, quòd in fine hujus capitis *n. 13.* Auctor asserat, paulò post Comitia Augustam mortuum esse. Id cùm Anno 1185. factum sit, teste Alberto Stadensi, Comitia hæc non anno 1182. sed 1184. celebrata esse oportet.

gladium. b) De ritu hoc *Guntherus in Ligurino l. VI.*

A summo petiere viro (nec tarda voluntas
Adfuit) ut princeps puerum præsentibus illis
Accingi gladio Fridericum ritè juberet.

Mos procul dubio ab antiquis illis Germanis, de quibus *Tacitus:* Nihil neq; publicæ neq; privatæ rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaq; juvenem ornant, *De mor. Ger. cap. 13.* Morem hunc observatum à Geysa, Hungariæ Rege, bellum Austriæ inferente, commemorat *Otto Frising. l. I. de Frid. I. c. 32.* his verbis: Altera die Rex in prædicto campo ad quandum ligneam ecclesiam accedit, ibiq; ab episcopis (nam eo usq; in puerilibus annis positus, nondum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta, armis accingitur. Plura exempla adducit *Franciscus Mennenius in Delic. Equestr. p. 48.* Adde *Joh. Jacob. Draconem de Orig. & Jure Patric. lib. III. cap. 4. n. 56.*

Abbas. c) Ergone solenne hoc fuit Abbatibus Fuldensibus, in solennioribus Imperii conventibus, & sacris ejusmodi dare tragœdias? Nam & in Comitiis, quæ Henricus III. Moguntiæ habebat, Abbatis Fuldensis ambitio cruentam illam inter cubicularios ipsius; & Archiepiscopi Moguntini satellites in æde sacra excitavit pugnam, ut pavimentum sanguine inundaret. Post quam sopitam cùm chorus cecinisset: Hunc diem fecisti gloriosum, dæmon respondebat: hunc diem ego feci bellicosum. *Willielmus Malmesburiens. de gest. Angl. l. II. c. 12.* Scilicet opes immensæ in Monachos collatæ fecere, ut illi conditionis suæ obliti, immodico fastu & luxu replerentur. Nam ita ibidem *ille:* Fuldense cœnobium est in Saxonia,

sancti Galli corpore insigne, & prædiis ditatum permagnificis. Ejus loci Abbas sexaginta millia bellatorum Imperatori præbet in hostem, habetq; ex antiquo privilegium, ut in præcellentibus festivitatibus ad dextram ejus consideat. Et Goslariæ, cum ibi Henricus IV. Imperator natalem Domini ageret, consimilis planè altercatio inter Hecelonem, Episcopum Hildesheimensem, & Wideradum, Albatem Fuldensem, anno 1063. summo cum ordinis sacri dedecore coorta est. Consuetudo erat (inquit *Lambertus Schaffnaburg.*) in regno per multos retrò majores observata, ut semper in conventu Episcoporum Abbas Fuldensis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Sed Episcopus causabatur, neminem sibi intra diœcesin suam post archiepiscopum debere præferri. Dedit autem eadem dissensio majores turbas ibidem in proximis sacris Pentecostes, cùm in templo, præsente Imperatore, tam cruenta laniena coorta est, ut rivi sanguinum per templum fluxerint.

Fuld. d.) Cœnobium Fuldense anno Iↄ CCXLIV. fundatum est. *Annal. Francor. Fuldens.* Abbas verò, qui has turbas anno 1184. excitavit, fuit Conradus II. Nam is IV. Non Jul. anno 1177. electus, & anno 1192. mortuus est. Vide Abbates Fuldenses *Johannis Gualterij n. XL.*

Assovve. e) Comitem de Nassovv vocat *Krantz. Sax. l. VI. c. 46.*

CAPUT X.

1. *Imperator in Italiam processit. 1185.*
2. *Intercedit apud Lucium Papam pro illis, qui tempore schismatis ordines sacros acceperant.*
3. *Papa primùm annuit: postero die negat.*
4. *Imperator & Papa frustra de Marchionatu Mathildis disceptant.*
5. *Volcmarus & Rudolphus de Episcopatu Trevirensi coram Imperatore & Papa contendunt.*
6. *Papa Rudolphum denuo Romam vocat.*
7. *Hic iterum re infecta discedit.*
8. *Henricus VI. Confluentiæ Canonicos persequitur, quòd ipsi Volcmari partes sequerentur.*
9. *Imperator minatur Pontifici.*
10. *A Papa non obtinet, ut Henricum VI. insignibus Augustalibus ornet.*

1 SEquenti anno (a) Imperator abiit in Italiam pro disponendis negotiis reipub. Et occurrit ei Dominus Papa Lucius apud Veronam pro quibusdã cau-
2 sis determinandis inter ipsos. Cumq; honestissimè susceptus esset à Veronensibus & à clericis, qui illuc convenerant de diversis partibus terrarũ, qui tempore Alexandri Papæ à Schismaticis ordines susceperant, cœpit Imperator omni instantia intercedere pro ipsis ad Dominum Apostolicum, ut clementer cir-

circa ipsos dispensaret. Qui primò huic petitioni se benevolum exhibuit, & eò 3
usq; annuerat, ut omnes petitiones suas scriberent, ut secundum casum singulorum dispensaretur circa ipsos. Et ecce altera die Dominus Papa mutat animum & propositum, dicens: Quoniam generali concilio, quod Venetiis celebratum est, ubi ipso Imperatore præsente dispensatum fuerat, circa Dominum Christianum Moguntinum, & Dominum Philippum Coloniensem, & Dominum Mantuanum & alios plures, qui cum ordinatis suis persisterent, hi ab ordinibus suis suspensi fuissent, nulla ratione mutandum id affirmabat, nisi denuò in Cardinalium & Episcoporum generali collegio. Promisitq; Apostolicus, apud Lugdunum super eodem negotio se concilium habiturum. De qua mutatione Dominus Conradus Moguntinus & Dominus Wormaciensis suspecti habiti sunt. Hi autem, quibus spes deofficiis recuperandis data fuerat, contristati sunt valde. Et cùm prius in susceptione Imperatoris jucundissimè decantassent: Advenisti desiderabilis: in luctum conversi cantabant: Sustinuimus pacem, & non venit, domine quæsivimus bona & ecce turbas, &c. Quod tamen Cardinalibus valde displicuit, dicentibus: Ecce quanta est præsumtio Alemannorum, qui gratiam minando quærunt. Hoc taliter infecto negotio, tractabant inter se Dominus 4
Papa & Imperator de patrimonio Dominæ Mechthildis (b), matronæ nobilissimæ, quod Imperator in possessione habebat, dicens ab eadem Imperio collatum. Et e converso Dominus Papa sedi Apostolicæ ab ea datum affirmabat. Cumq; in argumentum probandi testamenti ex utraq; parte privilegia porrigerentur, nullo fine causa terminata est. Aliud etiam habebant negotium, 5
quod maximum & præcipuum erat de electione Trevirensi. Siquidem metropolis Trevirensis vacabat, in qua duo electi erant Volcmarus & Rhudolfus. Volcmarus quidem prior à saniore parte electus est. Rhudolfus verò posterior à parte infirmiori. Cumq; schisma inter eos esset, Volcmarus quasi de canonica electione præsumens ad sedem Apostolicam appellavit, Rhudolfus verò ad Imperatorem se transtulit. Imperator ergo audiens quod factum fuerat propter dissensionem electionis, investituram dedit Rhudolfo. Apostolicus itaq; affirmabat partem Volcmari propter canonicam electionem. Et Imperator pro Rhudolfo erat propter electionis dissensionem. Sicq; ab invicem discesserunt, ut quivis suam partem diceret esse justiorem. Proce- 6
dente ergo tempore, cùm Volcmarus sequeretur curiam Romanam, & pro suo negotio molestus esset Apostolico, Apostolicus missa epistola peremtoriè citavit Rhudolfum, qui tunc cum Imperatore erat. Quod Imperator audiens, non parum ægrè ferebat. Ipsum tamen ne contumax videretur, ad audi-

entiam venire hortatus est, mittens secum duos decretistas & duos legistas: Decretistas quidem ut pro Rhudolfo essent justitia canonum, legistas verò ut
7 pro parte sua starent jure legum. Cumq; ad judicium ventum fuisset, & ex utraq; parte plurimum fuisset allegatum, nullo dato fine, Rhudolfus ad Imperatorem revertitur, Volcmaro cum Apostolico remanente. Sic ex utraq; parte perturbatio non modica erat: quia cùm pro eadem causa inter Apostolicum & Imperatorem cotidie graviora emergerent, fideles, qui schismatis ustionem experti fuerant, Ecclesiam denuò gravissimè scandalizandam time-
8 bant. Interea rex juvenis & superbus zelatus pro Rhudolfo, Decanum & canonicos quosdam Confluentiæ, qui pro parte Volcmari stare videbantur, calumniatoriè aggressus est, & ablatis stipendiis, domos & possessiones eorum exterminari præcepit. Apostolicus verò exinde magis commotus, Volcma-
9 rum ad Pontificatus apicem promovere decrevit. Quod audiens Imperator, per suos ei mandat, dicens: Quod si Volcmarum contra suam voluntatem ad summum sacerdotium promovere voluerit, omnem familiaritatem inter eos perpetuò expirasse certissimè sciat. Minas etiam quasdam terribiles addidit, quæ tamen pro discretione eorum, qui internuncii erant, ad medium non devenerunt. Taliter ab invicem disturbati Apostolicus & Imperator, quicquid moliebantur, cassum fuit, nec consilium in perturbatione stare po-
10 tuit. Siquidem inter plurima negotia agebat Imperator cum Apostolico de filio suo rege, ut coronam Imperii super caput ejus poneret. Et quia eum placabilem non habebat, consecrationem illius occasionibus differebat, quam tamen non sine ratione refellebat. Dicebat enim Apostolicus, non posse simul duos Imperatores regnare, nec filium imperialibus insigniri, nisi ea ipse prius deposuisset.

Anno. a) videlicet 1185. annotante etiam *Baronio ad h. ann. n. 1.* Imperator anno 1184. post conventum Moguntiæ in Pentecoste habitum, in Italiam progressus, pridie Kalendas Augusti Veronam ad Lucium Papam venit. Substitit autem anno 1185. in Italia, & regnum lustravit, atq; civitatum & populorum jura recognovit. *Carol. Sigon. de regno Ital. l. XV.*

Mechtildis, b) Mathildin hanc nonnulli Bonifacii, Marchionis Longobardorum, & Beatricis, filiam faciunt; ut *Lambertus Schafnaburg. anno 1177. Domnizo l. I. cap. 10. & 17. Aventinus Ann. Boj. l. VI. p. 609. Æneas Sylvius Hist. Boh. cap. 21. Thomas Jordanus Annotat. in lib. II. Dubravij.* Alii Ecbertum I. Marchionem Misniæ, & Gerbergam Lansbergiam parentes ejus fuisse volunt: Bonifacium autem primum ejus maritum fuisse contendunt. Illa sive primo hoc marito sive hæreditate paterna cōlocupletata, opes ingentes in Tuscia & Longobardia possedit,

dit. Deinde Azoni V. Marchioni Estensi nupta fuit; à quo legibus ecclesiasticis propter agnationē separata est. Cum Gregorio VII. ita familiariter versata est, ut in suspicionem scortationis gravem incideret; quod *Lambertus* ibidem narrat. Eidem Gregorio & Romanæ Ecclesiæ Liguriam & Tusciam anno 1077. ipsam dono dedisse probare studet *Baronius h. a. n. 24.* Cùm amplum & florens Longobardiæ regnum vidua teneret, jussu Papæ Welphoni Bavaro, ut ipse haberet, quem Henrico IV. opponeret, connubium & regnum offert. Post nuptias maritum novum accusat ut frigidum, illumq; ex thalamo & regno deturbat. Aliquot prælia pro sustentandis opibus Papæ contra Henricum IV. gessit. Cùm in agro Parmensi gravi prælio ab Imperatoris exercitu superata esset, eò graviùs clades illa Romanæ ecclesiæ accidit, quod Mathildis tunc unicum Romanorum pontificum esset profugium, *Anton. Sabellicus Ennead. IX. l. 3.* De hujus igitur Mathildis Marchionatu Imperator atq; Papa inter se disceptant. Vide *Krantz. Sax. l. V. c. 13. Jacob. Spigel. in Guntheri Ligurin. l. IX. p. 416. Georg. Fabric. Orig. Saxon. l. III. & de March. Misn. Hieronymi Faleti Tabul. genealog. Marchion. Estens.* De Mathildis studio erga Gregor. VII. de ejus virginitate, primis & secundis nuptiis *Baron. anno 1074. à n. 10. ad 36.* de donatione hac *anno 1077. n. 21. & seq.* de nuptiis tertio iteratis, *ann. 1189. n. 9.*

CAPUT XI.

1. Philippus, Archiep. Colon. mercatores Augustanos detinet.
2. Henricus VI. ter illi mandat, ut ablata restituat.
3. Tergiversantem ter ad dicendam causam vocat.
4. Moguntiæ comparentem mercatores dimittere cogit.
5. Ex hoc ab Imperatore & filio ejus abalienatus Coloniam munit.

ACcidit inter ista, ut Philippus, Coloniensis Archiepiscopus, quosdam negotiatores de Ausburg per fines suos transeuntes præpediendo detineret, & res illorum pro quadam injuria ab eis sibi irrogata quasi pro pignore apud se servaret. Qui abeuntes ad regem, Imperatoris filium, quia civitas eadē Imperio contingebat, hoc conquesti sunt apud ipsum. Qui mittens præcepit Archiepiscopo, ut eis sua restitueret. At ille noluit, nisi prius justitias, quas exigebat, fecissent. Et ita vacui reversi sunt ad Dominum suum. Ille verò secundò misit, nec perfecit. Tertiò misit præcipiens sub obtentu gratiæ suæ, ut, quæ ablata fuerant, redderentur. Durè hoc accepit Archiepiscopus, dicens, neminem posse duobus Dominis servire, & ideo non posse duos principes regnare. Cumq; hæc verba ad regem perlata fuissent, iratus est valde, & indicta curia, eum ad audientiam venire præcepit. Qui cùm non venisset, aliam ei curiam præfixit: sed cùm nec tunc venisset, tertiam ei apud Moguntiam indixit. Qui acquiescens consilio amicorum suorum, venit illuc cum multis nobilibus

4 libus. Actum autem fuit clanculum cum illis, ut singuli per noctem venirent, & regi sacramentum fidelitatis facerent Episcopus autem videns se circumventum, fecit quod necessitas imperabat, & regi ad voluntatem ad omnia respondebat. Expurgabat autem se sacramentaliter de verbo suprà dicto. Unde arguebatur hoc modo jurans, quòd pro nullo contemtu regis hoc verbum locutus fuerit. Aliud etiam sacramentum fecit; quia rex eum suspectum habuit, quòd ad regem(a) Angliæ ierat: quæ tamen suspicio propter Henricum Ducem fuerat, qui tunc temporis in Anglia exulabat(b). Præterea trecentas
5 marcas ei composuit, sicq; discessit. Ex illo autem tempore à familiaritate se Imperatoris & filii ejus elongabat, plurimum dolens, quòd tanta devotione Imperio servierat. Et cœpit Coloniam vallo maximo & turribus munire. Unde Imperator eum suspectum habebat, quasi aliquid novi molientem.

ad regem. a) Philippum, Præsulem Coloniensem cum Philippo, Comite Flandrensi, anno 1184. pervenisse in Angliam, ut vota Thomæ martyri solverent, narrant *Matthæus Paris ad h. ann.* & *Roger. de Hoved. Annal. part. post. ann. 1184.* qui addit, tunc Rege arbitro Ducem cum Archiepiscopo in gratiam rediisse.

exulabat. b) Vide supra *l. II. c. 36. n. 7.*

CAPUT XII.

1. *Hartwicus II. Sigfrido Archiep. Bremensi, succedit.* 1184.
2. *Adolphus Comes Hartwico Comitatum Dithmarsiæ concedit.*
3. *Henricus L. ab exilio Brunsvicum revertitur.*
4. *Imperator ipsum in patrimonio integro recipiendo non juvat, quòd de pravis erga se consiliis suspectum haberet.*
5. *Hartwicus colloqvium Ducis subterfugit.*

1 POst dies illos mortuus est Sifridus, Archiepiscopus Bremensis. Cui suc-
2 cessit Dominus Hartuicus, Canonicus ejusdem Ecclesiæ. Qui primò quidem strenuè agens, multa prædia, quæ à quibusdam prædecessoribus negligenter in beneficiata fuerant, non sine labore recepit. Cometiam etiam Thetmarchiæ, quam Adolfus Comes vi obtinuerat, instanter requisivit. Qui animadverrens in hac possessione causam suam nó satis justam, eandem quidem Cometiam resignavit, sed ab Episcopo ducentos modios avenæ Stadensis
3 mensuræ in beneficio stabili accepit. Hac serie (a) temporum Dux Henricus, transactis diebus peregrinationis suæ, reversus est in terram patrum suorum, & sedit in Brunschwig, contentus patrimonio suo, quod tamen ex magna par-
4 te à multis violenter occupatum fuerat. Imperator verò verbis bonis & consolatoriis

ſolatoriis per litteras ſuas frequenter ei bonam ſpem faciebat: quam tamen variis impeditus caſibus ad affectum non perducebat. Nam quicquid adverſitatis ei illis in temporibus accidiſſet, ſive ab Apoſtolico, ſive ab Archiepiſcopo Colonienſi Philippo, vel à rege Danorum Canuto, qui filiam Ducis habebat, Ducem Henricum, quaſi per eum vel propter eum factum fuiſſet, ſuſpectum tenebat, ideoq; ſegnius cauſæ ipſius intendebat. In ipſo autem redi- 5
tu ſuo Dux audiens Dominum Hartuicum ad apicem Bremenſis eccleſiæ ſublimatum, lætatus eſt valde. Et quia quandoq; familiarem eum habuerat, dum ſuccedentibus proſperis notarius in curia ipſius fuerat, per quem etiam canonicatum Bremenſem obtinuerat, rogavit eum, ut ad colloquium ſingulare ſibi occurreret in loco, qui ſibi complacuiſſet. Qui minimè acquieſcens, nec videre nec ſalutare eum dignatus eſt, non adverſitatis ſed proſperitatis amicus, nec de ſingulari amicitia, ſed de vulgari: quia vulgus amicitias utilitate probat.

Hac ſerie. a) factum hoc anno 1185. ut annotat *Godefridus Monachus*, & *Matthæus Paris*; idq; menſe Octobri, ut *Roger. de Hoved. Annal. part. poſt.* Atq; hic primi exilii ejus finis fuit. Nam altera vice anno 1189. in exilium ire juſſus eſt. Quæ duo ipſius exilia ad confuſionem rerum cavendam diſtinguenda.

CAPUT XIII.

1. *Antiſtes Bremenſis Canonicos Lubecenſes Hamburgum ad agendum de electione Epiſcopi evocat.*
2. *Lubecam pòſt ipſe venit.*
3. *Theodoricus eligitur.* 1184.
4. *Primùm munus hoc detrectat.*
5. *Ab Imperatore Inveſtituram: ab Archiepiſcopo ſacrum ordinem recipit.*
6. *Lubecam ingreditur, & munus commiſſum ſedulò curat.*

INter hæc autem vacabat ſedes Lubecanæ eccleſiæ: quia Imperator in Ita- 1
lia poſitus erat, ut ſuprà dictum eſt. Sed Archiepiſcopus videns Canonicos ejuſdem eccleſiæ circa electionem Epiſcopi ſegnius agere, ipſe ſe huic ordinationi inſeruit, & canonicos omnes per litteras in Hammenburg in epiphania Domini citavit, cum eis ſuper eodem negotio colloquium habiturus. Qui cùm in Stadio poſitus eſſet, propter glacies hyemales fluvium tranſire non poterat: ſicq; caſſato itinere canonici ad loca ſua reverſi ſunt. Poſtea ante puri- 2
ficationem beatæ Mariæ venit Archiepiſcopus Lubecam, & invenit eos diſcordantes in electione. Siquidem major pars convenerat in Abbatem Her-

Tt ſefel-

sefeldensem, fratrem ipsius Archiepiscopi, pars verò altera in Præpositum ejusdem Ecclesiæ, David nomine. Cumque neutra pars prævalere potuisset, pari voto & unanimi consensu convenerunt in personam Domini Theodorici, qui Præpositus erat in Sigeberge & Keuena, virum justum, mansuetum & pium. Qui cùm absens esset, & à canonicis de electione ipsi intimatum fuisset, occepit admodum refragari, indignissimum judicans, apicem tantæ dignitatis suscipere, plus oneris quàm honoris sibi impositum fuisse proclamans. Nec sine lachrimis hæc affirmabat, in veritate se humilians, juxta illud: Non sum Propheta, nec filius Prophetæ. Cùm autem ad hortationem ipsius Archiepiscopi & Comitis Adolfi assensum dedisset, ne temerè aliquid aggredi videretur, mansit in Præpositura sua Keuena toto anno illo, donec circa hyemem revertente Imperatore de Italia occurreret ei cum Archiepiscopo in Gillenhusen. Ubi accepta pontificali investitura de manu ipsius, reversus est cum Archiepiscopo Bremam, sicq; in Dominica Gaudete in Domino unctus oleo sanctificationis, consecratus est per manus ipsius, & pontificatus infula decoratus. Inde ab Adolfo Comite honorificè deductus, priori die ante vigiliam nativitatis Domini venit Lubecam. Ubi cùm jucundissimè susciperetur à clero & omni populo cum hymnis & laudibus Dei, ipse cum Domino se humilians, qui seipsum exinanivit, non equo phalerato, sed in asello sibi obuiam venientibus occurrit. Sic iste discalceatus nudis pedibus tam solenniter sibi occursantibus obuius ivit. Confirmatus igitur in sede Episcopali, humilitatis viam non deseruit, omnibus verò se mitem & affabilem exhibuit. Per viscera quoq; misericordiæ pietatis erat operibus deditus, castus, sobrius, pudicus, ita verus religionis cultor, ut tam Deo quàm hominibus complaceret.

3 (line 2) 4 (line 5) 5 (line 9) 6 (line 15)

CAPUT XIIII

1. Henricus VI. Wilhelmi Siculi amitam uxorem ducit. 1186.
2. Philippum Coloniensem, ad nuptias proficiscentem, ex itinere Moguntinus revocat.

1 CUm hæc agerentur, Rex, Imperatoris filius, in Italia ducit uxorem, amitam(a) Wilhelmi Siculi, celebravitq; nuptias in confinio Papiensium & Mantuanorum. Quas cùm juxta regalem magnificentiam magnificè exhibere voluisset, omnes nobiliores non solùm de Italia, verùm etiam de Teutoni-
2 cis partibus adesse rogavit. Inter quos Philippum, Coloniensem Archiepiscopum omni studio, multis supplicationibus, omni controversia remota, præci-

pue venire flagitavit. Cumq; Archiepiscopus cum multo comitatu iter arripuisset, insecutus est eum cum summa celeritate nuncius Archiepiscopi Domini Conradi Moguntini, omnino dissuadens hoc iter, dicens, eum de eodem convivio Coloniam nunquam reversurum. Qui timens sibi juxta commonitionem ejus, simulata infirmitate excusatum se haberi rogavit à nuptiis suis. Unde magis suspectus habitus est à rege & servis ejus.

amitam. a) Tancredus, nonnullis Comes Altæ Villæ, aliis ultimus Rex Nordmanniæ, cùm duodecim haberet filios, quosdam illorum ad novas quærendas sedes emisit. Hi anno 1035. in Italiam militatum abiere, ibiq; rogatu Pontificis & Procerum contra Saracenos bellum gessere, idq; tantis successibus, ut armis & virtute totam paulatim Apuliam, Calabriam & Siciliam suæ ditionis fecerint, *Gaufred. Malaterra l. I. & seqq. Alexander Abbas Celesinus l. I.* uterq; istis Principibus σύγχρονος. Ex illis Robertus, Tancredi filius, primus Calabriæ & Siciliæ Dominus declaratus est. Hic reliquit Rogerium, Siciliæ Comitem: Iste autem Rogerium II, qui primus Siciliæ Rex anno 1131. coronatus est. Siciliæ autem nomine etiam regnum Neapolitanum tum comprehensum fuit. Hunc Rogerium *Manuel Comnenus* δυτικὸν δράκοντα, τὸν τῆς Σικελικῆς καδατυραννῦντα γῆς appellar, i. e. occidentalem tyrannum, & qui in Sicilia tyrannidem exerceat, *Novella I. in Jure Græco-Romano l. II.* Istum excepit Guilielmus primus, Rex Siciliæ ex ista familia secundus, & Apuliæ Princeps, qui anno 1165. obiit. Post illum Guilielmus II. Siciliæ Rex factus est, cujus Auctor noster meminit. Decessit is anno 1189. Tunc regnum per vim invasit Tancredus, patruus ejus spurius.

Tancredus,
|
Robertus
|
Rogerius I.
|
Rogerius II.

Guilielmus I. — Tancredus ex concubina, filia Roberti, Lecciæ Comitis.
|
Guilielmus II.

In hoc Tancredo extincta est mascula Nordmannica familia in regno Siciliæ. Successit Henricus VI. Imperator, ex Constantiæ uxoris jure. Hæc aut Guilielmi I. filia, juxta *Ptolomæum Lucensem anno 1155.* & *Wolffgang. Lazium de migrat. gent. l. IX.* aut Rogerii II. juxta *Ottonem de S. Blasio ann. 1186.* & *Joann. Pistorium in Tab. geneal.* à patre monasterio inclusa, ex eodemq; per Proceres Siciliæ educta, & Henrico VI. elocata fuit. Nuptiarum solennitas anno 1186.

no 1186. die Matthiæ Apoſtolo ſacro celebrata eſt. Regnum Siciliæ & Neapolis, in quo Ducatus Apuliæ, Calabriæ, & Principatus Capuæ, in dotem data ſunt. *Ptolomæus, Otto de S. Blaſ.* & *Georg. Fabric h. anno.* Hoc pacto regnum Siciliæ atq; Apuliæ ad Sueviæ Principes devolutum eſt, ut non ſolum Henricus VI. ejusq; frater Philippus, atq; Fridericus II. Siciliæ atq; Apuliæ Reges ſe ſcripſerint, verùm etiam qui ſecuti ſunt, iſtius familiæ poſtremi Cunradus & Cunradinus, reges Siciliæ & Apuliæ extiterint. Quibus extinctis ad Gallos: ab his ad Arragones: ab illis autem ad Auſtriæ Archiduces jus regnorum Siciliæ atq; Apuliæ devenit. A genealogia *Piſtorij* abeunt nonnihil in ſuis *Onuphrius Panvinius in Nordmannor. familia*, *Wolffg. Lazius l. d. Paulus Merula part. II. Coſmogr. l. 4. c. 25.*

CAPUT XV.

1. Ludovicus Landgravius, uxore repudiata, matrem Kanuti ducit.
2. Adolphus Comes liberaliter ipſum excipit.

1 Circa dies illos Ludovicus (a), Landgrafius de Turingia, filius ſororis Imperatoris, repudiata uxore, quam prius habebat, opponens ei titulum conſanguinitatis, uxorem duxit matrem Canuti, regis Danorum. Quæ cùm multo theſauro & ſupellectile egreſſa fuiſſet de terra ſua, occurrit ei Landgrafius ad Egdoram fluvium, & ſuſcipiens eam de manu regis & Epiſcoporum
2 ejus, ibat per viam ſuam gaudens. Comes autem Adolfus honeſtiſſimè eam per terram ſuam ducens, abundantiſſimè ei hoſpitalitatis neceſſaria miniſtravit, tum pro regis honore, tum pro ipſius Landgrafii familiaritate.

Ludovicus. a) Hic eſt idem Ludovicus V. de quo *ſupra ad l. II. Arnoldi c. 30.*

CAPUT XVI.

1. Lucio III. ſuccedit Urbanus III. 1185
2. Urbanus Imperatori tria accuſationis capita opponit.
3. Filium Imperatoris coronare detrectat. - - - - - - 1185.
4. Volcmarus auctoritate Papæ in Epiſcopatum Trevirenſem introducitur.
5. Hinc inter Imperatorem & Papam inimicitiæ.
6. Henricus VI. Epiſcopum quendam pugnis cædendum curat.
7. Ex Imperatoris & Papæ inimicitijs inter Epiſcopos factiones, & ſimultates naſcuntur.
8. Bertoldus, Epiſcopus Metenſis, ingratus eſt in Imperatorem.
9. Imperator ipſi ad Epiſcopatum conſequendum adjutor fuerat.
10. Eundem ab illo deturbat.

Inter

INter hæc autem defuncto Papa Lucio, Dominus Urbanus(a) in sedem Apo- 1
stolicam sublimatus est. Cumq; inter ipsum & Dominum Imperatorem col- 2
loquia celebrarentur pro negotiis supra (b) memoratis, quæ adhuc minimè determinata fuerant, Dominus Papa ut zelator justitiæ pro defensione sanctæ Rom. ecclesiæ constanter agebat, nec terreni imperii metuens principatum, quæ sui juris erant, intrepidus requirebat. Arguebat sanè Imperatorem de patrimonio Dominæ Mechthildis, de quo suprà mentio facta est, quod ab ipso injustè occupatum dicebat. Affirmabat etiam, quòd Episcoporum exuvias injustè acciperet, quæ dum ipsis mortuis de ecclesiis rapiantur, ecclesiæ quasi corrosæ & expoliatæ ab Episcopis subintrantibus inveniuntur, ita ut ex necessitate quadam raptores injusti inveniantur, dum ablatis stipendiis, quæ confiscata fuerant, de novo resarcire cogantur. Tertium etiam contra eum proponebat articulum, quòd Abbatissarum congregationes plurimas in dispersionem dedisset, dum propter enormitatem ipsarum sub emendationis occasione usurpatis sibi stipendiis, personas quidem removisset, nec alias ad honorem Dei vel ecclesiæ augmentum sub meliore professione restituisset. Hæc 3
autem Imperator, etsi non libenter, patienter tamen audiebat: quia de consecratione filii instanter agebat. Ad quod opus Dominus Apostolicus se omnino difficilem reddebat. Dicebat enim, ut à suo prædecessore instructus erat, quòd minimè Imperatoris filium imperialibus insigniret, nisi ea pater primùm deposuisset. Inter hæc autem Volcmarus, electus Trevirensis, de quo 4
superius(c) dictum est, contra voluntatem Imperatoris per manus Domini Papæ ad summum sacerdotium meruit promoveri. Imperator hoc audiens, 5
iratus est nimis, & ex illa die manifestissimæ inimicitiæ inter ipsum & Dominum Apostolicum exortæ sunt. Et facta est in ecclesia Dei perturbatio non modica. Quia dum inter se discordarent cardines orbis, facta est confusio elementorum, Prælatorum videlicet, hinc inde placere volentium. Filius ve- 6
rò Imperatoris perturbationis hujus causa non parva extitit. Nam sub ipso tempore in Longobardia positus, Episcopum quendam ad se accersiri jussit, cui etiam dixit: Dic clerice, à quo investituram pontificalem suscepisti? Et ille: A Domino Papa. Cui rex rursum: Dic, ait, à quo investituram pontificalem suscepisti? Et ille: à Domino Papa. Cumq; tertio eisdem verbis eum requisisset, dixit Episcopus: Domine, nihil de regalibus possideo, nec ministeriales nec curtes regias habeo: iccirco de manibus Domini Papæ parochiam, cui præsum, teneo. Tunc indignatus rex præcepit servis suis, ut pugnis eum cæ-

 derent,

derent, & eum in luto platearum conculcarent. Quod factum omnibus di-
7 splicuit: quia post Decium nihil tale auditum fuit de regibus. Apostolicus
tamen insistens, Imperatorem de tribus superioribus capitulis instan-
ter arguebat, id est de patrimonio Dominæ Mechtildis, de Episcopo-
rum exuviis, & de Abbatissarum stipendiis, ita ut manifestè eum citaret,
& excommunicationis maledictum ei intentaret. Cui præcipuè fave-
bat Philippus, Archiepiscopus Coloniensis, plurimum dolens, quòd post mor-
tem Episcoporum omnia mobilia in fiscum redigerentur. Adhæc acclama-
8 bat Conradus Moguntinus, Volcmarus Archiepiscopus Trevirensis, qui-
bus consentiebant Episcopi duodecim, inter quos præcipuus erat Bertoldus
Metensis, qui etiam Volcmarum post consecrationem ab Apostolico venien-
tem non solùm in sua diœcesi, verùm etiam extra suos terminos ei occursans,
honestissimè suscepit. Unde graviter animum Imperatoris exacerbavit, quòd
recordatus non fuisset, quæ sibi fecisset bona. Deniq; dum idem Bertoldus ad
9 sedem Bremensem electus, ab Alexandro Papa fuisset depositus, ut in priori
libello invenitur, venit ad Dominum Imperatorem pauper & exul. Quem Im-
perator miseratus benignè suscepit, ita ut venienti de sede sua occursans, per
manum deduceret, & in latere suo collocaret, sicq; honestè & largè habitum
à conspectu fecit nunquam discedere, donec opportuno tempore certa eum
& honesta sede locaret. Quod & factum est. Nam dum postea vacaret sedes
10 Metensis, cum summo honore ipsum in ea sublimavit. Cùm igitur videret eum
Imperator tantorum beneficiorum ingratum, & subitò in adversam partem
mutatum, per suos eum de sede sua disturbat. Qui fugiens, ad Philippum Colo-
niensem se contulit, qui ei præbendam Coloniæ ad sanctos Apostolos depu-
tavit. Sicq; sedes illa nec ipso nec alio præsidente diebus multis vacavit. Simili-
ter etiam metropolis Trevirensis errore infinito turbata erat. Quia Rhudolfus,
quem Imperator creaverat, per ipsum temporalibus uti videbatur. Volcma-
rus verò quem Apostolicus propter canonicam electionem consecraverat,
nec in spiritualibus, nec in temporalibus prævalebat.

Urbanus. a) Cum Lucius VII. Kal. Decemb. anno 1185. obiisset, Cardinales IV. Kal. Decemb. anno eodem Lambertum, Archiepiscopum Mediolanensem, sufficiebant, ac mox consecratum Urbanum III. appellabant.

supra. b) *l. III. c. 10. n. 4.*

superius. c) *c. 10. n. 5. 6.* Postquam septennium Volcmarus & Rudolphus de Archiepiscopatu inter se concertassent, electus est Joannes, Imperatoris Cancellarius, *Petr. Merss. n. LXXXVII.*

CAPUT

CAPUT XVII.

1. Imperator Alpes claudit.
2. Privato colloquio animum Philippi, Archiep. tentat.
3. Philippo Papa vices suas demandaverat.
4. Philippus fidem suam Imperatori promittit; monet autem, ut Papa satisfaciat.
5. Imperator ad veteres leges & Cæsarum exempla provocat.
6. Frustra Philippum ad suas partes pertrahere studet.

IGitur reversus de Longobardia, & considerans obstinatum erga se animum Domini Papæ, clausit omnes vias Alpium & omnium circumquaque regionum, ut nemo pro quolibet negotio adire posset sedem Apostolicam. Dein- 2
de convocans Philippum Coloniensem, cœpit secum conferre de importunitate Domini Papæ, intelligens etiam ipsum fungi vice ipsius in causis decidendis, propterea magis ipsius animum explorare cupiebat, vel qualiter de eo sibi sentiendum esset, scire volebat. Apostolicus enim ipsi legationem Rom. 3
ecclesiæ, sive etiam primatum de suis suffraganeis dederat, ut, quia Imperator, ut dictum, vias Alpium conclusisset, ipse vice Apostolici singulorum causas discuteret, ne propterea magis ab Ecclesia Dei justitia deficeret. Expo- 4
nente ergo Imperatore importunitatem Domini Apostolici, & quærente ab Archiepiscopo, quam fiduciam de ipso esset habiturus, ipse respondit: Domine, non est necesse, ut aliquid de me dubitationis habeatis: me enim semper pro justitia stare velle sciatis. Sæpius enim probastis cor meum vobiscum: unde etiam vobis constat, semper in me fiducialiter agendum. Veruntamen ut omnium Episcoporum ore loquar, si paulo mitius nobiscum agere velletis, & per libertatem imperialem levigare onus nobis impositum, tanto devotiores quanto expeditiores in omnibus ad omnia vobis essemus. Nunc autem videtur nobis, quòd quibusdam pensis, etsi non injustè, indecenter tamen gravati simus. Unde etiam videtur Domino Apostolico, quod justam contra vos causam proponat, quod mortuis Episcopis confiscantur Ecclesiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus & stipendiis præsentis anni, Episcopus subintrans omnia exinanita & evacuata inveniat. Si ergo justitiæ obtentu, & nostri servitii intuitu, per imperialem clementiam super hoc nobis peperceritis, mediatores justitiæ inter vos & Dominum Papam humiliter erimus: Sin autem, à veritatis via recedere nequaquam poterimus. Ad hæc Imperator ita respon- 5
dit: In veritate compertum habemus, quòd prædecessores nostri, antiqui Imperatores, hoc juris habuerunt, ut defunctis Episcopis investituram pontificalem sine alicujus præjudicio probatis personis liberrimè locaverint. Sed quia

quia hoc ipsorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam scintillam juris nostri quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis justitia vestra quam invenistis, quòd permittitur vobis electio Episcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris ista dispensarentur, plures justi sunt inventi sacerdotes, quàm hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipsi enim secundum vitæ meritum sacerdotes investiebant, nunc autem per electionem non secundum Deum sed secundum favorem eliguntur. His dictis Imperator animum Archiepiscopi cum Apostolico sentire intellexit, cui dixit: Quando quidem audio vos mecum non sentire, nolo ut ad curiam, quæ in Geilenhusen celebranda est, veniatis, ubi Episcoporum erit conventus. Cui Archiepiscopus respondit: Fiat juxta placitum vestrum.

CAPUT XVIII.

1. Imperator in conventu Geilenhusano causam suam contra Papam proponit. - - - - - - 1186.
2. Innocentiam suam, & Romano Pontifici obsequendi promtitudinem testatur.
3. De decimis,
4. De ecclesiarum advocatijs seu præfecturis respondet.
5. Episcoporum voluntatem requirit.
6. Hi Papæ consensum per literas petunt.
7. Papa excommunicationis fulmen in Imperatorem vibraturus morte prævenitur, 19. Octobr. - 1187.

1 Exinde ergo Imperator curiam generalem edixit in Geilenhusen, ubi convenit multitudo Episcoporum & Principum. Et procedens in concionem, sic omnibus locutus est: Rogamus vos summos sacerdotes & Episcopos & Principes, quorum corda justitia possidet, ut animadvertatis, quæ dico.
2 Compertum fortè habetis, quantis adversitatibus impetar à Domino Papa: in quo autem gratiam ipsius diminuerim, ignoro. Unum mihi constat, quòd nunquam animum ejus exacerbare studui, nec aliquando contra ejus præceptum vel voluntatem aliquid feci. Nihil etiam ab ipso contra jus indecenter exegi. In quibus autem ipse me arguere habuit, non irascendo vel contradicendo, sed obœdiendo, & rationem reddendo, decenter ad omnia respondi. Et quoniam in omnibus his innocentia mea mecum est, iccirco non conturbor, sed si placuerit Domino Papæ, me filium habere dilectum & subjectum, ego eum pro honore & reverentia sanctæ Apostolicæ sedis patrem habeo dilectum & reverendum. Si autem ad dejectionem meam, non dico injustè, sed ineptè ali-

qua molitus fuerit, ſpero quòd divina favente clementia, veſtro ſimiliter etiam adiutus conſilio & auxilio, intrepidus ei ad omnia reſpondeam. Hæc pro parte mea dixerim. Pro parte autem veſtra quid ſit faciendum, diligenter penſandum eſt. Dicit enim Dominus Papa, injuſtum eſſe, ali- 3
quam laicam perſonam decimas poſſidere, quas manifeſtè Dominus his, qui altari deſerviunt, deputaverit: quod ſicut de ſcripturis habet auctoritatem, ita eadem auctoritate evacuare contendit. Scimus autem decimas & oblationes à Deo ſacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cùm tempore Chriſtianitatis ab adverſariis infeſtarentur eccleſiæ, easdem decimas præpotentes & nobiles viri ab eccleſiis in beneficio ſtabili acceperunt, ut ipſi defenſores eccleſiarum fierent, quæ per ſe ſua obtinere non valerent. Affirmat etiam injuſtum eſſe, quòd aliquis in prædiis ſeu hominibus ec- 4
cleſiarũ advocatiam (a) ſibi uſurpet, aut ſicut eccleſię de libera voluntate ſive donatione Imperatorum vel Principum fundatæ ſunt, ita res eccleſiaſticæ à Prælatis tantùm liberè diſpenſentur. Et quamvis hæc pro Prælatis eſſe videantur, non tamẽ credo, quòd ita facilè mutari poſſint, quę ex longa antiquitate uſus in conſuetudinem vertit, imo ipſa conſuetudo à progenie in progeniem deſcendens, quaſi juſta traditione roboravit. Hæc de parte veſtra dicta ſufficiant. Quæro autem à vobis, rectores eccleſiarum, quid inter iſta 5
de vobis mihi ſentiendum ſit, quid timendum, quidue vel quantum de veſtra fidelitate præſumendum. Sed quia à Domino jubemur reddere quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, ſic rogo, Domino Papæ in vice Chriſti debitam perſolvatis obœdientiam, ut in parte altera à Deo conſtitutam non negligatis juſtitiam. Ad hæc verba ſurgens Dominus Moguntinus Conra- 6
dus, accepta opportunitate ſic locutus eſt: Domine, rogamus ſerenitatem veſtram, ut paululum verba noſtra attendatis. Caſus iſte, in quo laborare videmur, gravis eſt, nec noſtrum inter vos tantas componere lites. Quia ſicut paulo ſuperius dixiſtis, ex una parte tenemur reddere Deo, quæ Dei ſunt, ex altera parte quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Domino enim Papæ ut patri ſpirituali, qui ſupra omnes eſt, juſtum eſt ad omnia promtiſſimè obœdire, vobis autem, quem Deus Principem & Imperatorem Romani orbis exaltavit, cui hominium fecimus, à quo & temporalia poſſidemus, ad aſſequendas omnes juſtitias veſtras jure tenemur aſſiſtere. Nunc ergo ſine præjudicio melioris conſilii, ſi placet, ſcribatur (b) Domino Papæ, ex perſona Epiſcoporum, in quibus commoneatur, ut ea, quæ ad pacem ſunt, vobiſcum ſentiat, & juſtitiam vobis in his, quæ juſtè ab eo exiguntur, faciat. Placuit Imperatori & omnibus Epiſcopis, quod dixerat. Et ad voluntatem Imperatoris ſcripta eſt epi-

 ſtola,

ſtola,ſignata bullis Epiſcoporum omnium & perlata ad Dominum Papam.
7 Qui cùm legiſſet epiſtolam, obſtupuit de immutatione Epiſcoporum: quia ipſe cauſam pro eis videbatur ſumſiſſe, ipſi verò de cauſa cecidiſſe. Nec minus tamen in propoſito ſuo perſtitit, & veniens Veronam, Imperatorem legitimè citatum pro capitulis ſuprà ſcriptis excommunicare decrevit. Ad quem accedentes Veronenſes, dixerunt: Pater, ſervi & amici Domini Imperatoris ſumus: rogamus ſanctitatem veſtram, ut eum in civitate noſtra, nobis præſentibus, non excommunicetis, ſed hanc ſententiam reſpectu noſtri ſervitii in præſenti differatis. Qui faciens juxta petitionem eorum, diſceſſit: & cùm in proximo eum excommunicare vellet, morte præventus, ſententiam diſtulit, ſicq; Imperator maledictionis jaculum evaſit.

---

advocatiam, a) Advocatia Jus eſt tutelare al[1] cujus loci; idq; vel eccleſiaſticum vel ſeculare. Hujus ſupra *cap. 6. n. 6.* illius hîc occurrit exemplum. Advocatiam eccleſiaſticam quod attinet, Monaſteriis & eccleſiis ab Imperatoribus & Regibus Advocati dabantur, qui ſecularium rerùm, atq; ad victum pertinentium curam gererent. Cum enim bona epiſcopalia primùm Judiciis Principum & Comitum ſubjecta fuiſſent, paulatim illis ſubducta ſunt, & Advocatis eccleſiarum adminiſtranda conceſſa. Sub horum cura atq; adminiſtratione illa maximam partem usq; ad Fridericum II. permanſerunt. Vide πολιτικώτατον *Herm. Conringium de Germ. Imperij Judicijs.* Advocati illi ſtatim ætate Caroli M. dari cœperunt. Nam ita ille *Conſtitution. c. 3.* Volumus pro Eccleſiaſtico honore, & illorum reverentia advocatos habeant. *Hincmarus*, Epiſcopus Rhemenſis ſcribit, in Synodo Leonis IV. decretum eſſe, ut Epiſcopi, univerſiq; Sacerdotes advocatos habeant, quia Epiſcopi & Sacerdotes ad ſolam laudem Dei, bonorumq; operum actionem conſtituantur, *Epiſt. VII. c. 31.* Quales eſſe debeant advocati, & quid illorum muneris ſit, quomodo item, ſi pravi ſint, tollendi, in *Legg. Francorum, Longobardorum* & *Conſtitutionibus Siculis* multis præcipitur. Interdum qui monaſterium primus conderet, & reditus annuos ei dicaret, Advocatus ipſe erat, ſi vellet. Ita *Vipertus Groicenſis* monaſterium Pegavienſe à ſe exſtructum Romano Pontifici quidem ſubiiciebat, Advocatiam autem illius ſibi retinebat, eandem ad poſteros transmiſſurus: qui ſi nulli eſſent, Abbati iſtius loci & Monachis Advocatum ſibi eligendi poteſtatem conceſſurus, *Monach. Pegav. anno 1106.* Nam ſucceſſu temporum electio Advocati, ſingulari Principum conceſſione, ad Epiſcopos & Monachos translata eſt. Inde Henricus Auceps & filius ejus Otto M. in *Tabulis ſuis* ſanciunt, ut in locis Hamburgenſi, Magdeburgenſi & Mindenſi eccleſiæ ſubjectis nemo cauſas civiles tractet aut jus dicat, niſi Advocatus, adduntq; in quibusdam: *quem ejusdem loci Epiſcopus elegerit.* Item *quem noſtro conſenſu ſibi & eidem eccleſiæ præficiendum elegerit, Diplomata Ottonis M.* De his Advocatis, illorum diſtinctione, & officiis

partibus

partibus *Goldast. Tom. I. part. 1. p. 214. Joach. Vadian. de Collegijs l. I. & II. Bartholom. Schobinger. addition. ad illa loca*, Prolixè autem *Martinus Magerus de Advocatia armata : Deductio Civitat. Lindav.*

scribatur. b) fortè legendum *scribantur literæ*, quia sequitur, *in quibus*. In *MSS. L. & B.* tantùm est *scribantur*.

CAPUT XIX.

1. *Adolphus Comes castellum ad Travæ ostium ædificat.* - - *1186.*
2. *Exigenti vectigal Lubecenses denegant.*
3. *Ipse eis incommodat, & cives Oldesloæ atq; Hamburgi detinet.*
4. *Imperatoris arbitrio Lubecenses summa pecuniæ persoluta omnia jura sua recipiunt.* - - *1187.*

HAc serie dierum Adolfus Comes cœpit reædificare castrum ad ostium 1
Travenæ, quod à Slavis exustum fuerat, quando Imperator civitatem Lubeke obsederat. Locum tamen in ædificando mutavit: quia cùm prius in aqua ipsum castellum situm fuisset, ipse super littus maris in ipso introitu Travenæ illud fundavit, ut tanto facilius piratæ intrantes inde obrui possent. Porrò cives civitatis ex eodem opere valde commoti fuerant: quia Comes te- 2
lonium ab eis expetebat, quod illicò unanimiter negabant. Unde grandis controversia inter eos orta est. Dicebat enim Comes, telonium sui juris esse: quia tempore Ducis Henrici illic non sine telonio transierant. Illi autem affirmabant, non hoc de jure factum, sed propter petitionem ipsius Ducis ad castelli sustentationem ad tempus esse permissum. Ob hanc igitur contradi- 3
ctionem quicquid commoditatis in suis terminis cives antè videbantur habere in fluviis, in pascuis, in sylvis, Comes omnino abstulit. Præterea etiam quosdam ex eis in civitatibus suis Thodeslo & Hammenburg negotiantes præpediendo detinuit, & bona eorum quasi pro telonei pignore sibi usurpavit. Cumq; hoc sæpius apud Imperatorem conquesti fuissent, & ipse frequenter suos ad pacem inter eos reformandam delegasset, nihil in sua causa profecerunt. Tandem mediante Imperatore hoc pacto de telonio liberi facti sunt, 4
ut trecentas marcas argenti Comiti darent, & Comes juri suo de telonio requirendo abrenunciaret. Similiter pro pascuis ducentas marcas persolverent, & sic à mari usq; Thodeslo liberè fruerentur fluviis, pascuis, sylvis exceptis his, quæ ad stipendia Monachorũ in Reineveld e Duce Bernhardo resignãte & Imperatore conferente, deputata fuerant. Super his autem privilegiati sunt ab Imperatore, ut hæc in processu temporum à nullo hominum temerariè mutari possint.

CAPUT XX.

1. *Imperator à Kanuto dotem sororis per legatos postulat.*
2. *Kanuto eam non exsolventi Imperator sororem remittit.*
3. *Hinc inter Imperatorem & Regem bellorum occasio;*
4. *Ludovicus Landgravius etiam matrem Kanuti repudiat.*

1 EO autem tempore misit Imperator ad Canutum regem legatos honoratos pro pecunia (a), quam pater illius Waldemarus cum sua filia ipsius filio socianda pollicitus fuerat, quam etiam idem Canutus partim persoluerat.
2 Qui propter occasiones suprà dictas, quæ inter Imperatorem & ipsum versabantur, pecuniam persoluere timuit. Imperator verò non propter repudii occasionem, sed propter pactionis immutationem, regi sororem suam intactam cum tali apparatu, quo eam acceperat, restituit. Quod Canutus graviter accipiens, manifestas ex illa die inimicitias contra Imperatorem exercere cœpit, ita ut omnem terram Wagirorum, Holsatorum, Stormariorum & Polaborum usque ad Albiam sui juris esse diceret, & eam per Slavos, quos sibi obstrinxerat, frequenter vastaret. Mater (b) etiam ejus à Ludovico Landgrafio repudiata, & ad terram nativitatis suæ sine honore reversa, conquesta est in multis se à marito injuriatam. Unde etiam magis instimulatus justam se causam contra Teutonicos habere arbitratus est.

---

pecunia. a) supra *l. II. Arnoldi c. 35. n. 2. & l. III. c. 2. n. 2.*
mater, b) supra *cap. 15. n. 1.*

CAPUT XXI.

1. *Hartwicus, Archiep. Brem. Dithmarsos invadit.*
2. *Socijs stipendia è reditibus Episcopatus solvit.*
3. *Dithmarsi ab eo ad Waldemarum, Episcopum Slesvicensem, deficiunt.*

1 IN diebus illis Hartuicus, Archiepiscopus Bremensis, contracto sive conducto exercitu cum manu valida intravit Thetmarchiam, & eos, qui sibi contradicebant, ad deditionem coegit. Illi autem pro sua liberatione pecuniam infinitam promiserũt, sicque Episcopus cum magna jactantia ad sua reversus est,
2 credens se in omnibus prosperè egisse. Sed ex eodem casu materies non dico confusionis, sed humiliationis in eadem ecclesia exorta est. Nam cùm Adolfus, Comes de Schawenburg, & Comes de Aldenburg (a), & nobiles alii stipendium militiæ, quod eis Archiepiscopus promiserat, requirerent, ille tam

tam ea, quæ illis promiſerat, quàm alia multa inutiliter ab eo conſumta reddere non valens, neceſſitate compulſus, miniſterialium reditus epiſcopales per triennium abjuravit, ut infra tempus illud omnia ex integro ſoluerentur. Epiſcopus verò ex his, quæ de cathedratico (b) vel eccleſiarum conſecrationibus conſequi poterat, ſuſtentabatur. Thetmarchi autem pecuniam, quam polliciti fuerant, perſoluere non valentes, ad Waldemarum Sleſvicenſem Epiſcopum ſe contulerunt. Is erat filius Canuti regis, qui à Suenone unâ cum Waldemaro invitatus ad convivium, inter epulas inſidiosè occiſus eſt, vir dives valde, non ſolùm de ſtipendiis epiſcopalibus, ſed de latiſſimo patris, quod ſibi remanſerat, patrimonio. Sicq; datis obſidibus, ex illa die additi ſunt regno Danorum, ſervieruntq; S. Petro in Sleſwig, ut ſervierant in Brema. Demembrataq; eſt eccleſia Bremenſis per negligentiam Hartuici, qui propter ſegnitiem oves perditas requirere non valebat.

Aldenburg. a) Fuit Chriſtianus II. qui poſtea ex Syria reverſus, à ſicariis noctu interfectus eſt. *Herm. Hamelmann. Chron. Oldenb. part. II. c. 3.*

cathedr. b) Cathedraticum erat certa pecuniæ ſumma, quam Patriarchæ vel Epiſcopi pro conſecratione ſua pendebant; de qua in *Novell. Inſtitut. 123.* Qua forma ab iſtius ætatis ſcriptoribus facta ſunt Pontaticum, Martiaticum, & alia multa.

CAPUT XXII.

Auctor acriter in corruptos ſeculi ſui mores invehitur.

INter hæc autem fluunt lachrymæ, trahuntur ſuſpiria, & vox ploratus & ululatus in excelſo levatur. Inſolito namq; timore turbata & confuſa ſunt viſcera, corda tremuerunt, ingenii flos interiit, ſcribentis manus elanguit. Nam propter inimici zizania, meſſem Chriſti ſuffocantia, ſpinarum multiplicantur ſcandala, ita ut ſancta Eccleſiæ area raro tritico tota ſqualeſcat in palea. Ubi enim ſapiens & intelligens, ubi rogo leges, ubi jura, ubi juſtitia, ubi religio, ubi pax, ubi veritas, ubi caſtitas conjugalis, ubi cœlibatus ſpiritualis? Nonne juxta Prophetam, maledictum & homicidium & mendacium & furtum & adulterium magis quàm in diebus antiquis inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit? Nunquid ſecundum Eſaiam tumultuatur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem? Meritò ergo confuſa ſunt viſcera, corda tepuerunt. Propter hæc enim judicium Dei imminet, quod nemo quidem evadere poteſt: quod ille tamen quaſi pater miſericordiarum adhuc præmuniendo magis quàm damnando exercet. Ferit tamen parcente manu: quia vindictam quidem juſtam exercet, ſed adhuc emendationis tempus per pati-

entiam expectat. An ignoras, inquit Apostolus, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Scilicet quia divitias bonitatis ejus contemnis, non immeritò lapidem offensionis incurris. Ieremias enim dicit: Quid est, quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Quis iste rogo dilectus, nisi ministrorum Dei conventus? Sed ut minus sapiens dixerim, quis eorum scelera explicare, quis enumerare sufficiat? Nonne ipsi oculos quidem habent, sed non vident? legem Dei audiunt, eloquia mystica intelligunt, sed quæ dicunt, non faciunt. Qui enim dicis, non mœchandum, mœcharis; non furandum, furaris: Tu verò in ecclesia gloriosè sedens super cathedram non Moysi, sed Apostolorum, vel ipsius Domini, judicas proximum. Qua rogo fiducia vel conscientia? In quo enim alium judicas, teipsum condemnas. Scilicet si fortè manus à rapina pauperis continuisti, contra me murmuras, quòd furem memoraverim te. Nonne veritas dicit: Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Sed dicis: Per ostium intravi, si fortè ecclesia in electione tua consentit. Ad hæc Dominus: Ego, inquit, sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & egredietur, & pascua inveniet. Si ergo per ostium intrasti, & in pascuis Domini moraris, cur te oves non audiunt, sed magis à te fugiunt? Non enim audiunt voces alienigenorum. Fur enim venit non nisi ut furetur, mactet & perdat. Si ergo oves te non audiunt, constat, quòd non per ostium intrasti: quia in veritate non stas, quod est per ostium intrare. Unde scias, quòd omnis Prælatus, qui Dominicas oves verbo & operatione destruit, fur est, & ipsas mactat & perdit. Quia corumpunt mores bonos colloquia mala, & non jam colloquia mala, sed opera mala, dolus, fallacia, mendacia, periuria. Ipsi enim circumveniunt & circumveniuntur, & circumveniendo arbitrantur se obsequium præstare Deo. Circumventi autem dicunt: Num finis adest seculi, quia nulla est reverentia cleri? Nam de sacerdotibus Christi dictum est: Vos sancti domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis. Et iterum, Nolite tangere Christos meos. Quàm rectè hæc pro ipsis essent, si istis vivendo non contradicerent. Nunc autem omnes de jure cleri volunt esse, sed non de religione. Quia verò nec de sorte cleri sunt, nec de religione, justo Dei judicio nec à Deo nec ab hominibus reputantur. Quia cujus vita despicitur, restat & ejus prædicatio contemnatur. Quos per Psalmistam Dominus redarguit, dicens: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, & cætera quæ ibidem de perversis sacerdotibus commemorantur. Ipsa tamen perversitas Prælatorum occulto

culto

culto Dei judicio nonnunquam de peccatis subditorum provenire solet, juxta illud: Qualis populus, talis & sacerdos: Et illud: Propter peccat populi regnare facit Deus hypocritam. Et Dominus: Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Et Ieremias: Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc. Et item: Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Non ergo Prælati temere à subditis reprehendantur, nec subditi à prælatis mortaliter dijudicentur, scientes quòd tales Prophetæ & Sacerdotes, quos olim de templo Dominus ejecerat, destruxerunt muros Ierusalem: quia nisi tales perversis eam moribus maculassent, nequaquam gentibus ludibrio habita fuisset. Cujus excidium olim Dominus defleverat. Sed illa, quæ tunc à T. Vespasiano destructa est, occidit Prophetas, & lapidabat eos, qui ad eam missi erant, & in ipsum Dominum manum mittere non timuit? Hæc autem sanguine ipsius Domini fundata, & morte & resurrectione ejus confirmata, ipsa vivifica Sacramenta minus reverendo, & loca sancta negligentius honorando, confusionem maximam excepit, ita ut dicat cum Ieremia: Dormiemus cum confusione nostra, & operiet nos ignominia nostra: quoniam peccavimus Domino Deo nostro & nos, & patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc, & non audivimus vocem Domini Dei nostri. Nunc autem his finem faciamus, & ad destructionem civitatis sanctæ stylum convertamus.

CAPUT XXIII.

1. *Balduinus, Rex Hierosolym. leprâ infectus*
2. *Nepotem ex sorore cognominem successorem designat.* - - 1181.
3. *In fata concedit.* - - 1185.
4. *Balduinus nepos etiam vita excedit.* - - - - - - - 1186.
5. *Balduini Regis soror sibi à Patriarcha regnum petit.*
6. *Wido, maritus ejus, Rex inungitur.*
7. *Raymundus, Comes Tripolitanus, pueri defuncti Tutor, id ægrè fert.*

CUm Balduinus, Emelrici (a) regis filius, rex Hierosolymorum, tam genere 1 quàm virtute præclarus, refrenatis circumquaque religionis Christianæ hostibus, regnum suum in omni justitia moderaretur, manu Domini tactus, qui quos diligit, corripit, infirmitate lepræ cœpit deficere, & de regni successore cogitare. Ipse enim filium hæredem non habebat: quia cœlibem agens vitam in castitate perseverans, virgo in ævum permansit. Habebat autem

sororem,

sororem, quam cuidam Wilhelmo(b), nobili & strenuo viro, fratri Conradi,
Marchionis de Monte ferreo, sociaverat, ex qua nepotem parvulum suscipi-
ens, nomen ei suum imposuerat. Hunc cùm esset annorum quinq;, sperans
eum à paterna felicitate non degenerare, consilio Domini patriarchæ, simili-
ter etiam consensu Principum sive nobilium, Templariorum, Hospitalariorũ,
cum benevolentia cleri & devotione populi, in regem ungi (c) præceperat,
cui etiam tutorem cognatum suum, Comitem Tripolensem, Regimundum
nomine, deputaverat, ut ad quintum decimum ætatis annum vicem pueri a-
3 geret, sive idem puer duraret, sive vita excederet. His itaq; dispositis rex in-
4 firmitatis molestia deficiens, beato fine migravit(d) ad superos. Puer(e) au-
5 tem rex anno ætatis suæ nono ipsum moriendo secutus est. Qui cùm honestè
in sepulcro patrum suorum in Ierusalem sepultus fuisset, in ipsa octava depo-
sitionis suæ accessit mater ad Dominum Patriarcham, & sic ei locuta est: Do-
mine, tu scis, quòd frater meus mortuus est, similiter & filius meus, qui in re-
gem unctus fuerat, & nemo relictus, quem regnum hæreditario jure contin-
gat, præter me, quæ & filia regis sum, & soror, & mater. Nunc ergo rogo, ut
mecum misericordiam faciatis, & coronam mihi debitam non negetis. Cui
Dominus Patriarcha respondit: Scio quidem, quòd filia regis es, ut dicis, si-
militer & soror, & mater pueri regis defuncti. Sed quomodo tibi corona de-
beatur, non video, quæ fœmina es, maximè cùm terra ista ferocissimis & innu-
meris hostibus circundata sit, nomine fœmineo non satis apta regi, nisi fortè
per maritum illam obtinere posses, si tamen idem ad regnum & genere & di-
6 gnitate idoneus inventus fuisset. Ad quem illa: Habeo, inquit, maritum ge-
nere quidem nobilem, corpore validum, virtute præstantem, qui gloria & ho-
nore dignus sit coronari. Quem, si mecum justitiam & veritatem facere vul-
tis, in præsentiam vestri adducam, ut de manu vestra coronam similiter & be-
nedictionem accipiat. Siquidem mortuo Wilhelmo, invito(f) fratre Baldui-
no, alium maritum duxerat, Widonem(g) nomine, quem non longè locave-
rat, & eum ad verba Domini Patriarchæ ad præsentiam ipsius exhibuerat.
Quid plura? statim ad voluntatem Domini Patriarchæ & aliorum, qui de la-
tere ipsius erant, inungitur Wido, clausis portis Hierosymæ tota die illa, ea vi-
delicet Dominica, qua cantatur: Omnes gentes plaudite, &c. Quæ verba cle-
rus, qui regi adulabatur, ea die Propheticè introducta interpretabatur. Et
abierunt omnes læti, dicentes, Vivat rex in æternum, nescientes ei magis im-
7 minere maledicta Zedechiæ quàm vaticinia prophetiæ. Hæc autem subita-
nea consecratio ideo facta est, quia non bene sentiebant de Comite Regimun-
do: quia idem ad regnum aspirans cum Saladino familiaritates habere vide-
batur.

batur. Displicuit tamen sermo iste in oculis fratrum de hospitali B. Ioannis: quia regnum quatuordecim annos in manu Comitis à Balduino rege positum erat, consentientibus omnibus, etiam multis religiosis viris hæc confirmantibus.

Emelrici, a) Emelricus, aliis Almaricus, anno 1175. V. Id. Jul. mortuus est. *Wilh. Tyr. l. xx. c. 33.* Ad annum sequentem refert *Marin. Sanut. l. III. part. 6. c. 23.*

Wilhelmo. b) Hic erat Wilhelmus de Longaspata, frater Conradi, filius Wilhelmi, Marchionum Montisferrati, juvenis nobilissimo genere ortus. Nam pater Wilhelmus Philippi, Galliarum Regis, avunculus erat: mater Conradi, Romani Imperatoris soror, & Friderici Imperatoris amita. Armorum præterea peritia excellebat, & præter formæ dignitatem etiam aperti pectoris candore commendatus erat. Hunc Rex Balduinus consentibus Principibus vocavit, eidemq; Sibyllam sororem elocavit, Joppe & Ascalone urbibus cum locis vicinis in dotem additis. Venit in Syriam anno tertio Balduini IV. i. e. anno 1176. circa Octobris initium: mense sequente nuptiæ contractæ sunt. Sed vix tribus matrimonii mensibus exactis in valetudinem adversam incidit, cum qua ubi duos fere menses conflictatus esset, mense Junio extinctus est. *Tyrius l. XXI. c. 13.*

ungi. c) *Tyrius l. XXII. c. 29.* unctionem anno 1183. 20. Nov. factam scribit. *Sanutus* in ann. 1181. collocat, *l. III. part. 6. c. 24.*

migravit. d) anno 1185. *Sanut. ibid.*

Puer. e) anno 1186. *Idem.* Putatum est, veneno tutoris sui, Comitis Tripolitani, extinctum esse, *Gulielm. Neubrig. l. III. c. 15.*

invito. f) Non invito, sed jubente & nuptias conciliante fratre Rege huic Guidoni nupserat, ùt scribit *Tyrius l. XXII. c. 1.* imò Rex valetudinarius totius regni administrationem Guidoni commiserat, ùt addit *Sanutus.* Cùm enim Balduinus vereretur, ne Boamundus Antiochenorum Princeps, & Raymundus, Comes Tripolitanus, regnandi aviditate illecti sibi regnũ assererent, maturabat sororis nuptias, ut, si ipse vitâ decederet, esset, qui statim in regno succederet.

Widonem. g) Nomen viri variè scribunt. Guido de Liziniaco, ut *Tyrius l. XXII. c. 1.* de Lisinio, ut *Sanutus.* Wido de Limoche, ùt *Stadensis, ann. 1186.* de Lizinant, *Roger. de Hov. part. post.* Wido Lusignanus, ut pleriq;. Pater ei fuit Hugo Brunus; patria Episcopatus seu Comitatus Pictaviensis.

CAPUT XXIIII.

1. *Raymundus Widonis clientelam detrectat.*
2. *Cæteri regni Primates Regi se conjungunt.*
3. *Raymundus cum Saladino, conspirat.*
4. *Saladinus ad occupandam Judæam se præparat.*
5. *Hospitalarij ad D. Johann. proditionis suspecti sunt.*
6. *Radgerus, magister Ordinis, ut*

suspicione illos liberet, Comitem verbis castigat.
7. Comes admonitus offert se ad pacificationem cum Rege.
8. Filius Saladini stragem in Christianis militibus edit. Kal. Maii.

1 IGitur Wido confirmatus in regem, misit ad primates regni, ut venientes hominium ei facerent & beneficia regalia de manibus ipsius susciperent. Inter quos etiam misit ad Comitem (a) Tripolensem, ut sicut præ cæteris dignior videretur, ita præ cæteris regẽ sua exhibitione honoraret. Qui audiens quod factũ esset, primò quidem obstupuit, pòst cum admiratione ita respondit, dicens: Balduinus quidem puer, qui in regem unctus fuerat, recenter mortuus est, & neq; si rex sit, audivi, & tu me dicis ad regẽ properare. Quis est iste sermo, quem locutus es? quis unquam regnat sine electione primorum & consensu populorum? Nemo enim seipsum facere regem potest, nisi tyrannicè velit dominari. Omnibus autem notum esse, non dubito, Balduinum regem me tutorem pueri Balduini regis statuisse quatuordecim annis, quod multorum religiosorum testimonio affirmare possum, quos spero propositum suũ mutare non velle: quod siquidem, quod absit, fecerunt, me tamen sciatis, ad regem non venire: quia nihil mihi cũ rege vestro. Quæ enim possideo, magis ex libertate, quàm ex beneficio teneo. His dictis avulsus est ab eis. Illi autẽ ad Dominum suum reversi sunt. Hac igitur occasione discordabant inter se Rex & Comes per annum & dimidium, & manifestas ad invicem inimicitias exerce-
2 bant. Invalescebat tamen pars regis, ut quoq; nobiles ad ipsum venirent, & susceptis ab eo beneficiis hominium ei facerent. Acconitæ verò, qui in parte Co-
3 mitis esse videbantur, mutata voluntate ad regem se contulerũt. Comes verò quasi fuga elapsus abiit Tiberiadem (b). Saladinus autẽ (c) rex Damasci cognita controversia, quæ inter Regem & Comitem erat, lætatus est valde, & quia terræ sanctę semper insidiabatur, tali occasione introitum se habere posse arbitratus est. Quod & factum est. Nam Comiti per suos mandavit, dicens: Constans esto: scio quòd injustè tecum agitur: tibi enim regnum ex dispensatione Balduini regis jure debetur, quod ut contra Widonem vi obtinere valeas, ego tibi ad contrahendam militiam pecuniam dabo copiosam. Quòd si hoc modo prævalere non potueris, ego per meipsum in manu valida veniam, & ejectis hostibus tuis de terra, te super omnes regẽ constituam: Tu tantùm jura mihi per legem Dei tui, ut liberum mihi transitum per te permittas, & tu cum tuis salvus consistas. Comes igitur sub jurejurãdo astrictus est Saladino, cujus au-
4 xilio multa contra regem molitus est. Saladinus verò collecto exercitu non solùm ex omnibus finibus regni sui, sed etiam de regnis finitimis contrahens

auxilia,

auxilia, ad destructionem terræ sanctæ paulatim se præparabat. Inter hæc fu- 5
erunt, qui dicerent de domo (d) B. Ioannis: Vos contra populum Dei iniquè
agitis. Vos enim cum Comite conspirationem fecistis: quia nisi ille de vobis
confideret, nunquam contra regem tanta ac talia præsumeret. His auditis 6
Magister ejusdem domus, Radgerus nomine, vir prudens & religiosus, abiit ad Comitem, & sic ei locutus est: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Quare contra populum Dei cogitasti consilia? Tu cum Iuda traditore portionem tuam posuisti, dum cupiditate regnandi seductus, contra jus & contra religionem Dei cœli Saladino fidem fecisti. Sed nunc acquiesce consiliis meis, & reconciliare Deo, quem negasti; reconciliare regi, quem offendisti, ne fiant novissima tua pejora prioribus. His exterritus Comes, ita respon- 7
dit, dicens: Cur me sic accipis, serve Dei? nonne tu scis, quàm injustè mecum agitur? Ego enim de his, quæ justè possedi, violenter ejectus sum. Recordare quâm rationabili dispensatione regis Balduini, quàm promta voluntate Domini Patriarchæ, consensu etiam omnium primatum, Baronum, Templariorum, Hospitalariorum tutelam pueri regis suscepi ad quatuordecim annos, sive idem puer duraret, sive vita excederet, nisi fortè rex Angliæ vel per se, vel per filium suum huic regno subvenire voluisset. Et cùm luce clarius constet, me tibi vera locutum, tamen ne tantorum malorum videar occasio, & populi Dei perditio, ecce acquiesco consiliis tuis, & cum rege compositionem facio, si tamen ea, quæ in negotiis regni expendi, restituere spoponderit. His auditis, Radgerus reversus venit ad regem, & ei per ordinem exposuit, & bonus visus est sermo in oculis ejus. Rex autem non solùm ea, quæ expenderat, reddere promisit, quæ tamen ille fideli testimonio assignare potuisset, verùm etiam ad beneficium suum divitias & honores addere spopondit. Cumq; reversus esset ad Comitem, ut eum ad præsentiam regis conduceret, mandavit ei Comes per suos, dicens: Vide ne per viam, qua veneras ad me, revertaris: quia
insidiæ ibi sunt. Siquidem (e) filius Saladini latenter terram intraverat, Comi- 8
te tamen conscio, & cum decem millibus consistebat in valla Chanaan. Quidam etiam Canonicorum anhelo cursu venientes de Nazareth, affirmabant castra hostium esse prope eos, præsidium flagitantes. His auditis, Radgerus divertit ad Magistrum templi, qui non longè in castello, nomine Saba, cum quinquaginta militibus consistebat. Consilio autem habito, miserunt exploratores, qui reversi sunt, dicentes non nisi duo millia ibi esse. Illi enim insidias in montibus ex utraq; parte tetenderant, & sic exploratores delusi erant. Milites autem Christi gavisi sunt, dicentes: Tradidit eos Dominus in manus nostras. Cumq; ascenderent ad eos, illi fugam simulabant, donec insidiæ, quæ latebant, consurgentes & circundantes illos, omnes in ore gladii percusserunt.

Comitem. a) Quatuor Principatus, seu Comitatus Christiani in Syria constituerant. Primus erat Edessanus, in Edessa urbe, trans Euphratem sita, quæ Rages olim dicta. Secundus Antiochenus, ab illa Antiochia, quæ in Cœlesyria sita fuit. Tertius Tripolitanus, à Tripoli ita dictus, urbe maritima in Syria Phoenicia. Hanc Raimundus, Comes Tolosanus, obsedit, atq; in obsidione mortuus est. Bertrannus filius post septem annorum obsidionem eam cepit. Ab hoc Bertranno reliqui Comites Tripolitani descendunt. Quartus deniq; fuit Hierosolymitanus, quem Reges tenebant. Vide de his *Jacob de Vitriaco Histor. Hieros. l. I. c. 30. & seqq.*

Tiberiadem, b) nam cum domina Tiberiadis & totius Galilææ matrimonium contrahebat. *Sanut. l. III. part. 6. c. 24.*

Saladinus. c) Erat Saladinus princeps Saracenorum, homo non acuti solùm ingenii, quo cæteros illa ætate principes superavit, sed opibus etiam, ac multis rebus fortiter gestis universo Orienti jam formidabilis. *Guilelm. Neubrig. l. III. c. 10. Car. Sigon. l. XV. de regno Ital. ann. 1184.*

de domo. d) Qui hîc fratres de domo S. Johannis dicuntur, iidem cum illis sunt qui cap. seq. Hospitalarii appellantur. Præter alios religiosorum cætus duo inprimis eorum ordines in Palæstina tunc temporis claruere. Primi fuere Hospitalarii. Illorum hæc origo: Diu ante Godefridi adventum nonnulli religiosi in urbe Hierusalem tolerati fuere, qui tandem Hospitale S. Johannis Eleemonis ædificarunt. Hi post Godefridi adventum habitum regularem susceperunt, albam crucem, vestibus in pectore additam gestantes. Vita erat pia & religiosa, pauperibus ministrare, primarium vitæ institutum. Tandem bonis mirum in modum ditati, oppidis & terris aucti sunt. Circa ann. 1309. Rhodum insulam occuparunt, eamq; magna gloria duobus amplius seculis tenuerunt; donec anno 1522. à Solymanno superarentur.

Alter ordo Templariorum fuit, isq; per hanc occasionem ortus. Cùm illi, qui religionis causâ Hierosolymam contendebant, à latronibus, qui vias obsidere solent, spoliarentur, & sæpe interimerentur, novem viri religione tacti ad pium opus se devovebant, ut itinera tuta præstarent. His primùm juxta Templum Domini habitatio concessa est; unde fratres Militiæ Templi & Templarii dicti. Iisdem anno 1128. ab Honorio Papa certus ordo tributus, & habitus albus sine cruce concessus est. Pòst ab Eugenio Papa cruces rubeas & vestes albas obtinuerunt. Dubitares, religiosiusne viverent, an fortiùs pro terra sancta tuenda pugnarent, ita in utroq; excellebant. Brevi tempore ad trecentos excrevere, atq; exemplo Hospitalariorum terras et oppida sibi acquisivere. Magister ordinis Hierosolymis semper residebat. His paulò pòst, proximâ Christianorum in Syriam expeditione, tertius Ordo accessit, videlicet Teutonicus; de quo infra ad cap. 36. Vide *Jacob. de Vitriaco c. 64. 65. Sanut. l. III. part. 7. c. 3. Polydor. Vergil. de rer. invent. l. VII. c. 5. Anton. Sabell. Ennead. IX. l. 4. Gabriel. Prateolum Elench. hæres. l. XIIX.*

Siquidem. e) Saladinus de innumerabili sua militia decem millia per terras Comitis Tripolitani (id enim inter ipsos pactum erat, *supra n. 3.*) præmiserat, qui Christianos primùm velitationibus lacesserent, atq; in insidias pertraherent. Contra hos magister Templi cùm sociis fere LXX. & Magister Hospitalis cum paucis militibus egrediuntur. Summa omnium CXX. mi-

CXX.militum fuit. Conflictu inito Magister Hospitalis cadit cum sexaginta militibus: Magister Templi, Tericus, cum paucis fugâ elabitur. Clades Kalendis Maii contigit. Sequenti Iulio Turci cum omnibus copiis Tiberiadem obsident. *Jacob. de Vitr. c. 94. Sanut. l. III. part. 9. c. 4. G. Neubrig. l. III. c. 15. Baron. ann. 1187. n. 4.*

CAPUT XXV.

1. *Saladinus ipse in terram sanctam movet.* - - - - - - *1187.*
2. *Wido illi occurrit.*
3. *Saladinus succendit Tiberiadem.*
4. *Comes Tripolitanus Christianis recta suadet.*
5. *Wido in prælio capitur: reliqui aut cadunt, aut capiuntur.* *1187*
6. *Saladinus Christianos coram ligno crucis impiè deridet.*
7. *Jubet eos aut Mahometum adorare, aut sententiam mortis exspectare.*
8. *Illi propter constantiam supplicio ab ipso affecti sunt.*

IGitur militibus Christi in confessione Domini occumbentibus, illi cum gau- 1
dio ad sua reversi sunt. Saladinus autem audiens Radgerum cecidisse, lætatus est, & ait: Nunc conclusi sunt in manibus nostris: quia periit consilium ab eis, quòd mortuus sit ductor eorum. Admodo igitur exercitu, cum multitudine gravi intravit terram per pontem Tiberiadis, & juxta Saffret (a) castra metatus est. Rex autem cum omnibus terrę primatibus, inter quos Episcopi cum 2
ligno Domini, occurrit ei, è regione castra metatus, & erant montana inter eos. Cumq; per aliquot dies in excubiis fuissent, & utrobiq; ad invicem accedere timerent, Saladinus cum omni multitudine Tiberiadē reversus est. Populus autem Domini credens eum fugam inire, ascendit ad montana. Ille (b) 3
autem cepit Tiberiadem, & succendit eam igni. Comes (c) verò Tripolensis 4
dissuasit militibus Christi ascendere in montana, dicens: Non ascendatis in montana: quia impetum Saladini ferre non potestis: sed si ille terram exire disponit, victoriam maximam reputetis. Castrum, quod succensum videtis, meum est: non sit vobis curæ: ego libenter hanc jacturā sustinebo. Ille verò etsi fraudulenter, sapienter tamen locutus est. Sed non est consilium contra Dominum, qui propter malitiam hominum terribile super terram illam exercere volebat judicium. Cumq; omnino cum Saladino confligere decrevissent, ille subtractus ab eis cum suis intravit Surs (d), castrum firmissimum. Saladinꝰ 5
igitur cognoscens populum Dei ascendisse in montana, & ibi per biduum siti exaruisse tam homines quàm jumenta, dixit suis: Filii mortis sunt homines isti: quia non solùm siti defecerunt, sed cùm sint pauci numero, effugium eis negavit ipsa loci angustia. Appropiante (e) igitur parte adversa, ordinata est

Xx 3 facies

acies Christianorum,& rex erat in capite cum Episcopis & victoriosissimo ligno Dominicæ crucis:quam sequebantur Templarii & Hospitalarii cum Baronibus & militibus & populo terræ.Sicq; desiderata congressione facta confligunt fideles cum infidelibus. Sed nostrates amore mortis animati audacter irruerunt in eos, & vi hostiles acies irrumpentes, manus suas domino consecraverunt,cecideruntq; adversarii à dextris & à sinistris.Sed quia siti exaruerunt,infirmati sunt,& prævaluit pars adversariorum,& captivatus(f)est Rex, trucidati Episcopi & crux Domini à suis hostibus capta est, omnesq; ferè aut occisi sunt gladio,aut hostilibus manibus comprehensi,ita ut pauci per fugam elapsi cognoscantur.Fit igitur clamor gentilium ad cœlum blasphemantium
6 nomen Dei vivi,& subsannantium populo Dei. Filius autem iniquitatis prosperatus in via sua,& evanescens in cogitationibus suis, dicens in corde suo: Non est Deus, &c. sequenti die inter ipsa funera thronum gloriæ suæ erexit, ponensq; coram se crucem Domini,circumstante multitudine procerum suorum,præcepit adesse multitudinem captivorum,ponensq; in cœlum os suum, sic omnibus locutus est: Vos estis infelices illi cultores illius Nazareni, qui dicitur Iesus, qui dudum in terra ista à Iudæis crucifixus est,quem vos vana superstitione delusi Deū esse creditis,& mutato ritu sacrificiorum, qui ab antiquis patribus in lege Dei ordinatus est, pro carnibus & sanguine hostiarum mille pauxillum panis & vini sub sacramento carnis & sanguinis illius crucifixi offertis, & hac præsumtione diu terram meam & patrum meorum vobis usurpastis. Sed nunc quid possit Deus vester vidistis:unde per virtutem Dei
7 mei Maumeth manum meam excelsam sensistis. Nunc ergo unum è duobus eligite,aut mihi consentientes Deum meum adorate,aut coram cruce vestra sententiam decollationis accipite. Cui milites Christi responderunt, dicentes: Verè cultores sumus Iesu Christi Nazareni, qui Deus est & Dei filius, qui opere Spiritus sancti de immaculata virgine conceptus & natus est,& pro peccatis omnium in se credentium in hac terra crucifixus non solùm de morte surrexit, verùm etiam ad cœlos ascendit. Pro cujus nomine & honore bonum certamen certavimus,& cursū consumare felici perseverantia optamus. Hunc adoramus,hunc laudamus,hunc Deum, & Dominum omnium confitemur.Illum verò Maumeth,filium perditionis,quem Deum tuum dicis,irridētes,qui post semen bonū Apostolorum in terra vestra superseminavit zizania, & præstigiis suis seduxit corda hominum,negamus, execramur, & similiter
8 te cum tuis tortoribus despicimus. His dictis, omnes de conspectu suo ejecti sunt,& altera die Templarii & Hospitalarii decollati(g)sunt,eo quòd illos præ cæteris exosos habuerit. Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.Gloria tibi Christe,quia quamvis peccatores,

devotos

devotos tamen etiam in diebus nostris habes confessores. O quanti sunt, qui sæpe expugnati à juventute sua in tali certamine victores existerent, & sub tali optione vitā & omnia vitæ blandimēta promptissimè respuerent, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat per omnia secula seculorū.

Satfret. a) Juxta fontem Sephoritanum, qui inter Nazareth et Sephorim est, Regem Amalricum castra locasse, scribunt *Wilh. Tyr. l. XX. c. 27. Jacob. de Vitr. c. 94.* primùm quidem, ut ibi in medio regno consistere, indeq; commodius ad quasvis ejus partes tutandas excurrere posset: deinde quòd inibi propter graminis & aquarum copiam Reges Hierosolymitani exercitus fere cogere solerent. Ad eundem fontem congregat omnem suum exercitū Balduinus *IV. Tyr. l. XXII. c. 16.* Sita est urbs Sephorim & fons ille in tribu Zabulon. *Christ. Adrichom.*

Ille. b) Ita & hîc verum illud Hesiodeum, *l. I. v. 264.* ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Comitis Tripolitani perfidia Saladinus intromissus in terram erat: ejusdem urbs Tiberias omnium prima ab illo Vulcano traditur.

Comes. c) *Sanutus* contrà scribit, Comitem suasisse, ut montana loca tutarentur.

Surs. d) Nomen est ex Hebræo צוּר. Pro illo Syri תוֹר dicunt; ex quo Τύρος, *Fulcberius Carnotensis* ita: Incolæ Sur nominant: nam Hebraicè Soor dicitur, *ad ann. 1099. c. 17.* Conradus Marchio de Sur literas Imperatori misit. *Godefrid. Monach. ann. 1189.* ubi Sur non est Syria, uti existimat *Marq. Freherus*, sed Tyrus. *Sanutus* ait, Comitem ad castrum Saphet confugisse. Tyri descriptio est apud *Borchardum Monachum, part. I. c. 2. §. 5.*

Approp. e) Gestum est prælium IV. Non. Jun. anno 1187. Acconensis Præsul, qui crucem portabat, accepto lethali vulnere, eam Regi tradit. Rex cum cruce capitur. Episcopi cum Templariis & Hospitalariis, & cum omni fere multitudine CIↃ CC. & peditum triginta mill. cadunt. *Jacob. de Vitr. l. 1. c. 94. Sanutus* prælium refert ad 2. Jun. ann. 1188.

captivatus. f) à Tokedino, Saladini nepote, ut addit *Guilielm. Neubrig. l. III. c. 16.* qui ibid. narrat, Comitem Tripolitanum, cæterosq; Christiani exercitus Principes, qui pleriq; cum Saladino occultè pactum fecerint, in prælio præclaram illam Templi militiam, hosteis fortiter proterentem, non secutos esse, sed perfidiosè deseruisse et hostibus prodidisse.

Decollati. g) ducenti & triceni. *Baron. ann. 1187. n. IV. ex Rogerio.*

CAPUT XXVI.

1. *Saladinus Ptolemaidem deditione capit. - - - - - 1187.*
2. *Tyrum frustra oppugnat.*
3. *Sidonem, Gibeletum & Berythum capit.*
4. *Ascalonem occupat, & Widonem liberum dimittit.*
5. *Hierosolyma deditur: incolæ pecuniâ se redimunt, IV. Kal. Oct. 1187.*
6. *Templum profanatur: lignum crucis ludibrio habetur.*

Igitur

1 IGitur occiso populo Dei, Saladinus totam obtinuit terram, depopulatisque omnibus, omnē civitatē munitam percussit in ore gladii. Omnia loca sancta destructa sunt; religiosæ personæ tam virorum quàm mulierum aut trucidatæ aut in captivitatem abductæ sunt. Sed & virgines Deo dicatæ vim pertule-
2 runt, Primò autem obtinuit Accon(a), deinde veniens Surs(b), quæ alio nomine Tyrus dicitur, & per mensem oppugnavit eam. Quam cum capere non po-
3 tuisset, abiit Sidon, & cepit eam. Deinde Iubeleth(c), postea Baruth(d). Quam cùm obtinuisset, creavit sibi nomen novum: quia ibi est coronatus, &
4 Babyloniæ rex salutatus. Inde via, qua venerat, reversus, venit Ascalonem, quam fratres de hospitali firmissimè munierant, & obsedit eam. Quā cùm obtinere non posset, dixit regi captivo: Persuade populo tuo, ut tradant mihi civitatē hanc, & alias, quas tenent Templarii, & ego te à captivitate relaxabo, & triginta de nobilioribus tecum. Qui lætatus, misit ad Ascalonitas, & sic eis locutus est: Rogo, ut faciatis mecum misericordiam, & liberetis me à captivitate & viros, qui mecum sunt: quia sic & sic Saladinus locutus est. Qui responderunt: Tu quidem rex noster eras, sed nunc nec teipsum nec alios salvare potes: ideoque scias, quòd civitatem Domini gentilibus non trademus. Scis etiam, quia omnia castra firmissima in manibus sunt Templariorum: & ideo parum ad nos de tua liberatione. His auditis, Saladinus magis oppugnavit civitatem, erexitque contra eam machinas multas, & fregit munitiones, & turres comminuit. Quod videntes qui intus erant, pro liberatione regis obtulerunt(e) civitatem. Quam ille acceptare noluit sub conditione priore. Rex tamen cum paucis liberatus est, & qui in civitate erant, exierunt illæsi,
5 & Saladinus intravit civitatem. Post hæc convertit exercitum ad expugnandum civitatem sanctam, & obsedit eam. Quidam autem de melioribus, qui intus erant, animaverunt cæteros, dicentes: Pugnemus viriliter, & moriamur cum fratribus nostris. Nonne iste est locus dominicæ passionis, in quo Christus pro nobis mortuus est? Nunc ergo eamus & nos, & læti moriamur cum illo, ut similiter consurgamus cum ipso. Alii autem qui nondum cupiebant dissolui, & esse cum Christo, non acquieverunt sermonibus istis, sed pro sui liberatione legationem miserunt Saladino. Qui propter frequentes oblationes peregrinorum credens ipsam civitatem opulentissimam, infinitum aurum expetiit ab eis, ut quivis pro suimet liberatione daret mille Bizancios. Sed cùm multo minus inventum fuisset, acceptavit centum. Sed nec hoc stare potuit. Tandem hoc definitum est, ut absque his, qui majores & ditiores erant, quilibet masculus daret decem aureos, fœmina quinque, & abirent illæsi. Qui verò prædictam pecuniam non haberent, pro redemtione vitæ servi essent &

essent & ancillæ. Cùm autem (f) obtinuissent civitatem sanctam inimici Christi, non pepercit oculus eorum sanctuario Dei, sed ipsum templum stabulum equorum facientes, destructo omni ornatu ad contumeliam Christianæ religionis, scelera multa ibidem perpetraverunt. Sepulcrum Domini tamen religiosis viris tali conditione deputatum est, ut tributum Saladino de oblationibus peregrinorum, qui sepulcrum sub conditione pacis visitabant, ministrarent. Siquidem Saladinus consulens quæstui avaritiæ, hoc statuerat, ut si quis Christianorum sepulcrum Domini visitare vellet, byzantium auri pro suo conductu daret, & liber iret & rediret, dum modò illuc nulla secum arma deferret. Sicq; humiliata civitate sancta, renovatum est illud lamentationis carmen Ieremiæ: Quomodo sedet sola civitas, plena populo? facta est quasi vidua, domina gentium: princeps provinciarum, facta est sub tributo. Crucem etiam Domini à suis apparitoribus tractari præcepit, dicens: Crucem captivam, in qua habetis fiduciam, similiter concaptivi adorate, donec experiar virtutem Dei vestri, si verè possit eruere vos de manibus meis.

Accon. a) Urbem hanc deditione Saladinus accepit, civibus, qui remanere vellent, & quotannis tributum solvere, securitatem præstitit, cæteros incolumes dimisit. *Mar. Sanut. l. III. part. 9. c. 5. Gulielm. Neubrig. l. III. c. 17.*

Surs. b) Tyrum frustra Saladinus oppugnabat à d. festo Martini, usq; ad Circumcisionem Domini, Conrado Marchione illam defensante, *Sanut. ib. c. 8. Neubrig. c. 19.*

Jubeleth. c) Non uno modo nomen urbis hujus effertur. Scribitur enim Iubeleth, Gybeleth, Gibleth, Gibeletum; Biblus, Byblus & Biblium. Βύβλος *Pomponio Melæ l. I. c. 12.* Βύβλος, τȣ̃ Κινύρȣ Cinyræ regia, in qua Adonidis templa fuerunt. *Strabo Geog. l. VI.* Jacet in excelso loco, non procul à mari, *Jacob. Ziegler in Syria, f. V.* Giblios & Biblios tantùm per commutationem literarum dici, cùm elementum *g* subinde in *b* transire soleat, autumat *Cornel. à Lap. in I. Reg. V. 18.* Tempore Josuæ tractus istius terræ הארץ הגבלי appellatus, *Jos. XIII. 5.* Incolæ urbis & vicinæ regionis גבלים Giblæi, Gebalitæ, Giblii vel Bibli: *I. Reg. V. 18.* dicti, qui architecturæ erant peritissimi, atq; propterea ibi inter structores templi numerati. Pleriq; etiam antiquissimi Judæorũ interpretes ibi per גבלים certum populum intelligunt, ut רש״י qui scribit Giblim sunt natio, cujus nomen Gebal, & exercitati in aptandis lapidibus, atq; in ædificando. Adducitq; ibidem locum ex *Ezech. 27. v. 9.* de urbe Tyro, ubi זקני גבל וחכמיה seniores in Gebal & prudentiores, tanquam architecti artificiosissimi, Tyriorum naupegi & curatores navium fuisse dicuntur. Etiam רל״בג de certo populo intelligit, qui ita ad eam vocem

commentatur : והם מעם גבל היו מהם בקיאים בזאת המלאכה i.e. Et illi de populo Gebali fuerunt ex illis exercitati in hoc opere. רד"ק quidem primùm Giblim exponit per אומנים ידועים לפיסול האבנים i.e. per artifices, peritos excidendi lapides. Sed tamen paulò pòst subjungit, esse qui per Giblim intelligant, אנשי גבל viros Gebalis, idq; itidem ex *Ezech. 27. v. 9.* illustrat. *Sebast. Munsterus* dicit, esse qui Giblim exponant per פסלי האבן, vel ואמני אבן. Ut Deus contra populum Gebal & reliquos hostes ecclesiam suam tueatur, David piis precibus contendit, *Ps. 83. 8.* Erant igitur Giblii vicini Sidoniis, in Gabala Phœniciæ Tetrarchia. Urbs eorum ad mare Phœnicium intra Baruthum & Tripolim Syriæ sita fuit. *R. D. Kimchi* nomen putat derivari ex significatione vocis גבול termini, quia dolando lapidem dent ei terminum, vel eleganti figurâ lapidem terminent. At *Tremell.* ad *Jos. XIII. 5.* autumat, nomen urbis & terræ istius esse à Gebale, promontorio supra Sidonem, de quo *Plinius l. V. c. 20.* De Biblio vide & *Borchardum Monachum part. I c. 2. §. 10.*

Baruth. d) Urbs hæc *Josepho* & *Straboni l. XVI.* Βηρυτὸς, Et in argumento Disputationis *Zachariæ Scholastici de mundi opific.* ἡ τῶν Βηρυτίων, dicta. Erat civitas Phœnices provinciæ, colonia Romanorum. *Joseph de bello Jud. l. VII. c. 7.* Ideo *Pomponius Mela* in Phœnicia ad oram Antiochiæ collocat. *l. I. c. 12.* Quanta munificentia Rex Agrippa eam exornârit, amphitheatro atq; aliis publicis ædificiis maximo sumtu excitatis, describit *Joseph. Ant. Jud. l. XIX. c. 7.* Hanc Balduinus I. anno 1110. mense Februario obsederat, & post LXXV. dierum obsidionem vi ceperat, magna strage in illa edita. *Jacob. de Vitriaco l. I. c. 26. Auctor Histor. Hierosol. part. II. pag. 609.* Permansit ergo in Christianorum potestate ab anno 1110. ad annum 1187. annos videlicet septuaginta & septem. Civitas Berytus metropoliticum jus à Theodosio minore impetravit, *Jus Græco-Roman. Tom. I. l. IV.* Beryti descriptionem habent *Borchardus Monachus part. I. c. 2. §. 9. Mart à Baumgart. l. III. cap. 9. Jacob. Ziegler in Syr. f. V.*

obtulerunt. e) Ascalon ea conditione deditur, ut Guido Rex & Magister Templi liberentur, *Jacob de Vitriaco cap. 95. Mar. San. l. III. part. 9. c. 6.* Series rerum pòst gestarum hæc est: Guido liberatur, & Tyro exclusus, Ptolemaidem obsidet: Barbarossa interim in Cilicia perit: filius ejus Guidoni se jungit: Magister Templi in conflictu ad Ptolemaidem cadit: Sibilla vita excedit: Conradus Marchio Isabellam, Sibyllæ sororem, marito ereptam, uxorem ducit: Rex Galliæ ad Ptolemaidem circa Pascha appellit: Rex Angliæ priùs Cyprum expugnat, & in Augusto ad obsidionem Ptolemaidis accedit: Cyprum Anglus primùm anno 1191 Templariis tribuit: anno tamen sequente eam consentientibus Templariis Guidoni resignat: Richardus anno 1193. patriam repetiturus capitur.

Cùm autem. f) De deditione urbis sanctæ *Guilelm. Neubrig. l. III. c. 17.*

CAPUT XXVII.

1. Clemens III. Christianos ad recuperandam Hierosolymam animat. | *2. Cunctos ad agendam pœnitentiam adhortatur. 1188.*

ANno verbi (a) incarnati millesimo centesimo octuagesimo septimo, mense Iulio, IIII. Non. ejusdem devastata est terra promissionis, & capta est civitas sancta IIII. Cal. Octobr. à Saladino, rege Sarracenorum, Romæ præsidente Gregorio Papa, qui successerat Domino Urbano (b), regnante Friderico Imperatore Romanorum. Post discessum verò Gregorii, qui paucis sedit diebus, Dominus Clemens in sedem Apostolicam sublimatus est. Qui dolens de excidio ecclesiæ Hierosolymitanæ, in universum orbem Romanum epistolas direxit, scribens omnibus ecclesiis de tam impia traditione & occisione servorum Dei, & de cæteris abominationibus à Sarracenis in terra sancta perpetratis, incitans in omnes zelum impiorum, & ad ultionem sanguinis sancti. Et pro liberatione ligni Dominici & civitatis sanctæ, remissionem (c) omnium peccatorum Apostolica auctoritate pollicitus est. Hortatus est etiam u- 2
numquenque, discedere à via sua mala, & temperare à superfluitate Iudorum & vestibus fluxis & irreligiosis, in quibus superbia vitæ & concupiscentia carnis & oculorum dinoscitur, ac si omnibus diceret: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc pro gloria crucis sanctæ, cujus cultores estis, exhibete vos servire justitiæ in sanctificationem. Iejunia etiam quædam omnibus indixit, & orationes publicas in canone in omnibus ecclesiis, monasteriis, parochiis celebrari constituit, psalmum videlicet, Deus venerunt: qui omnes miserias in sancta terra perpetratas, similiter & peccata, quibus iram meruimus, prophetice commemorat.

Anno. a) *Godefridus Monachus*, & Heimericus apud *Baronium ann. 1187. n. V.* & plerique referunt eum Auctore nostro ad annum 1187. *Albert. Stad.* & *Sanut.* rejiciunt in ann. 1188.

Urbano. b) Urbanus Ferrariæ XIII. Kal. Novemb. mortem obiit. Successit Gregorius VIII. qui VIII. Kal. consecratus est. Gregorius post septem hebdomadas in fata concessit. Surrogatus est Clemens III. VIII. Idus Januarias anno 1188. *Jacob. de Vitriaco l. I. Histor. Hierosf. c. 97.*

remiss. c) Eandem Gregorius in suis literis IV. Kal. Nov. largiter promiserat, apud *Gulielm. Neubrig. l. III.*

CAPUT XXVIII.

1. Christiani in Occidente deplorant cladem Hierosolymitanam. 1188.
2. Friderico Cæsare ductore belli sacri, se ad iter parant.
3. Imperator Goslariæ in conventu Principes quosdam conciliat. 1188.
4. Henricum L. si detrectet hoc iter, altera vice triennium exulare jubet.

1 OMnes igitur eccleſiæ filii in toto orbe terrarum diffuſi, perſpectis epi-
ſtolis Apoſtolici,timuerunt valde,& repleti ſunt ſtupore & ecſtaſi in eo
quod ſignificatum fuerat illis. Communis fuit mœror omnium una voce
plangentium: Eheu, ut quid nati ſumus videre contritionem populi Dei &
terræ ſanctæ, in qua ſteterunt pedes Domini exercituum, qui venit in hunc
mundum ſalus omnium. Nunc cecidit corona capitis noſtri, reverſus eſt in
luctum chorus noſter. Sancta noſtra prophanata ſunt, templum Dei viola-
tum, & coinquinaverunt illud gentes. Civitas ſancta immunditiis repleta
eſt,lignum Dominicum inter alienigenas detinetur, quod à nobis utique ſuis
cultoribus,conſtanter requiretur. Nunc ergo accingatur unuſquiſque enſe
ſuper femur ſuum,& compatiendo fratribus noſtris moriamur cum ipſo, qui
pro nobis mortuus eſt, quia ſicut ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, ſic &
nos debemus ponere animas pro fratribus. Ad vindictam ergo zeli domus
Dei,& in ultionem ſanguinis juſti,egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa
de thalamo ſuo: ceſſent dies lætitiæ, canticum & tibia non audiatur in pla-
2 teis,temperet ornari ſolito plebs læta choreis. Hujuſcemodi ſtudiis incitati
omnes terræ glorioſi(a),ſub quibus curvatur orbis, & nobilis & ignobilis, ſi-
militer in unum dives & pauper (ceciderat enim ſuper omnes timor & indi-
gnatio)unanimes ad expeditionem Hieroſolymitanam aſpirabant. Et ſigna-
ti ſigno ſanctæ crucis in remiſſionem peccatorum ſuorum, iter arripiunt.
Præcipuus autem erat & ſignifer Dominus Fridericus(b), Romanorum Im-
perator,qui honorem Romani imperii exaltare cupiens,ad expugnandos ini-
micos Chriſti robur militiæ ſuæ convertit, bonam conſummationem certa-
minis ſui exiſtimans,quòd tam pro Deo quàm pro temporali honore certave-
rat,ſi finem dierum ſuorum tali labore concluſiſſet. Qui ut ſapiens archime-
tator ipſam expeditionem prudenter ordinavit, præcipiens omnibus regni
ſui peregrinis, tam equeſtribus quàm iis, qui navigio ituri erant, ut poſt an-
3 num adveniente Majo omnes parati eſſent. Ipſe verò Moguntiæ per prædi-
cationem Herbipolenſis Epiſcopi Godefridi, & aliorum prædicatorum, cum
multis nobilibus inſignitus ſignaculo ſanctæ crucis, apud Goslariam pro di-
verſis regni negotiis curiam generalem indixit. Ubi quoſdam diſcordantes
reconciliavit, quædam etiam caſtella propter latrocinia prohibenda dirui
præcepit,ut pacatis omnibus iter propoſitum tanto devotius quanto liberius
expleret. Ducem etiam Henricum illic adeſſe voluit, ut quia diſcordia non
4 parua inter Bernhardum & ipſum pro ducatu erat, pacem inter ipſos aliqua
conditione juxta decreta Prncipum reformaret. Duci tamen Henrico trium
optionem dedit, ut aut diſpenſationem in particulari quadam reſtitutione

pristini

pristini honoris pateretur, aut secum peregrinatum in expensa Imperatoris iret, postea plenariè restituendus, aut terram per triennium tam pro se quàm pro filio suo æquivoco abjuraret. Dux tamen magis elegit terram exire, quàm vel ire quo non vellet, vel honore pristino ulla diminutione multilari.

gloriosi. a) Principes hujus expeditionis & apparatum ingentem describunt *Jacob. de Vitriaco l. I. c. 99. Carol. Sigon. l. XV. de regno Ital.*

Fridericus, b) Barbarossa jam antè interfuerat expedititoni in Syriam Conradi Imperatoris. *Wilh. Tyr. l. XVI. c. 23. Nicet. lib. I. de Manuele, c. 5.* Vide *supra Not. ad l. I. c. 60. b.*

CAPUT XXIX.

1. Imperator V. Id. Ratisbonâ iter sacrum ingreditur. 1189.
2. Viennæ ex castris impurorum hominum tarbam ejicit.
3. Ab Hungariæ Rege regiè excipitur.
4. Strigonij exercitum jurejurando sibi obstringit.
5. Regina illum amplis muneribus afficit.
6. A Rege obtinet, ut fratrem captivum dimittat.
7. Ad Savum fl. lustrato exercitu CL. millia reperta.
8. Ludus militaris institutus.
9. Disciplinæ castrensis exemplum.
10. Serviorum Dux in verba Imperatoris jurat 23. Jul. - - 1189
11. Dux Græciæ Imperatori cùm muneribus occurrit.

IGitur (a) acccedente veris tempore, Dominus Imperator iter peregrinationis arripuit. Postquam autem Ratisbonam venerat, viso ibidem magno exercitus defectu, ab itineris propositi profectione desperare cœpit. Causa autem defectus erat magnus omnigenarum nationum populus, qui eum præcesserat: quia peregrinationis amore omnes iter accelerabant. Consilio tamen habito, sciens eos propter difficultatem viæ ipsum præterire non posse, abiit via qua cœperat. Procedens autem inde venit in Austriam, cui occurrit cum multo comitatu Dux ejusdem provinciæ, magnificè eum & omnes suscipiens, cunctisque recipere volentibus donaria sua honorificè distribuens. 1
Morante autem eo in civitate, quæ major est in terra, nomine Wene, tâta per 2
exercitum excrescere cœpit immunditia, tantusque incestus, ut ex consilio sive præcepto Imperatoris hujusmodi hominum fornicatorum & furum, sive aliorum inutilium, quingenti viri redire coacti dicantur. Post hæc iter faciens, 3

circa Pentecoſten venit ad portam Ungariæ,ibiq; dies Pentecoſtes celebran-
do quievit. Rex autem Ungariæ per nuncios ſuos ipſum gratanter excipi-
ens , introitum ei terræ benignè aperuit , omniumq; rerum venalium emtio-
nem ad placitum promiſit.Ut autem in terram ventum eſt,omnia invia in flu-
viis,in rivis , in paludibus , pontibus ſterni præcepit. Cùm autem Dominus
Imperator in civitatem veniſſet,quæGran dicitur,quæUngarorum eſtmetro-
polis, Rex ei in propria perſona cum mille militum comitatu ſolenniter oc-
currit, omniq; devotione ſe non ſolùm hoſpitalem, ſed etiam officioſum exhi-
4 buit.Imperatore autem quatuor diebus ibi moram faciente,ex conſilio Prin-
cipum propter nimiam tumultuantis exercitus inſolentiam ſtabilis & firma
5 pax in exercitu ſub juramento firmata eſt. Regina autem dedit Domino Im-
peratori tentorium optimum, & domum deſuper deScarlatico & tapete,jux-
ta latitudinem &longitudinem ipſius domus,& lectum culcitra & operimẽto
precioſo magnificè ornatum , ſedemq; eburneam cum cuſſino lecto præpo-
ſitam:quæ quantis ornatibus exculta fuerit,præſentis paginæ depromere ne-
quit inopia.Et ne quid excogitatis deeſſet deliciis,albus & parvus venatorius
6 ſuper tapete diſcurrebat caniculus.Poſt hæc regina horum auctrix munerum
aliquid à Domino Imperatore petitura proceſſit , ſcilicet ut ipſius interven-
tu frater regis,per quindecim años ab ipſo rege in captivitate detentus à ca-
ptivitate liberaretur.Rex autem,qui tanta devotione Imperatorem ſuſcepe-
rat,in nullo volens eum contriſtari,non ſolùm fratrem ad petitionem ipſius à
captivitate laxavit, ſed datis duobus millibus Ungarorum , ipſum ad præpa-
randam ſive oſtendendam viam Imperatorem præcedere fecit. Exinde rex
Imperatorem in caſtrum,quòd Gran dicitur , recepit, tranſito flumine ejuſ-
dem nominis,à quo ipſa civitas,in qua prius moratus fuerat,& caſtrum ipſum
nomen acceperat : ibiq; dedit Rex Imperatori duas domos plenas farinæ pu-
riſſimę.Imperator verò quia farina opus non habebat,dedit eam populo pau-
peri. Ubi propter nimiam avaritiam tumultuantis populi tres homines fa-
rina obruti ſunt.Inde Dominus Imperator quatuor diebus venationi operam
dedit.Inde ventum eſt ad urbem Sclankemund,ubi per quandam aquam,quę
Eiza dicitur,tribus diebus & tribus noctibus tranſeuntes , tres ibidem milites
ſubmerſos amiſerunt.Ubi rex univerſo exercitui innumerabilem victualium
copiam dediſſe dinoſcitur.Poſt hæc venerunt ad fluvium qui Sowa(e)dicitur,
7 ubi multitudo exercitus dinumerata eſt, & inventa ſunt quinquaginta millia
militum & centum millia armatorum ad bella valentium. Ex abundanti autẽ
8 lætitia , quam Dominus Imperator ſuper tanta exercitus conceperat multi-
tudi-

tudine, militiæ ludum gaudens in propria perſona ordinavit,& ſexaginta ju-
venes nobiles, qui armigeri nuncupantur, ad militarem habitum & cultum
militiæ tranſtulit. Ubi etiam ſedens pro tribunali judicia ſua exercuit: ibiq; 9
duo(f)mercatores capite truncati ſunt, & quatuor ſervis manus amputatæ,
quia pacem juratam infregerant. Eadem die quingenti ſervi pabulatum exe-
untes,toxicatis ſagittis ab hominibus illius regionis, qui Servii nuncupantur,
interfecti ſunt. Altera autem die venit Dux ejusdem gentis,& fecit Domino 10
Imperatori hominium,ſuſcipiens ab ipſo terram ſuam jure beneficiario.Pro-
fecti autem inde venerunt ad fluvium, qui Marowa (h) dicitur: ubi rex Do-
mino Imperatori plauſtra miſit multa farina onerata, & quodlibet plauſtrum
duobus tauris regebatur.In eodem loco rex Imperatori valedicens,diſceſſit,
dans ei quatuor camelos precioſis muneribus oneratos,quæ ad quinq; millia
marcarum computata ſunt. Dominus autem Imperator multas regi gratias
agens,dedit ei omnes naves, quæ eum de Ratisbona fuerant ſecutæ. Ipſa(i)
die venit Dux Græciæ ad Imperatorem,dans ei aureum vas,quod duabus an-
ſis ſublevari debuit, & tanta victualia, qui exercitui ad octo dies ſufficerent.

Igitur. a) Tertia hæc eſt Chriſtianorum in Orientem ſacra expeditio; quam ex novitiis ſcriptoribus luculenter enarravit *Petrus Bizarus*. Antequam Impeperator iter ingrederetur,legatis ad Iſaaciũ Angelum, Regem Conſtantinop, miſſis petiit, ut ſibi cum omnibus copiis Syriam petenti per ipſius provincias pacatè iter facere & commeatum emere liceret. Miſit Iſaacius Joannem Ducam ad Fridericum, & per illum promiſit, omnia ſe facturum, quæ Imperator expetiiſſet. *Nicet. Choniat. l. II. de Iſaac. Angelo. cap. 3. Annales Heinrici Steronis anno 1189.* Etiam Sultanum legatos cum comitatu quingentorum equitum ad Imperatorem miſiſſe,atq; omnem operam ad iter Imperatoris per ſuas terras juvandum pollicitum eſſe: nec minus Serviorum Ducem miſſa legatione magnifica promiſſa fuiſſe, narrat *Godefrid. Monach. ann. 1189.*

Imperator. b) Henrico, filio natu majori, quem Longobardorum Regem fecerat, Imperii curam commiſit, Friderico, natu minori, Suevorum Duce, itineris ſocio aſſumto, *Gulielm Neubrig. l. III. c. 26.*

cuſſinus. c) i. e. mollis, è Germanico.

Gran. d) *Godefridus* vocat civitatem S. Georgii.

Sovva. e) Savus & Dravus, Pannoniæ fluvii *σάος καὶ δράος Theophylactæ Simocattæ* appellantur *l. VII. cap. 11.* Pannoniam Dravo Savoq; inclytis amnibus circumfluam dicit *C. Jul. Solius Polyhiſt. c. 34.*

duo. f) Duos nobiles de Alſatia fuiſſe annotat *Godefridus Mon.*

Dux.

Dux. g) factum in civitate Mycea. *Idem.*

Marovva. h) Amnis hic *Alberto Aquensi l.I.c.7.* Maröe dicitur, & dividere Hungaros à Bulgaris scribitur, *Nicetas* & *Chalcocondyla* Morabum vocant; putaturq; idem esse, qui veteribus Moschius appellatur.

Ipsa die, i) Ingressu Imperatoris in fines Græcorum nunciato Rex eundem Joannem Ducam, unaq; cum eo Andronicum Catacuzenum obviam misit, qui Imperatoris transitum commodiorem redderent. Verùm hi ignoratione officii & suapte ignavia Imperatorem contra Græcos concitarunt, atq; ut Regem ipsorum pro hoste suspectum haberet, effecerunt, *Nicet. l.II. de Isaac. Angel.c.3.*

CAPUT XXX.

1. *Imperator Bulgariam transit.* 1189
2. *Philippopolin pervenit VIII. Kal. Sept.*
3. *Hîc pars exercitus XIIX. hebdomadas hyemavit. quia.*
4. *Rex Constantinopolitanus, Ducis Brundisii calumnijs incitatus, Imperatoris legatos detinebat.*

1 IGitur in nativitate B. Ioannis Baptistæ exiuerunt Ungariam, & intraverunt Bulgariam. In qua per tres dies non invenientes aquam, aliquantum periclitati sunt. Omnes arctas vias Dux Græciæ eis ampliari fecit, & ita in festo
2 B. Iacobi tenuerunt castrum Ravenelle, quod in medio nemoris situm est. Post laborem verò nemoris in assumtione B. Virginis, ac si paradisum Dei, tenuerunt civitatem Listriz, quæ est in confinio Bulgariæ & Græciæ. Inde
3 castra moventes venerunt Vinopolin(a), civitatem magnam, sed desertam, in qua cùm omnis exercitus hospitatus fuisset, vix alternæ domus inhabitatæ
4 sunt, ibiq; decem & octo hebdomadas morati sunt. Siquidem inter tot & tanta prospera non defuerunt adversa: quia nunquam fuit Abel, quem malitia Cain non exercuit. Dux(b) enim de Brandiz, quæ est circa Ungariam & Bulgariam, invidens servis Christi, festinus præcurrit ad regem Constantinopolitanum, dixitq; ei: Quid hoc facere voluisti, ut hominibus tam impiis transitum per terram tuam præberes? Non parcit oculus eorum alicui civitati vel urbi, sed omnia vastantes suæ subjiciunt ditioni. Unde scias, si in terram tuam intraverint, te de solio tuo dejicient, & imperium tuum obtinebunt. His verbis nimis credulus & exterritus Constantinopolitanus, nuncios Imperatoris, Episcopum videlicet Monasteriensem, & Robertum Comitem de Assawe(c), & Marquardum Camerarium cum quingentis militibus comprehendi præcepit. Sicq; exterriti omnes habitatores terra, appropinquantibus peregrinis tutiora loca quærentes, civitates & oppida deserta dereliquerunt.

Vinopolin

Vinopolin, a) Phinopolin vocat *Albertus Aquens. l. I. c. 7. & l. II. c. 7.* Intelligi autem Philippopolin, ex *Niceta, Tagenone* & *Tyrio*, qui nobilem, copiosissimam & famosissimam urbem, *l. II. c. 4 & l. VI. c. 19.* appellat, satis constat. Diversæ quidem urbes sunt Phinopolis & Philippopolis apud *Plinium Nat. Hist. l. IV. c. 11.* quarum Philippopolin sub Rhodope monte collocat, Phinopolin cum *Pomponio Mela l. II. c. 2.* ad mare, juxta Bosporum; sed Arnoldum hîc de Philippopoli loqui è dictis certum est. Vocatur Φιλιππȣ́πολις à *Niceta, Joanne Curopalate* & in *Turcogræcia.* ἡ Φιλίππȣ πόλις à *Socrate Hist. Eccles. l. VII. c. 36.* & *Theoph. Simocatta l. II. c. 17.* Item ἡ Φιλίππȣ, *ab eodem l. IIX. c. 4.* In *Annal. Turcicis* corruptè *Philibe* dicitur, *p. 32.* Condita autem & denominata urbs est à Philippo Imperatore, non à Philippo Macedone, uti docet *Joann. Leonclav. in Pandecte, c. 33.* Amplissima adhuc hodie urbs est, amœno loco, sed luteis ædificiis, *Salom. Schweigger. l. I. Itiner. c. 13.* Adrianopolis, quæ *cap. seq.* Andropolis dicitur, ἡ Αδριανȣ̃ *Nicetæ l. II. de Isaac. Angelo, c. I.* ἡ Αδριανȣ̃ πόλις *Simocattæ l. I. c. 7. & l. II. cap. 17.* Ανδριανȣ́πολις *Curopalatæ*, & Αδριανȣ́πολις *in Turcogræc. l. IV.* appellatur; ad quem locum plura *Mart. Crusius.* Turcis hodie Edrena dicitur, *Sal. Schweigg. ib.* Ab hac una ex XXIII. portis urbis Constantinopolis dicta est Hadrianopolitana, *Ann. Turc.* Cæterarum portarũ nomina recenset *Joann. Leonclav. Pand. c. 200.* Ab initio Orestiadem nominatam fuisse auctor est *Nicetas in Andronico l. I. c. 1.* Huic ipsi Nicetæ, qui tunc Philippopoli præfectus erat, cùm Fridericus Imperator eò cum copiis suis adventaret, multum negocii Isaacius Angelus creabat, cùm ab illo nunc urbis mœnia & fossas instaurare, nunc aliis literis eadem demoliri juberetur, ne receptaculum Imperatoris essent. Cæsar autem Philippopolin ingressus, urbem plerisq;, iisq; nobilissimis civibus, vacuam ob famam venientis exercitus, reperit, *Nicet. l. II. de Isaac. Angel. c. 3.*

Dux, b) *Nicetas* narrat, Dositheum, monachum quendã, qui multum apud Regem gratia atq; auctoritate valuerit, eidem persuasisse, Alemannos venisse non ad occupandam terram sanctam, sed ad urbem imperatricem Constantinopolin invadendam. Cumq; Imperator Philippopoli occupata inde excursionibus commeatum pararet, Rex legatos ejus detinebat, & angustos tramites intercludebat. Sed cùm pravis his consiliis majus damnum provinciis suis accerseret, Nicetas ad ipsum profectus saniora consilia suppeditat, & contumaciam illius frangit, ut consilio in contrarium mutato Alemannorum transitum in Orientem jam expeteret, *c. 4. & 5.*

Assavve, c) Legati Imperatoris fuere Rupertus Comes de Nassovve, & Comes Walramus cum quingentis equitib9, *Godef. Monach.* Idem nomen corruptè scriptum *supra c. 9. n. 7.*

CAPUT XXXI.

1. *Cum Rex Græciæ legatos nondum dimitteret, Imperator militem populabundum in agros vicinos emittit.*

2. Post XIIX. hebdomadum hyemationem Adrianopolin transeunt. 18. Kal. Febr. - - - - 1190.
3. Legati redeunt, & Regem liberum transitum concessurum nunciant.
4. Pontum traijciunt.

1 IMperatore enim in præfata civitate moram faciente, miratus est, quòd non redirent hi, quos ad regem pro bono pacis miserat, commonefaciens eum pactionis sive promissionis, qua spoponderat(a) ad ultionem Dei zeli & vindictam terræ sanctę, & effusionem justi sanguinis servorũ Dei, in omnib. se obsecuturum exercitui peregrino, scilicet ut firmã in regno suo pacem haberent, & ipse eis omnia invia pervia faceret, & emendi gratiam tam in victualibus quàm in aliis necessariis præberet. Ipse enim Imperator omnia quæ promissa fuerant, ita fideliter custodivit, ut sicut suprà dictum est, nulli de exercitu nec per vim nec per rapinam nec per furtum aliquid obtinere permiserit. Cumq; diutius expectasset, & sui non essent reversi, indignatus, omnes circa regiones vastare(b) cœpit, ita ut aratris terrã excoleret, quod tamen arte factum fuerat, ut majorem habitatoribus terræ timorem incuteret. Tantas igitur exercitus divitias in terra de spoliis collegerat in auro & argẽto, in vestibus preciosis, in armẽtis, ut aliquis pro lautioris cibi exquisitione octo boves pro gallina daret. Quæ tamen abundantia ad tantam devenit inopiam, ut consumptis, imo magis perditis omnib9, omnis retrò abundantia oblivioni tradita videretur. Trans-
2 factis itaq; decem & octo hebdomadibus, castra moverunt de loco illo, &
3 venerunt Andropolin. Ubi septem hebdomadas hospitantes, similia perpetraverunt, ibiq; reversi sunt nuncii Imperatoris cum obsidibus(c) quinquaginta, firmam pacem & cætera, quæ Imperator expetierat, ad voluntatem afferen-
4 tes. Acceptis igitur obsidibus in media quadragesima, relicta Andropoli prosperè procedentes, in Pascha, quod eo anno in annunciatione Domini celebrabatur, venerunt ad brachium(d) S. Georgii, ibiq; castra metantes, sanctum Pascha Domini cum gaudio celebrabant. Proxima die classem intrantes transierunt vadum, quibus rex tantas naves providerat, ut omnis exercitus cum omnibus attinentiis suis tribus(d) diebus transmearet.

spoponderat. a) Miserat Isaacius Joannem Ducam ad Imperatorem in Germaniam, ante illius expeditionem, ut monuim9 *ad cap. 29.* Hic Ducas fidem dedit accepitq;, Imperatorem sine cujusquam injuria & damno transiturum, nullam urbem, castellum nullum aut pagum violaturum; Græcos item commeatum ei abundè venalem suppeditaturos. *Nic. l. II. de Isaac. Ang. c. 3.*

vastare. b) Thessalonicam etiam eum expugnasse, atq; adjacentem provinciam in potestatem redegisse, addit *Gulielm. Neubrig. l. IV. c. 13.*

obsidibus

obsidibus. c) XXIV. obsides numerat *Godefr. Monach. anno 1190.* Nec obsides tantum dati, sed & in maximo templo viri quingenti jurejurando sunt adacti, Regem pacta inviolata conservaturum, atq; Alemannis viæ ductores & commeatum subministraturum. Quid? quod præter obsides Isaacius Imperatori quatuor centenarios argenteæ monetæ, & eximias telas auro intertextas misit. *Nicet.*

brachium. d) Brachium S. Georgii *Arnoldo, Tyrio* atq; aliis istius ævi scriptoribus interdũ specialiter pro Bosporo, nonnunquam pro Hellesponto, aliquando etiam latius pro toto illo maris tractu inter Pontum Euxium & mare Ægeum, id est, pro Bosporo, Propontide & Hellesponto sumitur. Id apertè liquet ex collatione *lib. I. c. 60. n. 4.* & hujus loci. Ibi enim Conradus Imperator dicitur transiisse brachium S. Georgii; qui tamen, ut refert *Nicetas*, prope Constantinopolin urbem trajciebat; quod idem testatur *Tyrius l. XVI. cap. 19.* Hîc autem Fridericus Imperator ad brachium S. Georgii venisse narratur, qui tamen angustias Hellesponti apud Galliopolin trajecit, ut itidem *Nicetas* memorat. Ita Godefridus Dux cum copijs Constantinopolin progressus S. Georgii brachium transit. *Guibert. Abbas lib. II. cap. 12.*

tribus. e) Septem dies habet *Godefrid. Monach.*

CAPUT XXXII.

1. *Christianos Turci incursant circa exitum Aprilis. - - - 1190.*
2. *Armeniam ingressi inopiâ commeatus affliguntur.*
3. *Multis fame & hostium incursu pereuntibus pergunt tamen incœpto itinere.*
4. *Imperator Regi obsides misit.*
5. *Iconium, Turcorum metropolin, perveniunt.*

IGitur post maris transitum populus Dei exercituum, ac si post Pharaonis vinculum confessionis Christi cecinit epithalamium. Nam propter obsides, quos secum traxerant, sperabant pacem. Et ecce (a) turbatio & forũ rerum venalium, & ecce famis & inediæ tribulatio. Siquidem non post multos dies cùm adhuc in terra regis Græcorum essent, occurrerunt ei Turci, insidias tendentes, quos illi primò non attendebant, quia pauci erant, nec eos malum machinari cogitabant. Illi verò de die in diem multiplicabantur, ac si arena maris, quæ præ multitudine numerari non potest, & nocte & die erant circa ipsos. Populus autem Dei psallebat: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me, multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo: tu autem Domine susceptor meus, &c. Cumq; conclusi essent in manu hostili, sicut oves in medio luporum, non tamen à cœpto itinere cessabant, & cùm castra moverent, similiter hostium castra movebantur. Iam 2

Rumeniam, terram desertam & inviam & inaquosam intrabant, & defecerat panis in sistarciis eorum: quia alimenta non habebant. Fuerunt tamen inter eos, qui panes mellitos, cùm in abundantiis essent, sibi præparaverant, & utcunq; sustentabantur. Qui verò simile opus non fecerant, aut carnibus equinis & aqua sive radicibus pascebantur, aut fame usq; ad mortem affligebantur. Cumq; vires ad ambulandum non haberent, ceciderunt in facies suas super terram, ut matyrium pro nomine Domini susciperent. Inimici verò irruentes super eos, sine omni misericordia in conspectu omnium eos trucidaverunt. Iam defecerant jumenta, tum quia gramina non habebant, tum etiam quia ad victum consumta erant, & laborabant in ambulando tota die multi viri nobiles & delicati, & Deo gratias agebant. Sic autem ordinabant acies suas, ut pedites & infirmi medii essent, equestres verò propter insultum hostium à dextris & à sinistris. Sæpius etiam insultum in illos facientes, prostraverunt quosdam ex eis, aliquando etiam ad quinq; millia, & nihilominus cessabant insequi eos. Sed quia multæ sunt tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, non invalida super eos erat manus Domini, in omnibus confortans eos. Laborabant siquidem ut castigati & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes.
4 Imperator verò quamvis se circumventum non dubitaret, dimisit tamen obsides, quos tenebat, juxta illud: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Post hæc incurrerunt siccitatem maximam, ubi per biduum siti laborabant.
5 Venerunt igitur in Pentecoste Iconium, quæ capitalis est civitas Turcorum, & castra metati sunt in horto venatorio prope civitatem, ubi refecti sunt de herbis hortorum, qui circa civitatem erant, & visum est animæ eorum ac si paradisi delicias habuissent.

Et ecce. a) Imperator jam Philadelphiam accesserat, cum incolæ ejus partem exercitus sacri per latrocinium adorti sunt. At parum feliciter res eis cessit: nam ferreas statuas aut gigantes sibi oppugnare videbantur. A Laodicensibus tamen sacri milites perbenignè accepti sunt, & hospitalius, quàm alibi usquam tractati. *Nicet. l. II. de Isaac. Angelo, c. 6.*

Cum jam altius adscenderent, etiam Turci in eos incurrerunt; qui tamen aperto prælio declinato latrocinantium in morem tantùm eos infestarunt. Paulò pòst Imperator Iconiensis Sultani filios aperto prælio ad Philomelium castrum vicit: & iterum ad Cingularium. Postea iteratis præliis ad Iconium, ubi Turci hortorum aggeribus & fossis, juxta Iconium, occupatis, & maceriis pro muro objectis, Alemannorum accessum facile se prohibituros putabant. Sed & hoc eorum consilium industria Imperatoris elusit. Nam equitum quisq; peditem armatum in equi

sui

sui tergum recepit, ut ex eo tanquam scala, maceria conscensa, cominus cum hoste congrederetur. Ita Turci illi pleriq; perierunt, & hortos cadaveribus repleverunt. *Nic. c. 6. 7.*

CAPUT XXXIII.

1. *Turci pro singulorum transitu aureum Byzantinum exigunt. Idib. Maij. - - - - - - 1190.*
2. *Imperator illo denegato vilius offert.*
3. *Legationis Turcicæ postulata ad suos refert.*
4. *Altero die aciem ordinat.*
5. *Turcos vincit.*
6. *Iconium urbem Christiani occupant.*
7. *Soldanus per legatos pacem petit, & obsides offert.*
8. *Imperator urbe relicta in horto iterum castra locat.*
9. *Christiani Armeniam transeunt, & ad Saleph fl. perveniunt.*

Cum igitur (a) post longam famis maciem populus Dei utcunq; refectus- 1
fuisset, sperans post diutinos labores quietis requiem, post bellorum turbines pacis serenitatem, ecce filius iniquitatis, filius Saladini, gener Soldani, Imperatori mandavit dicens: Si per terram meam securum vis habere transitum, de quolibet tuorum aureum tu mihi dabis Byzantinum: quod si non feceris, scias, quòd in crastino bello te impetam, & violenter & te & tuos aut gladio interficiam, aut in captivitatem redigam. Cui Imperator respondit: 2
Inauditum quidem est, quòd Romanorum Imperator ulli mortalium tributa persolvat, quæ ipse magis exigere assuevit quàm solvere, magis accipere quàm dare, tamen quia viribus exhausti sumus, ut cum pacis quiete viam nostram tendamus, unum denarium, qui Manlat dicitur, ei voluntariè persolvam. Quem si acceptare noluerit, & magis bello nos inquietare voluerit, sciat, quòd pro nomine Christi libentissimè cum eo congredi volumus, qui pro ipsius amore aut vincere aut vinci optamus. Est autem Manlat de viliorum numismate, qui nec totus sit aureus, nec totus cupreus, sed quasi de confusa & vili constat materia. Nuncius itaq; reversus nunciavit hoc Domino suo. Imperator verò convocata saniori parte, quod agebatur, exposuit, ut 3
quid ageretur, ex consilo inveniretur. Ad hæc illi uno ore responderunt, dicentes: Bene quidem, & ut imperialem decet majestatem, Tyranno respondistis: nos tamen sciatis, nullam pacis conditionem quærere: quia nihil restat, nisi aut mori aut vivere, aut vinci aut vincere. Placuit Imperatori tanta virorum Dei constantia. Et lucescente aurora, ordinata acie, filius ejus, Dux 4
Sueviæ, cum robustissimis in fronte constituitur, ipse verò cum reliquis hostes,

5 stes,qui à tergo insistebant,percussurus accingitur. Pugnabant igitur Christi milites animis quàm viribus fortiores. Sed qui olim martyrum roborabat tolerantiam,ipse horum etiam firmabat constantiam. Cadebant autem adversarii à dextris & à sinistris, nec erat numerus interfectorum, quod testabatur maxima congeries cadaverum.Deniq; ipsum introitum civitatis præcludebat
6 multitudo interfectorum,sed alii occidebant, aliiq; occisos removebant.Sicq; vi portas irrumpentes,omnes qui in civitate erant,percusserunt in ore gladii. Reliqui verò in castrum,quod civitati conjunctum erat,se receperunt. Et ita
7 humiliatis hostibus intus & foris,per triduũ in ipsa civitate morati sunt.Tunc Soldanus honoratos legatos cum muneribus Imperatori misit, dicens: Bene quidem,Domine Imperator,in terram meam venisti:sed quod juxta placitum tuum,& secundum tuam magnificentiam,susceptus non es,tibi quidem gloriosum,nobis verò est ignominiosum. Tibi enim de tanta victoria æternalis erit memoria,nobis autem rubor & ignominia.Ista tamen præter voluntatem meam acta certissimè scias: quia in lecto ægritudinis decumbens, nec mei nec aliorum compos esse valeo. Nunc igitur rogo,ut mecum misericordiam facias,& pro conditione pacis obsides & quæcunq; volueris,acceptes,ita ut ci-
8 vitatem egrediens,iterum in horto castra reponas.Quid plura?Imperator cum suis civitatem egreditur, tum quia quæ exigebat ad placitum offerebantur,
9 tum quia nimia corruptio aeris propter interfectos eos exire cogebat. Firmata igitur pace, agonistæ Christi gaudentes per viam suam ibant,nec ulterius adversarii eos insequebantur. Et ita transeuntes terram Armeniorum(b)venerunt ad fluvium Saleph(c),ubi castrum ejusdem nominis situm erat.

Cum igitur.a)Hîc totum iter Imperatoris à cap. XXIX. usq; ad XXXIV.i.e. usq; ad inopinatam illam optimi Imperatoris mortem ex *Tagenone*,Decano Petaviensi, qui ipse expeditioni interfuit, & singula fusius atq; distinctius, quàm noster, enarravit,breviter excerptum dare voluimus,quòd illam gravissimæ expeditionis epitomen non ingratam fore lectori putaremus.

Anno 1189 **Ad CAP. XXIX.**

9.April.Imperator Ratisbonâ cum exercitu iter sacrum ingressus est.

Ad CAP. XXX.

29. Maij. Bulgariam intravit.
23. Julij. Nissam pervenit. Hîc Comes Serviæ Imperatori occurrit.
30. Julij. Milites sacri ad primam Clausuram seu viarum angustias perveniunt. Hîc plurimi illorum ægrotare cœperunt.
4. Aug. Ad secundam Clausuram progressi sunt. Hîc hostes ex insidiis eos adorti sunt,

Apud

11. Aug. Apud Straliten nullos homines reperiunt. Hinc inopia commeatus orta.

16. Aug. Pervenere ad tertiam Clausuram. Hic exercitus copiâ victus recreatus est.

21. Aug. Rex Græciæ Imperatoris legatos detinet; & Imperatori nunciandum curat, se indicio Regum Galliæ & Angliæ, ac Ducis Brundisii intellexisse, Germanorum Imperatorem id agere, ut Græciæ regnum ad filium suum Ducem Sueviæ transferat: amicitiam cum Comite Serviæ sibi suspectam esse: obsides & mediam terram Saracenorum postulat.

Imperator contrà urget, ut sui sibi legati remittantur.

25. Aug. Imperator cum exercitu Philippopolin pervenit.

29. Aug. Frater Regis Græciæ cum magnis copiis ab Imperatoris exercitu in fugam vertitur: Legati tandem seminudi redeunt: et cum illis Legati Regis Græciæ. Tunc Imperator à Rege Græciæ obsides postulat, & Legatis summam Regis ipsorum iniquitatem exprobrat. Apud Philippopolin hyemare constituit.

5. Nov. Imperator mutato consilio Philippopoli Adrianopolin cum parte exercitus perrexit; itinere XIIX. milliarium. *Mart. Cruf. Turcogræc. l. VII.* Philippopoli etiam relicto filio cum Episcopis & justis copiis. *Nicet l. II. de Isaacio Angel. c. 5.* Qui de exercitu remanebant, copia victus abundabant.

Ad CAP. XXXI.

Anno 1190. Imperator propter perfidiam Regis Græciæ plures urbes ibi occupavit, & Adrianopoli hyemavit.

Ex eo loco scribit ad Luipoldum, Austriæ Ducem: narrat, legatos suos à Rege Græciæ in custodiam conjectos fuisse; ipsum in hyemem transitum exercitus dolosè protraxisse: se hyemis inclementiam declinaturum Philippopoli atq; Adrianopoli hybernare velle.

15. Jan. Pars exercitus, quæ apud Philippopolin hyemaverat, Imperatorem Adrianopolin secutura castra movet.

21. Jan. Constantinam usque illi progrediuntur.

25. Jan. Adrianopolin, ad Imperatorem, perveniunt.

14. Febr. Rex Græcorum per legatum suum Imperatori pacem offert.

18. Febr. Legati Soldani Turcorum & filii ejus ad Imperatorem Adrianopolin veniunt. & optima quæq; promittunt.

26. Febr. Imperator obsides à Rege Græcorum accipit.

1. & 2. Mart. Argonautæ sacri Adrianopoli relictâ ad mare iter suscipiunt.

23. Mart. Traijcere mare cœperunt, & Romaniam intraverunt.

Ad CAP. XXXII.

14. April. Thyatira, urbem Asiæ min. perveniunt; cujus fit mentio *Apoc. 1, v. 11.*

21. April. Philadelphiam atq; procedunt.

Postea

Anno 1190. Postea transito Mæandro cum Laodiceæ campos peragrassent, & in desertum quoddam pervenissent, circa exitum Aprilis Soldanus multas copias eis immisit, à quibus multis modis infestati sunt.

1. Maij. CCC. Turcos obruunt & occidunt.

2. Maij. Iterum CCC. periment.

4. Maij, Legati Soldani se Imperatori subducunt, & Godefridum Interpretem Imperatoris, captum secum abducunt. *Godefr. Monach.*

7. Maij. Christiani denuo magnam stragem in Turcis edunt, quâ fere sex millia interfecta sunt.

11. Maij. Rursus inito prælio CC. Turcos obtruncant.

13. Maij. Die s. Pentecostes quieverunt

14. Maij. Filii Soldani innumerabili exercitu cum Imperatore confligunt, Pereunt Turcorum decem millia.

Ad CAP. XXXIII.

15. Maij. Soldanus pro transitu CCC. centenarios auri, & terram Armeniorum postulat. Imperatori hæc deneganti Legatus Soldani bellum denunciat; unde Imperatori & militibus metus incutitur.

17. Maij. Turcorum, qui ipsos incursabant, XXX. occisis, in horto regio apud Iconium castra locant.

18. Maij. Imperator duas acies instruit: Soldanus per legatos & filios pacem petit: Imperator eam promittit, si sibi Godefridus captivus reddatur.

Filius Imperatoris cum parte exercitus ad portam Iconii urbis accedit, cui Godefridus, captivitate liberatus, occurrit: Soldanus cum suo exercitu & civibus Iconiensibus in castellum fugit: Filius Imperatoris Iconium ingreditur, & relictam ibi turbam imbellem mactat: Imperator ipse extra urbem à Turcis circumdatus animolè cum suis fertur in hostem, & ferme decem millia perimit.

19. Maij. Soldanus missis è castello legatis denuo pacem petit. In eam Imperator consentit, si obsides dentur. Soldanus XX. obsides mittit.

23. Maij. Christiani Iconio relicto juxta hortum regium castra metantur.

26. Maij. Exercitus inde per spatiosissima loca progreditur.

27. Maij, Turci agrestes iterum incursiones leves in Christianos faciunt.

30. Maij. Christiani venerunt Larandam, quæ dividit Armeniam, i. e. Ciliciam à Lycaonia. In Cilicia post paucos dies ad amnem Saleph perveniunt.

7. Jun. Ciliciæ Principis legati Imperatori occurrunt.

10. Jun. Exercitus sacer Seleuciæ campos intrat

Armenior. b) Ab Armeniis Imperator susceptus est, & complures dies ibi commoratus, Antiochiam progredi animo destinavit. Armenii enim Turcorum quidem potestati subjecti erant, sed Christianæ religioni dediti. Ideo etiam anno 1097. Germanorum exercitui cum crucibus & vexillis læti occurrebant.

bant, eorum auxiliis se à Turcorum tyrannide liberatum iri sperantes, *Fulcherius Carnotens. ann. 1097.*

Saleph. c) Hic est ille fatalis Regibus fluvius, Armeniæ, seu Ciliciæ campos rigans, aliâs Ferreus incolis dictus, juxta *Jacob de Vitriaco lib. I. c. 99.*

CAPUT XXXIIII.

1. *Imperator fluvium ingressus suffocatur.* - - - - - - *1190.*
2. *Hinc planctus & luctus in castris.*
3. *Fridericus filius parenti suffectus Antiochiam procedit.*
4. *Hic multi intemperantiâ, alij æstu pereunt.*
5. *In his Godefridus, Episcopus Wurtzburgensis.*
6. *Fridericus in obsidione Ptolemaidis moritur.*
7. *Auctor sacræ hujus expeditionis insectatores refellit.*

QUo cùm perventum fuisset, propter nimiam æstus intemperiem pulve- 1
risque squalorem Dominus Imperator in eodem amne lavare similiter & refrigerari disposuit. Siquidem idem amnis non multum latus erat, cursum tamen velocem propter montium circumgyrationes habebat. Aliis igitur ad vadum certum transeuntibus, ipse multis inuitis aquam ingreditur, & sperans se natando transmeare, fluminis impetu abripitur, quo nollet trahitur, & priusquam subvenire potuissent, qui circa ipsum erant, aquis præfocatus(a) interiit. Fit igitur mœror omnium una voce plangentium: Quis nos 2
consolabitur in hac peregrinatione nostra? quia cecidit propugnator noster. Nunc ergo erimus sicut oves errantes in medio luporum, nec eas quisquam à morsibus prohibebit. Hujuscemodi ploratu & ululatu populus tabescebat. Sed filius consolabatur eos, dicens: Pater quidẽ meus mortuus est, sed vos con- 3
stantes estote, nec deficiatis in tribulationibus nostris, & videbitis auxilium Domini super vos. Et quia idem in omnibus se prudenter gerebat, omnes mortuo patre principatui ejus se subdiderunt. Qui recolligens(b) qui remanserant (plurimi enim distracti erant) pervenit Antiochiam. Quem princeps Antiochiæ honorificè suscipiens, ipsam civitatem ei consignavit, ut de ipsa ordinaret, quid vellet. Plurimum enim ipsi civitati insistebant Sarraceni, ita ut ipsam tenere desperaret propter insultus eorum. Cùm igitur ibidem ad 4
pausandum aliquantulum moram faceret, & populus famelicus vino & cæteris divitiis civitatis immoderatiùs infarciri cœpisset, nimia mortalitas inter eos orta est, ita ut plures ex nimia repletione quàm ex priori inanitione morerentur. Multis autem de vulgaribus propter intolerantiam ibidem occumbentibus, etiam nobiles & boni viri propter nimium æstum interierunt. In- 5

ter quos Dominus Godefridus(c), Herbipolensis Episcopus, vir prudens & eloquens, qui eandem peregrinationem secundum datam sibi gratiam ex magna parte regebat, ex hoc incolatu cœlestem migravit ad patriam. Dux verò locatis ibidem trecentis militibus ipse cum reliquis pervenit Accon, & invenit ibi manum validam Christianorum, qui eandem civitatem obsederant. Multum autem confortata est pars Teutonicorum in adventu ipsius, qui tamē
6 non nisi cum mille viris venit ad eos. Eo autem ibi morante, & cum hostibus confligere prędisponente, immatura morte præventus, diem clausit extremū.
7 Sicq; expeditio illa terminata est, ut quasi ferè adnihilata videretur. Unde nonnulli scandalum contra eam habuerunt, dicentes, eam non rectè inchoatam, ideoq; nec bene consummatam. Sed quia talia judicas, vide ne lucis quod in te est, tenebræ sint, dicente Domino: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Profectò per oculum, interiorem intentionem, per corpus verò exteriorem actionem volens interpretari. Sapientia verò dicit: Homo videt in facie, Deus autem in corde. Si ergo lucerna corporis tui in corde, quam Deus solus videt, & si in facie corpus exterius, quod videt homo, qua temeritate judicium Dei tibi usurpas, qui solus occulta novit, cùm magis ea, quæ nescis, quo animo fiant, in meliorem partem debeas interpretari? Manifesta tamen indicia hîc inveniuntur, quæ magis attendenda fuerunt, quòd evangelici viri illi propter amorem Christi reliquerunt domos, fratres & sorores, patrem & matrem & uxores, filios & agros, & quod majus est omnibus, tradentes corpora sua laboribus & suppliciis. Quia plurimi eorum tali devotione sunt peregrinati, ut quantum in ipsis erat, magis eligerent in confessione Domini occumbere, quàm ad sua remeare. Et ideo quamvis expeditio illa sive peregrinatio ad finem desiderati certaminis non pervenerit, non tamen eo minus credendum est, quòd coronam desideratam non perceperint. Cùm preciosa sit in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quæ quali fine claudenda sit, vel quomodo vel quando adimplenda, sicuti Dei solius est nosse, ita ejus de singulorum meritis judicare. Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

præfocatus. a) III. Idus Junias, *Car. Sigon. l. XV. de regn. Ital. ann. 1190.*

Qui recoll. b) Filius paterno principatu suscepto, Antiochiam venit. Inde in ulteriorem Cœlosyriam profectus, Laodiceam seditione laborantem & ad Turcos inclinantem pacavit, Berytum quoq; nullo labore subegit, atq; aliis plurimis Syriæ urbibus, quæ pridem Latinis paruerāt, tunc verò ad Saracenos defecerant, potitus, & Tyrum profectus, Acconem, quam Turci occuparant, obsedit, & pluribus laboribus pro Christi nomine exhaustis, extremum & ipse diem ibi clausit. *Nicet. l. II. de Isaac. Angelo c. 8.*

Gode-

Godefridus.c) Mortuus est VI. Februarij, & in maximo templo Antiocheno sepultus, *Casp. Brusch. in Episc. Herbip. XXXIII.*

CAPUT XXXV.

1. *Rex Wido obsidet Ptolemaidem.*
2. *Conradus, Marchio Montisferrat. Ptolemaidem appulsurus, cognoverat, eam à Saladino esse occupatam. - - - - - - 1187.*
3. *Tum Tyrij Conrado in urbem recepto principatum commiserant.*
4. *Saladinus ideo Tyrum obsederat.*
5. *Conradus Turcos ab obsidione depellit, occisis illorum V. millibus.*

INter hæc autem civitas Accon (a) expugnabatur à militibus Christi, qui ex omnibus gentibus, populis, tribubus & linguis illic collecti erant: quam primò Wido(b)rex, à captivitate solutus, ut supra dictum est, à Tyro(c)veniens cum ducentis millibus(d)obsederat. Sed pôst Domino cooperante obsidio in immensum excreverat. Ipsa(e)siquidem Tyrus nunc ferè sola refugium erat Christianorum, faciendo Conrado(f)Marchione, qui eam constantissimè tenebat. Ipsum namque Deus ad robur militiæ Christianorum, & ad præsidium suorum fidelium direxerat, qui in ipso tempore desolationis terræ sanctæ, orationis gratia Hierosolymam tendebat. Cumque navigio veniret de Græcia, & applicare vellet Accon, cognovit quòd Saladinus totam obtinuisset terram, & ipsa civitas ei tradita fuisset. Et fugiens divertit(g)ad Tyrum, & nihilominus homines Saladini in ea erant, ut obsides de ipsa acciperent. Meliores autem civitatis cognoscentes de adventu ipsius, clàm eum in civitatem receperunt, & facientes cum eo amicitias, principatum ei civitatis dederunt. Qui ejectis ex ea hominibus Saladini, confortabat animos virorum, qui in ea erant, reparans ruinas murorum, & firmans præsidia turrium. Saladinus verò in Accon constitutus, audiens quod factum erat, indignatus statim obsedit civitatem, erigens contra eam machinas septem, & confregit muros ejus, ita ut jam suis pateret introitus. Marchio verò Conradus confortans suos, confidens de adjutorio Christi, qui nunquam deseruit sperantes in se, apertis portis audacter egressus est ad eos, & fugavit Saladinum, & persecutus est eum ad montana, & ceciderunt de suis quinque millia. Et reversus est ditatus de spoliis eorum, & de victualibus replevit civitatem, & satiata est anima eorum, qui jam fame defecerant. Nec adjecit ultrà Saladinus obsidere civitatem. Pôst etiam multo auro pacem à Marchione mercatus est: quia continuis eruptionibus castra ipsius infestabat. Unde quidam eum infidelitatis arguere conati sunt, quòd munera infidelium acciperet. Sed ille expolians Ægyptios, ditavit Hebræos: quia quod ab infidelibus quoquo modo rapiebat, fidelibus fideliter erogabat.

Accon. a) Urbis nomen variè exprimitur, inprimis à sacrarum expeditionum Scriptoribus. Scribitur enim Acon, Accon, Anchon, Achos: Acaron, Accaron, Accharon: Acra, Acre, Ace: Ptolomais, Ptolomaida, Tholomais, Tholomaida. Εἶθ' ἡ Πτολεμαΐς ἐστι μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον, *Strabo l. XVI.* Quæ quōdā Ace dicta fuerit, suo tempore Ptolemaidē appellatam fuisse tradit *Plinius l. V. c. 19.* Primùm Achonem dictam fuisse, pòst Ptolomaidam, item perperam confundi Achonem & Accaronem, cùm hæc fuerit civitas Philistæorum prope Ascalonem: illa autem ad Carmelum montem sita sit, scribit *Fulcherius Carnotensis ann. 1099. c. 17.* Vide & *Jacob. de Vitriaco Histor. Hierosol. l. I. c. 41. Nicetæ* τὸ Ἄκε vocatur, *l. II. de Isaac. Ang. c. 8. Fridericum* apud urbem Aeram, quæ & Accaron dicatur, mortuum esse ait *Godefrid. Monach. anno 1190.* Fuit autem hæc altera Acconis per Christianos facta expugnatio. Nam

anno 1099. Rex Acconis cum Ducibus sacræ militiæ pacificatur. *Raimond. de Agiles anno 1099.* Relicta igitur tunc Accone ad alia loca expugnanda properant. *Fulcherius Carnotens. anno 1077. c. 17.*

1103. Balduinus Rex frustra illam obsidet. *Albert. Aquens. l. IX. c. 19. Gesta Francor. c. 51. Auctor Histor. Hierosolym. part. II. h. anno.*

1104. Balduinus iterum mense Majo eam obsidet, & die Dominicæ adscensionis capit. *Uterq; auct. ibid. Wilhelm. Tyr. l. X. c. 18. Albert. Aquens. l. IX. c. 28. Jacob. de Vitriaco l. I. c. 25.*

1187 Saladinus urbem Christianis eripit. *Mar. Sanut. l. III. part. 9. c. 5.*

1188. Guido captivitate liberatus iterum eam obsidere cœpit. *Jacob. de Vitr. l. I. c. 98.* & quidem XI. Kal. Septemb. juxta *Roger. de Hoved. part. post. p. 660.* Quanquam *Mar. Sanutus* initium obsidionis ad annum 1189. referat, *l. III. part. 10. c. 2.* Obsidionem augent Fridericus, filius Barbarossæ, Galliæ & Angliæ Reges.

1191 XI. Junij urbem capiunt. *Sanut. ibid. c. 4. Baronius h. a.* Alij V. Idus Julij captam tradunt, ut *Gulielm. Neubrig. l. IV. c. 20.*

Descriptio Acconis est apud *Borchardum Monachum part. I. c. 2. Jacobum Ziegler. in Palæstina f. xx. Wolffgang. Weissenburg. de terra sancta, in voce Ptolemais.*

Wido. b) Præcipui tunc in Guidonis exercitu Templarij & Hospitalarii fuerunt.

â Tyro. c) Tyro urbe ipsum Marchio prohibebat, qui suam esse affirmabat.

ducentis m. d) Cùm antea suspicarer, textum corruptum esse, & omnino *cum ducentis militibus* rescribendum putarem, postea *codice MS. B.* planè confirmatus sum, qui illam lectionem rectè exprimit. Et quidni? Narrat enim *Jacobus de Vitr.* Guidonem adjuncto sibi suo fratre Gaufrido de Lusinio obsedisse

urbem, cum paucis valde, quos colligere potuit, *Histor. Hierosf. c. 98.* Idem ex illo repetit *Sanutus l. III. part. 10. c. 2.* qui addit: cùm essent pro uno Christiano in civitate quatuor Saraceni. Ideo *Roger. de Hoved. part. post. p. 660.* scribit: Quia Rex modicum habebat exercitum, Pagani qui in civitate Acon erant, non clauserunt portas civitatis, neq; die, neq; nocte, sed ibant, & revertebantur cum camelis suis attrahentes victualia, & alia, quæ erant illis necessaria.

Et unde Regi, jam regno suo deturbato atq; omnibus fere subsidiis spoliato, (nam & Marchio Tyro illum excludebat) ducenta millia militum? Imò, quorsum opus fuisset, tantum exercitum accessione mille militum, à Friderico, Barbarossæ filio, adductorum adjuvati, *supra c. 34. n. 5.* ? quid necesse fuisset, Galliæ & Angliæ Reges suis copiis tanta Guidonis castra adaugere?

Ipsa. e) Tyrus receptus Christianorum, & quasi belli arx contra Saracenos erat. *Nicet. l. II. de Isaac. Angelo c. 8.*

Conrado. f) Marchio de Monte-ferrato in Syriam orandi studio cum cæteris Christianis, relicto domi Conrado filio, commigraverat. Pater cum reliquis Christiani exercitus Principibus à Turcis in magno isto prælio IV. Non. Jul. gesto, capitur. Filius die tertia post captam Ptolomaidem cum aliqua manu militum in Syria appellit, & ad ipsam urbem vela dirigit. Verum intellecto, illam jam à Turcis teneri, Tyrum se convertit. Hîc mœstos cives bono animo esse jubet, exactis urbe ijs, qui populum ad defectionem, atq; ad Saracenos recipiendos sollicitabant, eamq; animosè contra Saladinum, qui terra mariq; ipsam obsidebat, defendit. In ipsa obsidione suos ad incommodandum hosti, atq; ad prædas agendas emittit. Qui cùm aliquando inter cæteros captivos etiam primarium ex Turcis virum captum adduxissent, illum cum patre commutans, senem in libertatem iterum asseruit. *Gulielm. Neubrig. l. III. c. 18. & 19.* Marchionem juniorem eodem die, quo Saladinus Christianum exercitum fuderat, (de quo *supra c. 5. n. 25.*) Tyrum appulisse vult *Mar. Sanut. l. III. part. 9. c. 8.*

divertit. g) Tyrum Christiani anno 1124. XV. Kal Mart. obsederant, & Nonis Julii ejusdem anni ceperant. *Fulcher. Carnotens. ad h. ann. Auctor Histor. Hierosol. part. 2. ad h. annum. Jacob. de Vitr. c. 43. Sanut. l. III. part. 6. c. 12.*

Nunc, i. e. anno 1187. Saladinus eam frustra obsidet, Conrado Marchione ipsam defendente. Vide *supra l. III. cap. 26. n. 1.*

CAPUT XXXVI.

1. Wido & socij de urbe expugnanda desperant.
2. Interim classis è Germania appellit.
3. Saladino hinc metus injicitur.
4. Christiani arctius urbem obsident.
5. Conradum Marchion. & Ludovicum, Landgr. Thuringiæ advocant.
6. Saladinum vincunt.
7. Christanos de mulo contendentes Saraceni clade afficiunt.
8. Christiani obsessis exitum præcludunt.
9. Obsessi

9. Obsessi turres illorum igni Græco cremant. | *10. Landgravius moritur.*

1 IGitur cùm Wido rex, ut dictum est, civitatem Accon obsideret cum militibus Teutonicis & ijs, qui de Longobardia & Thuscia apud Tyrum collecti erant, inter quos primates erant Comes de Gelren, & Henricus(a) Comes de Aldenburg, & Widekindus, Advocatus de Rieden, & Adelbertus Comes de Poppenburg, & alij complures Episcopi & nobiles, Saladinus eos sine inter-
2 missione infestabat, ita ut se illic subsistere desperarent. Sed qui gemitum filiorum Israel in Ægypto olim audivit, cùm affligerentur à Pharaone, nunc recordatus misericordiarum suarum, respiciens de solio suo excelso, misit eis auxilium. Deniq; tertia die obsidionis in Cal. Septembr. apparuit multitudo navium, de diversis Teutonicorum (b) partibus venientium, quas Dominus per religiosissimas circumgyrationes regionum, per longissimos tractus marium, ita illæsas gubernaverat, ut nunquam secundus eis ventus defuerit, & nulla earum vel homines vel instrumentum aliquod perdiderit. Fuerunt autem quinquaginta quinq; naves Teutonicorum, expansis velis applicantes. Quibus junctus erat Princeps quidam de Anense, nomine Iacobus, cum quinq;
3 magnis navibus, viris & armis onustatis, similiter & victualibus. Saladinus verò, qui cum innumerabili multitudine proxima die super milites Christi irruere disposuerat, cognito adventu tantæ classis, primò quidem obstupuit, & in amaritudine cordis anima deficiente, totus contabuit: quia quos à terra ar-
4 cere non potuit, eos ad destructionem sui venisse non dubitavit. Cùm ergo portum tenuissent, & egressi fuissent in manu valida, vallaverunt in gyrum civitatem, nec tamen inhibere poterant, quin homines Saladini, quoties placuisset, cum camelis intrarent & exirent civitatem ad portam, quæ vergebat ad Orientem. Sicq; multo labore & periculo ferè per mensem in obsidione laboraverunt, & multum exhausti erant continuis excubiis & vigiliis. Quia Sarraceni sine intermissione sagittis & incursionibus eos inquietabant. Cogitabant
5 autem confligere cum eis, si fortè propitio Deo possent obtinere eos. Et miserunt Tyrum pro Marchione Conrado & Ludovico(c) Comite provinciali de Turingia, qui nuper de terra sua gloriosè venerat cum multa copia militum & victualium, rogantes ut præsidio eis fierent. Marchio tamen sæpius vocatus venit invitus, propter simultates quasdam, quas contra regem habebat. Arguebat enim eum, quòd pro sua tantùm liberatione multas civitates munitas Saladino tradidisset. Venerunt tamen in manu valida, & lætati sunt in adventu eorum, maximè tamen de adventu Landgrafij, qui tunc novus venerat,

rat, & quasi princeps militiæ illorum fuerat. Dominus etiam Patriarcha in castra venerat, qui animos plurimorum confortabat. Ordinata igitur acie, o- 6
mnis multitudo equestrium & sagittariorum & robustorum in campestribus erant, cæteri verò contra insultus eorum, qui in civitate erant, castra servabant. Cumque congrederentur, qui foris erant, irruerunt viri civitatis super eos qui castra servabant, & arctabant eos vehementer. Sed fugata sunt castra Saladini: quod videntes hi, qui naves servabant, vociferati sunt, fugere Saladinum, sicque liberati sunt hi, qui in castris erant. Porrò campestres fugientem Saladinum persecuti sunt in montana, & reversi sunt, timentes insidias. Cumque 7
pedites in castris raperent spolia, orta est inter eos seditio de quodam mulo, qui rapiebatur ab omnibus, trahebatur ab omnibus, ita ut mutuo populus contra populum pararetur ad bellum. Quod cognoscentes Sarraceni, cum insidiis irruerunt super eos, & prostraverunt ex eis plusquàm viros mille, & cæteri fugerunt ad castra. Et facta est in populo Dei tristitia magna. Ex illo 8
tempore statuerunt, ut vallo se circumdarent, ne hostibus subitanea præda fierent. Foderunt ergo duo fossata magna, unum versus civitatem, aliud versus campestria, & hoc muniti præsidio quietis, vacabant otio, conclusis his, qui in civitate erant, quibus libertas exeundi & redeundi subtracta erat. A- 9
gente autem Landgrafio & cæteris nobilibus, multo labore & expensis multis tres turres ligneas contra civitatem erexerunt. Et cùm se eam tali instrumento obtinere crederent, qui in civitate erant, omnia illa ædificia igne, qui dicitur Græcus ignis(d), concremarunt. Quo facto, milites Christi mœror occupavit & indignatio & quædam de hostium subsannatione confusio. Mor- 10
tuus est etiam post dies illos Landgrafius: inde quasi sine principe esse videbantur.

Henricus. a) Henricus hic habuit patrem Henricum, avum Elimarum II. *Albert. Stad. ann. 1167. Herm. Hamelmann. Chr. Old. part. II. c. 1.*

Teutonicorum. b) Tertia hac Christianorum in Syriam expeditione tertius Ordo sacræ militiæ ex Teutonicis ortus est, uti diximus ad *lib. III. c. 24.* Cùm enim Ptolemaidis obsidio longius protraheretur &, multi milites dyseteriâ laborare cœpissent, plurimi etiam quotidie ab hosticus fœdè vulnerarentur, qui ministrantium ope destituti miserè per castra, cum inedia, vi morbi & egestate conflictantes, dispersi jacebant, Lubecenses nostri inprimis & Bremenses; qui instructa classe Christianis Ptolemaidem oppugnantibus auxilio venerant, Francorum pietatis gloriam æmulantes, & miserorum calamitate moti, extensis per campos navium velis, tuguriola construebant, ægros colligebant, eisdemq; quæ ad restituendam valetudinem facerent, piè ministrabant. Tum Christianorum Principes communi consilio de novo aliquo ordine Germanorum militum, qui nobili genere orti es-

ſent, inſtituendo deliberabant. Nam qui ſe pio operi devoverant, brevi tempore aucta ſocietate etiam militiam ſibi depoſcebant, regulâ Templariorum ſuſceptâ. Ad promovendum pium virorum inſtitutum Hieroſolymis domus hoſpitalis, quæ Mariæ virgini ſacra erat, illis conceditur, & *milites Ordinis Teutonicorum*, item *fratres domus hoſpitalis S. Mariæ* in Jeruſalem appellantur. Is tertius ſacræ militiæ Ordo, ad Hoſpitalarios & Templarios additus, adverſus Saracenos inſtitutus eſt. Atq; ut nihil ordini deeſſet, Henricus VI. Imperator à Cœleſtino III. obtinuit, ut is eum confirmaret. Data eſt veſtis alba cum nigra cruce, ſanctiq; Auguſtini regulam ſectari juſſi ſunt. Nemo niſi Teutonicus, atq; idem nobili genere ortus, in ſocietatem adſcitus eſt. Duo eorum genera conſtituta: nam alii ſacris præerant, alij militiæ vacabant. In omnes *Magiſter Ordinis* imperium tenebat, penes quem ſolum in delinquentes animadvertendi jus & poteſtas erat. Inter cætera Ordinis iuſtituta etiam præceptum erat, ſingulis diebus noctibusq; ducenties Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum atq; Angelicum ſalutationem dicere, ac vilibus pro lecto uti ſtragulis. Cùm Syria in Saracenorum poteſtatem tota deveniſſet, iſti in Europam ſuam reverſi & bonis multis aucti ſunt; tandemq; permittente Friderico II. Imperatore, ſuo ductu atq; auſpicio Pruſſiam ſubegerunt, & jure belli partam totam ſuæ ditionis fecerunt. Gens iſta à religioſis militibus devicta cum imperio etiam religionem Chriſtianam complexa eſt. *Jacobus de Vitriaco l. I. Hiſtor. Hieroſ. c. 64. & 65. Mar. Sanut. l. III. part. 7. c. 3. Theodoricus de Niem, de inveſtitura Epiſcopatuum, §. de Frider. II. Chronic. Slav. anno 1188. Polydor. Vergil. de rer. invent. l. VII. c. 5. Carol. Sigon. l. XV. de regn. Ital. anno 1192. Krantz. Wandal. l. VI. c. 28. Franciſcus Modius de Ordinib. Eccleſiaſtic. Aubertus Miræus de Originib. Equeſtr. l. I. c. 2. & ſeqq. Franciſcus Mennenius in Delic. Equeſtr. Caſp. Hennenberg. Chron. Boruſſ. p. 360. Salomon. Schweigger. Itiner. l. III. c. 23.* Querelam Germanornm de domibus & prædiis Ordini Teutonico per Apuliam & Siciliam operâ Romanorum Pontificum ereptis, atq; ad Cardinales & Epiſcopos translatis vide *Catalog. Teſt. Verit. p. 343.*

Ludovicus, c) Ludovicus V. eſt; de quo *ſupra ad l. II. Helmoldi c. 30.* & *l. III. Arnoldi c. 15.*

Græcus. d) Narrat idem de his turribus concrematis *Mar. Sanut. l. III. part. 10. c. 4.* Ignis Græci primùm meminit *Georg. Cedrenus* ſub Imperatore Pogonato, cùm ſcribit, Callinicum (circa ann. 673.) ab Heliopoli Ægypti Conſtantinopolin confugiſſe, ignem hunc inveniſſe, & claſſem Saracenorum ad Cyzicum exuſſiſſe. Sua autem ætate, id eſt, circa ann. 1055. Lamprum artificioſi hujus ignis ſtructorem eſſe. Verba ejus ſunt: Τότε Καλλίνικος ἀρχιτέκτων ἀπὸ Ἡλιουπόλεως τῆς Αἰγύπτου προσφυγὼν τοῖς Ῥωμαίοις, πῦρ θαλάσσιον κατασκευάσας τὰ τῶν Ἀράβων σκάφη κατέπρησεν ἐν Κυζίκῳ, σύμψυχα καταποντίσας αὐτά. Αὐτὸς οὖν ἐστὶν ὁ τὸ θαλάσσιον πῦρ ἐφευρών.

ρων. ἐκ τούτου κατάγεται ἡ γενεὰ τοῦ λαμπροῦ τοῦ νυνὶ τὸ πῦρ ἐντέχνως κατασκευάζοντος. Etiam *Sigebertus Gemblacensis* hunc Callinicum marini ignis auctorem & inventorem primum laudat, anno 678. sed ex Callinico corrupte Balinicum facit, & pro Ægypto Syriam habet. Leone Isauro imaginum cultores atrociter persequente, Conon ob crematos XII. Monachos à Græcis & incolis τῶν κυκλάδων νήσων bello impetitus est, & quidem μεγάλη ναυμαχία. At Byzantio jam appropinquantium naves una cum ipsis Græcis hoc igni incensæ. οἱ καὶ προσπελάσαντες τῷ βυζαντίῳ ἡττῶνται, ἐμπρησθέντων αὐτῶν ἐντὸς νηῶν τῷ σκευαστῷ πυρί. Nicetas, Basilij, Græci Imperatoris, Dux contra Agarenos, ex Creta excursionem facientes, missus, naves illorum igni Græco comburit, circa ann. 866. *Georg. Phranza l. I. c. 36.* Cùm Inger, Russorum Rex, ad expugnandam Constantinopolin cum mille & eo amplius navibus venisset, Romanus, Imperator Constantinopolitanus, Græco igni injecto pene omnes naves exussit, *Liuthprand. l. V. c. 6. Gemblac. anno 936.* Hugo, Italiæ Rex, igne hoc ab eodem Romano accepto, naves Saracenorum incendit *Liuthprand. l. V. cap. 4. 5.* Richardus, Angliæ Rex, anno 1191. cum classe sua ad Ptolemaidis obsidionem (de quâ hîc Auctor) augendam tendens navē eximiæ magnitudinis habebat obviā, quæ ex Ægypto commeatū & arma ad obsessos vehebat. Erant in ea præter alia etiam plurima vascula igne Græco referta. Hanc Rex adortus mari mersit, *Petrus Bizarus de expeditione quarta in Syriam. p. 605.* Ex quibus materijs hi ignes conficiantur, & quæ istorum componendorum ratio sit, docet *Hieronym. Cardanus de Subtilitate l. II. p. 36.* ubi inventionem illorum ad Marcum Gracchum refert, & *Jul. Cæs. Scaliger de Subtil. Exercit XIII. distinct. 3.* Plura de his ignibus habent *Simon. Majol. Tom. I. dier. canic. Colloq. XXII. Guido Paucirollus part. II. Tit. 9.* & ibi *Henricus Salmuth in Notis. Calvis. ann. 713. 717. 727.*

CAPUT XXXVII.

1. *Philippus, Rex Galliæ, obsidentibus se jungit, circa solennia Paschatis.* - - - - - - *1191.*
2. *Richardus I. Rex Angliæ, Cyprum expugnat; Regem captum catena argentea onerat.* - - - *1191*
3. *Widoni regnum Cypri confert.*
4. *Rex Angliæ auget obsidionem Ptolemaidis.*
5. *Obsessi se dedunt, V. Id Julij.* *1191.*
6. *Pecunijs & ligno crucis reddendo vitam se redemturos sperant.*
7. *Cùm neutrum à Saladino impetrarent, IV. millia trucidantur.*

8. Rex Galliæ domum remeat.
9. Rex Angliæ Ascalonem occupat.
10. Conradus Marchio à sicarijs perimitur. - - - - - - 1191.
11. Senex Saracenorum suos præstigijs fascinat.
12. Sicarios, cultro sacrato ipsis tradito, emittit.
13. Rex Angliæ cum Saladino pacificatur, & domum tendit. - 1192.
14. Capitur à Leopoldo, Duce Austriæ, & ad Imperatorem deducitur. 1192.

1 VErùm(a)supervenit rex Franciæ,& in manu valida cœpit vallare civita-
2 tem,& erexit adversus eam machinas. Siquidem(b)rex Angliꝯ in expugnatione Cypri occupatus erat. Cyprus est regio mari circumdata, regi Constantinopolitano subdita, persoluens ei annuatim septem auri pondera, quæ centenere dicuntur. Invaluerat autem rex terræ(c)illius divitiis,& in superbiam elatus, recessit â Constantinopolitano similiter & á fide catholica. Hujus rei gratia eum Anglicus impetebat,& obtinuit eum & terram ipsius, conjiciens eum in vincula apud civitatem, quæ Meregart dicitur. Et quoniam hoc juraverat(d), ne ferro eum compediret, catena eũ vinxit argentea, ibiq; mor-
3 tuus est. Accepit autem de terra ejus thesauros maximos. Ipsam(e)etiam quasi sub titulo Christianitatis consignavit in manu Widonis, regis Hierosolymorum, qui jam regno privatus erat, uxore mortua. Et regnum ipsius Conradus
4 Marchio cum sorore(f)uxoris obtinuerat. Vastata(g)ergo Cypro, rex Angliæ applicavit Accon,& junctis viribus cum rege Franciæ arcebat civitatem. Siquidem milites Christi dantes se periculo, sine intermissione nocte & die suf-
5 foderunt muros ejus,& turres præcipitaverunt. Et necessitate coacti, qui intus erant, de civitatis declinatione agere cœperunt. Miserunt autem occultè frequentes nuncios Saladino, ut eos ipse, sicut promiserat, liberaret. Quod cùm
6 non posset, tradiderunt(h)civitatem. Captivatis autem omnibus, qui intus erant, pro sui liberatione promiserunt(i)pecunias multas, insuper ligni Domini restitutionem, datisq; obsidibus, acceperunt inducias unius mensis,& abeuntes ad Saladinum de ligni Dominici restitutione, nihil quidem profecerunt,
7 sed nec pecuniam persoluere potuerunt. Et ita reversi intraverunt civitatem, & trucidati ita quatuor (k) millia virorum gentilium in conspectu Saladini.
8 Carchas verò & Mesthius & alij nobiliores pecunia se liberaverunt. Rex autem(l)Franciæ capta civitate ingressus classem, ad sua reversus est, ea tamen conditione, ut ex omnibus spolijs civitatis dimidietatem obtineret. Quod rex
9 Angliæ in pręsenti quidem promisit, sed minimè persoluit. Post discessum(m) verò regis Franciæ, convertit se ad Ascalonem, ut expugnaret eam. Quod videntes habitatores ejus, succenderunt eam,& fugerunt. Ipse autem desolatam ingrediens, firmissimè eam reædificavit, instaurans muros ejus & turres. Post dies

dies illos(n) occisus est Conradus, rex Hierosolymorum, dolo, ut dicitur, regis Angliæ & quorundam Templariorum. Siquidem princeps de montanis, qui quadam excellentia principatus dicitur senex, precio corruptus, duos de suis misit, qui eum occiderent. Quiddam ridiculosum de hoc sene dicturus sum, sed tamen assertione fidelium mihi attestatum. Idem senex præstigiis suis ita circumvenit homines terræ suæ, ut nullum præter ipsum Deum venerentur vel credant. Qui etiam quandam spem & quædam gaudia æternæ jocunditatis monstruosè eis pollicetur, ut optent magis mori quàm vivere. Sæpe enim multi eorum ad nutum vel imperium suum stantes in muro excelso se præcipitaverunt, ita ut cervicibus fractis, miserabili morte interierint. Beatissimos autem eos affirmat, qui humani sanguinis fusores ipsi pro tali ultione occubant. Cumq; aliqui eorum talem elegerunt mortem, ut aliquem dolo occidant, pro cujus ultione ipsi beatius moriantur, ipse eis cultros(o), quasi ad hoc negotium sacratos, administrat, & tunc poculo eos quodam, quo in ecstasin vel amētiam rapiantur, inebriat, & eis magicis suis quædam somnia phantastica, gaudiis & deliciis, imò nugis plena, ostendit, & hoc æternaliter pro tali opere eos habere contendit. Iste, ut dictum est, munere corruptus, de tali secta duos ad occisionem Marchionis his, qui in mortem ejus conspiraverant, misit. Qui tamen eo occiso, & ipsi occisi sunt, sed nescio an deificati. Mortuo autem Marchione (quia hoc nomen ei usitatius erat) sive rege, facta est perturbatio non modica in populo Dei: quia cecidit vir bonus & prudens, per quem sæpe Dominus salutem operatus est in Israel. Post hæc(p) rex Angliæ volens ad loca sua reverti, pacem firmissimam cum Saladino constituit tribus annis & quadraginta diebus: quæ tamen stare non potuit, nisi rex destrueret Ascalonem. Quam etiam, necessitate compulsus, destruxit: quia inhabitatores non habuit, qui eam post discessum ipsius inhabitarent. Igitur (q) navem ingrediens, applicuit Bulgariam, homines verò ejus abierunt Brandiz. Ipse verò cum paucis intrans galeidam, abiit Ungariam, nec reversus est via qua venerat. Timuerat enim regem Franciæ, quem offenderat, quia sororem ipsius, quæ ei desponsata fuerat, & quam idem rex Franciæ obviam ei duxerat, non duxit uxorem, sed filiam regis Avernensis (r) sibi copulaverat, quam mater ipsius cum multa ambitione adduxerat. Cùm igitur sibi præcavisset hunc laqueum, in cidit in alium. Nam cùm transisset Ungariam peregrino more (nam templariorum habitu se suosq; induerat) captivatus (s) est à Duce orientalis Austriæ, qui eum Imperatori præsentavit. Sic necdum liberata est terra repromissionis propter peccata nostra. Necdum enim completa sunt peccata Amorræorum, sed adhuc manus Domini est extensa.

(Margin numbers: 11 at "misit, qui eum occiderent"; 12 at "cipitaverunt"; 13 at "quem sæpe Dominus"; 14 at "psius cum multa ambitione".)

Verùm.a) Quarta est Principum Occidentis in Syriam sacra expeditio; quam etiam *Petrus Bizarus* luculenter descripsit. Philippus, Galliæ, & Henricus II. Angliæ Rex cum Richardo filio, primi quidem ab Archiepiscopo Tyrio, qui ex Oriente missus erat, signum crucis susceperant, statutis atq; privilegiis in eorum gratiam promulgatis, qui se comites itineris professuri essent: sed ultimi, anno demum 1190. expeditionem ingressi sunt. In causa inprimis erat bellum, quod inter Reges Galliæ & Angliæ tunc oriebatur. Ad quod sopiendũ cùm Reges convenissent, Richardus ad Gallos defecit. Inde pater mole belli oppressus & mœrore animi obrutus vitâ excessit. *Gulielm. Neubrig. l. III. c. 22. 23. 24. 26. l. IV. c. 12.*

Siquidem.b) Alii alias hujus expugnationis afferunt causas. Nonnulli hanc, quòd Isaacius Comnenus, tyrannus Cypri, Christianus ille quidem, sed Saladino amicus, Richardum Regem, tempestate adversa usum, & Cypri litora adire compulsum portu arcuerit, ut *Neubrig. l. IV. c. 19. Georg Lilius in Richardo I. Carol. Sigon. l. XV. de regno Ital. anno 1191. Petr. Bizarus de bello Cypr. lib. I. Polydor. Vergil. Angl. hist. l. XIV. anno 1190.* Alij istam, quod tres ejus naves interceptas repetenti denegarit. Alij deniq; illam, quòd, cum Richardi Regis soror cum filia Regis Navarræ fratrem Regem sequeretur, & Cyprum præternavigans, scapham ad insulam mitteret, quæsitum ecquid de Rege Richardo compertum haberent, tum invitatæ quidem sint Principes virgines, ut appellerent, detrectantes autem eas id facere, Isaacius capere voluerit. Eam injuriam cùm questæ Regi essent, ipsum insulam bello adortum esse. *Marin. Sanut. l. III. part. 10. c. 4. Bartholomæus de Saligniaco, Tom. IV. cap. 2.* Noster Auctor ideo factum autumat, quod à fide catholica defecisset.

rex terræ. c) Is erat Isaacius, qui ex Isauria veniens Cyprum per tyrannidem invaserat. Hunc Rex Angliæ primùm in vincula conjecit: paulò pòst hominem nefarium inde abductum cuidam suo populari pro mancipio donavit. Sed cùm in Palæstinam navigaret, relicto in Cypro exercitu, insulam sibi vendicavit, & navibus onerarijs eò missis, necessaria inde afferenda curavit. Ex Syria discedens, insulam pro sua Hierosolymitano Regi donavit, ut ibi amisso regno habitaret, belli molestiis liberatus, & Cypro imperaret, ut à se Dominico sepulchro attributæ, & cum Palæstinæ finibus conjunctæ. *Nicet. Chon. l. II. de Andronico, c. 9. & l. II. de Isaacio Angelo. c. 8. Neubrig. l. IV. c. 19. 27.*

juraverat. d) *Gulielm. Neubrig.* hanc causam adfert, quod tyrannus, vinciri jussus, dixisset, se ferro vinctum citò defecturum. *lib. IV. c. 19.*

Ipsam. e) Ex quo Cyprus ab Anglo capta, & Guidoni Lusignano pro regni Hierosolymitani titulis permissa est, regnum esse cœpit. *Rein. Reineec. Append ad Albert. Aquens. l. I. c. 7.*

cum sorore. f) Erat illa Isabella, soror Sibyllæ. Habebat Balduinus leprosus sorores, Sibyllam & Isabellam. Sibyllam primùm elocabat Guillelmo de Longaspata, egregio juveni, fratri Conradi Marchionis. *Wilhelm. Tyr. l. XXI. c. 13.* Vide *supra l. III. c. 23. n. 2.* Ex hoc matrimonio Balduinus, puer, natus est. Guillelmo præmaturâ morte abrepto eam Guidoni Lusignano nuptum dabat, eidemq;, quod ipse infirma teneretur valetudine, regni administrationem cum ea concedebat. *Tyr. l. XXII. c. 1. Mar. Sanut.*

Sanut. l. III. part. 6. c. 24. Moriebatur ipsa inter obsidionem Acconis anno 1188. adeoq; regnum morte ejus ad Isabellam sororem perveniebat. *Jac. de Vitriaco l. I. Hist. Hieros. c. 98.*

Isabella anno ætatis octavo, i. e. anno 1179, Henfredo de Torono desponsa est, eidemq; anno quarto pòst elocata, *Wilhelm. Tyr. l. XXII. c. 4. 5. & 28.* At pòst facto cum hoc divortio nupsit Conrado, Marchioni Montisferrat. Illo ab Assassinis cæso concessit in thalamum Henrici Comitis Campaniæ. Hic cùm præcipitio periisset, tandem Americo, Guidonis fratri in matrimonium data est. *Roger. de Hoved. Annal. part. post. p. 717.*

Vastata. g) Paulo plus duobus mensibus in Cypro exactis etiam Ptolemaidem, paucis diebus ante d. festum Johannis Baptistæ pervenit, & effecit, ut intra tricesimum diem urbs dederetur. *Neub. l. IV. c. 19.*

tradiderunt. h) Hanc Ptolemaidis deditionem anno 1191. factam esse supra *ad c. 35.* ostendimus. Eximium clarorum virorum numerum, qui inter obsidionem Acconi perierunt, enarrat *Roger. de Hoved. part. post. p. 685.*

promiserunt. i) Conditiones deditæ urbis habet *G. Neubr. l. IV. c. 20.*

quatuor. k) *Neubrig.* ponit duo millia & sexcentos.

Rex a. Franc. l) Post quindecim à deditione Ptolemaidis dies. Ut primum Anglus in castra pervenit, simultates inter illum & Gallum ortæ sunt. Nam hic quidem mediam Cypriæ prædæ partem postulabat. Ille autem istarum tantùm rerum mediam partem se promisisse regerebat, quas communibus armis occupassent: Cyprum verò se solum expugnasse. Gallus contrà fœdifragum illum & communium pactorum violatorem appellabat. Accedebat & alia dissensionis causa. Gallus enim in obsidenda urbe partes Conradi Marchionis præcipuè juvabat, ad easq; Anglum in Syriam appellentem pertrahere frustra conabatur. Anglus autem Guidonem, ut hominem Aquitanicum, cujusq; propinqui & consanguinei sub Anglico imperio viverent, fovebat. Cæteras causas cur Gallus maturiùs discesserit, vide apud *G. Neubrig. l. IV. cap. 19. 20. Polydor. Vergil. l. XIIII.*

Post discessum. m) Res ab Anglo post discessum Galli, usq; ad Ascalonis occupationem, gestas, in quibus est prælium VII. Idus Sept. commissum, exponit *G. Neubrig. l. IV. c. 21.*

Post dies. n) Qui cædem hanc patrarunt, plerisq; scriptoribus *Assassini* dicuntur; unde Jurisconsultorum vox *Assassinium.* Nonnulli tamen in illo nomine scribendo variant. Nam Assassini *Johanni Bromton*, *p. 1243.* Assessini *Matthæo Paris*, *p. 927.* Assissini *Wilhelmo Tyro*: Assanitæ *Ammiano lib. XIV.* Arsasidæ *Marino Sanuto*: Harsassini *Vincentio in Speculo Histor. l. XXXII. c. 66.* οἱ χάσιοι *Nicetæ Choniatæ*: Assasi & Accini *Rogero de Hoved. Annal. part. post. p. 716.* Hansesisij *Gulielmo Neubrig. l. V. c. 4.* Heissessim *Arnoldo nostro infra l. VII. cap. 10.* appellantur. Mira de ista natione tradunt, quæ nunc omnia huc referre, non est nostri instituti. Circa Tortosam, Phœniciæ urbem, loco montibus & scopulis undiq; munito, sed & omni rerum copiâ & maxima agrorum ubertate prædito, habitarunt. Numerus eorum ad XL. mil-

XL. millia (*Tyrius* habet LX. millia) excurrisse scribitur. Ducem sibi præfecerunt, quem non tam ab ætate, quàm à dignitate *Senem*, & à loco, *Senem de montibus* appellavere. Hunc narrant delicijs atq; incantamentis juvenes suos fascinare, & ad cædes passim faciendas animare solitum esse; qui ab ipso dementati ita in nobiliores personas grassati sint, ut multas regiones ad tributa tyranno isti pendenda coëgerint. Tanta siquidem illos Princeps sibi devinxit obsequendi promtitudine, ut ad nutum ipsius de turribus & rupibus se præcipites darent, in enses irruerent, in undas desilirent, in ignem se conijcerent, & ad illos missi, quos eorum Princeps occisos volebat, ut hospites & amici adirent, &, aut se habere quod eis dicant, aut legatos venire simulantes, sæpe domini sui adversarios pugionibus occiderent, nulla difficultatis & explorati supplicii ratione habitâ. Exemplum narrat *Marin. Sanut. l. III. part. 10. c. 8.* Prolixè de ijsdem *Wilhelm. Tyrius l. XX. c. 31. 32. Jacobus de Vitriaco Hist. Hierosol. c. 14. & l. III. p. 1142. Paulus Venetus in Itiner. l. I. cap. 28.* quibus addantur *Nicetas Choniata de Isaac. Angelo l. II. c. 1. Haythonus Armenius Histor. Orient. c. 51. Mar. Sanut. l. III part. 6. c. 23. Gulielm. Neubrig. l. IV. c. 22. Borchard. Monach. part. II. c. 2. §. 8. Paulus Æmilius. l. V. p. 166. Franc. Duaren. Disputat. anniverss. l. II. cap. 12. Tiber. Decian. Tractat. crim. Tom. I. l. 9. c. 30.* Cædem hanc Conradi Marchionis, ab Assassinis profectam, descripsere *Nicetas loco laudato, Mar. Sanut. l. III. part. 10. c. 7. Roger de Hoveden Annal. part. post. p. 716. Johannes Bromton Chron. Angliæ p. 1243. Raphael Volaterranus Geograph. l. XI. de sectis Syriæ.*

Hi Assassini misso ad Amalricum Regem legato Christianæ religionis sacra se suscepturos profitebantur, si duo millia aureorum, quæ militibus Templi quotannis tributi nomine persolvebant, sibi remitterentur. Sed Templarij legatum abeuntem ex insidijs adorti peremerunt, & Assassinorum conversionem crudeli facinore irritam reddiderunt. *Tyrius l. xx. c. 31. 32. Sanutus l. III. part. 3. c. 23.*

cultros, o) Fredegundis regina duos sicarios cum cultris, quos vulgo Scramasaxos vocabant, veneno infectis, in Regem Sigebertum, Chilperico fratri bellum moventem, mittit; qui utrumq; ei latus feriunt, ut statim mortuus concideret. *Gregor. Turon. l. IV. c. 51.* Factum hoc anno 574. juxta *Hermannum Contract. edit. Canis.* Anno 579. tres filii Chilperici dysenteria periere: quartus ab ipso custodiæ mancipatus molitionibus novercæ Fredegundis cultro transfixus interiit. *Idem.* Eadem Fredegundis duos percussores cum cultris veneno imbutis in Childebertum Regem, Sigeberti filium, circa ann. 585. emittit; qui tamen deprehensi & facinus confessi pœnas dederunt. *Turon. l. IIX. cap. 29.* Ad cultros hujus lenis haut incommodè referas sicã illam Catilinæ, de qua *Cicero Catil. 1. §. 16.* Quoties jam quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus? quoties verò excidit casu aliquo, & elapsa est? tamen ea carere diutius non potes; quæ quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putes consulis in corpore defigere.

Post hæc. p) Antequam Rex discederet, reliquias regni in Oriente cum communi Procerum consensu Henrico,

Cam-

Campaniæ in Gallia Comiti committebat. Inducias in tres annos, tres menses, tres septimanas & tres horas factas esse scribit *G. Neubrig. l. IV. c. 27.*

Igitur. q) IIX. Idus Octobr. anno 1192. *Roger. de Hoved. Annal. part poster. p. 717.*

Avernens. r) i. e. Regis Navarræ.

captivatus. s) Cùm inter Aquileiam & Venetias naufragium passus cum paucis elapsus esset, terrestri itineri se commisit, & à Duce Austriæ Humboldo, pro ulciscēda injuria, qua ille in Syria se affectum prætendebat, xx. Decembris, captus & in custodiam traditus est. *G. Neubrig. l. IV. c. 29. 30. Roger de Hoved ibid. Aventin. Ann. Boj. l. VII. p. 657. Carol. Sigon. l. XV. de regn. Ital. anno 1192.* Anno sequente Imperator Ducem Austriæ terrore armorum illato ad Regem sibi dedendum adegit. Imperator enim illum oderat, quod Regi Tancredo auxilia misisset, & Conradum Marchionem, propinquum Imperatoris, per Assassinos trucidandum curasset. Tum Richardus sub certa pecuniæ conditione dimissus in d. festo Palmarum anno 1293. ad Imperatorem pervenit. In vigilia Petri & Pauli de lytro convenitur, & Rex deinceps in liberiori custodia habetur. Per Angliam Regi redimendo ita omnis pecunia corraditur, ut etiam calices usibus sacris inservientes distrahantur. Tandem Anglus mense Januario anno 1194. liber dimittitur. *Auctores iidem.* Regem CLXX. millia marcarum solvisse narrat *Godefrid. Monach.* At *Paulus Æmilius* ipsum duodeviginti menses in custodia habitum, tandem centum millibus ac quingentis pondo argenti se redemisse scribit *l. VI.* Centum millia marcarum, habet *Felix Faber Histor Suevor. l. I.*

ARNOL-

ARNOLDI, ABBATIS LUBECENSIS

CHRONIC. SLAVORUM LIBER IIII.

CAPUT I.

1. Henricum L. ex Anglia redeuntem Hartwicus, Archiep. suscipit. 1189. 2. Henricus L. Holsatiam, Hamburgum, Plönam & Itzehoam occupat. 3. Comitis Adolphi Affinis, mater & uxor Lubecam confugiunt.

1 INTEREA autem quando hæc expeditio seu peregrinatio celebrabatur, non defuerunt nova in Saxonia. Siquidem ipso anno, quo Dominus Imperator circa Majum exierat unà cum his, qui cum eo amore Dei peregrinati sunt (inter quos erat Adolfus Comes) Dominus Hartuicus, Bremensis Archiepiscopus, Dominum Ducem (a) Henricum unà cum filio suo æquivoco circa festum B. Michaelis de Anglia revertentem benignè suscepit. Et sperans se per eum recuperare posse pristinum statum, qui jam ab omnibus quasi despectus erat propter Thetmarchos, quos à Waldemaro (b) Slesvicensi requirere non valebat, & faciens cum eo amicitias, eum in Stadio collegit, &
2 Cometiam in manu ejus consignavit. Quo audito meliores Holsatorum Sturmariorum Duci Henrico occurrerunt, & pacificè eum salutantes introitum ei terræ obtulerunt. Qui gavisus est, & eos exaltare spopondit, si per eos introitum habere posset. Qui statim occupaverunt loca Comitis, Hammen-
3 burg, Plune, Etziho (c), & ejecerunt homines ejus de terra. Quod videntes Comes Adolfus de Dasle, qui tunc in terra erat vice nepotis, & Domina Mechtildis, mater Comitis de Schawenburg, & uxor ejus, Domina Adelheidis, filia Domini Burcardi de Querenforde, in civitatem Lubeke se receperunt.

Ducem. a) H. Leonem Richardi Regis affinis, & Daniæ Regis, generi sui auctoritate atq; opibus fretum, statim rediisse 1 rat *Godefr. Monach. anno. 1189.*

Wald. b) Vide *supra l. III. c. 21.*

Etziho. c) Vitiosè editum erat *& Zibo.* Restituimus veram lectionem ex *MSS. B. & R.* De antiquo hoc oppido diximus quædam ad *l. I. cap. 19. n. 5.* Illud cum pervetusto coenobio hoc anno 1657, VII. Augusti, cùm ab hoste op-

pugna

pugnaretur, totum conflagravit. Scilicet Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται, *Euripides in οἰκέτιδες, Cic. l. II. ad Q. Fratrem, ep. 14.*

Adolfus de Dasle. d) Adolphi pater erat Otho Comes de Dassel, qui supra *lib. II. c. 6. n. 6.* & *c. 7. n. 3.* vitiosè appellatur *Otto de Asle.* Othoni filii erant Hunoldus, qui ἄπαις obijt: Reinholdus, primùm Præpositus Hildensheimensis, postea Archiepiscopus Coloniensis, de quo supra *l. I. c. 86. n. 7.* Bernhardus, qui familiam liberis genitis propagavit, & hic Adolphus, qui propter nefandum facinus in concremando Northeimensi Monasterio commissum virginem sibi desponsam domum ducere prohibitus, adeoq; cœlibem semper vitam agere coactus est. Cùm enim Otho pater multos annos in exteris regionibus, præcipuè in Syria, inter illos, qui expiandorum delictorum causâ eò tunc frequentes commeabant, peregrinaretur, ut, viveret nec ne, ignoraretur, Saleme uxor ejus effecit, ut Adelheidis, Cunradi Dynastæ de Plesse filia, Adolpho filio suo desponderetur. Antequam autem eam domum duceret, simultas & gravis concertatio inter ipsum, & Canonicos Northeimenses de Advocatia quapiam orta est. Adolphus concitati & ferocis ingenij juvenis Monasterium Northeimense cùm XV. Canonicis eorumq; servis totum exussit. Ob crudele facinus non tantùm omnibus vicinis Principibus exosissimus redditus, sed etiam majori parte ditionum suarum exutus est. Nam Advocatus, seu vicarius per illas terras Henrici Superbi, Saxoniæ Ducis, statim arcem Lavvenburgum, & omnia feuda in districtu Gottingensi & Einbecensi, ut quæ vasallus propter delicti sui atrocitatem amisisset, occupavit. Cùm autem inter ipsum & adversarios, Archiepiscopo Moguntino & alijs Principibus arbitris, recõciliatio iniretur, triplex illi mulcta pro redimenda noxa à Judicibus anno 1130. dictata est. Nam primùm quidem Cœnobium D. Mariæ sacrum se ædificaturum, idemq; tantis reditibus dotaturum, qui XXIV. sacris Virginibus cum omni illarum famulitio alendis sufficerent, promisit. Præterea templum Monasterij Northeimensis, quod exusserat, novum condere, & Canonicis partem agrorum suorum concedere jussus est. Deniq; ut Adelheidin Sponsam nunquam domum duceret, sed illam Antistitem novo á se condendo cœnobio præficeret, Arbitri injunxerunt. Adolphus pro reatu peccatorum expiando, & ut Papa suo assensu confirmaret, quæ pro reducenda pace inter ipsum & adversam partem acta erant, itemq; ut ab illo privilegia cœnobio ædificando impetraret, Romam profectus est. Eò cùm venisset, Innocentius II & Anacletus II. de Pontificatu concertabant. Re igitur infectâ reversus, quod domi omnibus se invisum atq; exosum novisset, maluit inter exteros, præcipuè veró in Holsatia cum Adolpho, Affine suo, degere; qui etiam ipsi, sacrum iter cum Imperatore ingrediens, Holsatiam & domum suam regendam commisit.

Victoriam, quam Adolphus, Comes Holsatiæ, contra Henricum Leonem obtinuit, de qua *cap. seq.* virtute hujus Adolphi potissimùm consecutus esse videtur. Vide *Joh. Letzner. Chron. Comit. de Dassel l. I. c. 7, 8, 9, 10, 11.*

CAPUT II.

1. Henricus L. Bardeuicum expugnat, & evertit V. Kal. Nov. - 1189.
2. Lubecam deditione capit.
3. Lauenburgum occupat.
4. In Sigebergo expugnando Waltherus, Ducis militiæ præfectus, capitur.
5. Adolphus de Dassel Lubecensibus damna infert. - - - 1190.
6. Henricus L. Holsatos ad officium reducturus clade afficitur. - 1190.
7. Captivi lytro soluto dimittuntur.

1 DUx autem contracto exercitu de Stadio, & de terra Holsatorum, Sturmariorum & Polaborũ, vallavit Bardewig (a), assistente sibi Bernhardo Comite de Raceburg, & Bernhardo Comite de welpe, Helmoldo Comite de Suerin, & alijs amicis suis, & expugnare eam cœpit. Rebellabant autem hi, qui intus erant, nolentes tradere civitatem. Prævaluit autem Dux adversus eam, & devastata est civitas opulenta valde, nec pepercerũt viri bellatores ecclesiis vel cœmeterijs, sed ablatis omnibus succenderunt eam igne. Captiuatis autem omnibus, qui intus erant, inter quos erat Hermannus de Sturtenebuchle, & alijs militibus cum ciuibus ciuitatis, vix mulieres & paruuli captiuitatem eva-
2 serunt. Dux ergo prosperatus in via sua, circa festum B. Martini secundam expeditionem instaurat, & ad obsidionem Lubecanam se præparat. Cumq; jam appropinquaret civitati, territi qui intus erant propter desolationem memoratę civitatis, missis nunciis pacificè eum susceperunt, tali tamen conditione, ut Adolfus Comes de Dasle & mater Comitis de Schawenburg, qui tunc in peregrinatione erat, similiter cum conjuge ipsius & hominibus ejus, cum omni-
3 bus, quæ ipsorum erant, liberè terra exirent. Cumq; Dux obtinuisset civitatem & omnem terram Adolfi Comitis tunc peregrini, statim expugnabant Lawenburg, castrum Ducis Bernhardi, & post mensem traditum est in manibus ejus,
4 hac tamen conditione, ut hi, qui in castro erant, abirent illæsi. Succedentibus igitur prosperitatibus Dux obsideri fecit castrum Sigeberg, quod solum adhuc homines Comitis tenebant, per manum Waltheri de Baldensile, quem adjuvabant Holsati Sturmarij, sed tamen in dolo. Siquidem pœnitentia ducti de facto priore, mutata voluntate alienati sunt à Duce, & liberatum est castrum auxilio Eggonis de Sture & amicorum suorum. Et captivatus est Waltherus, & in vincula conjectus, castrum, quod prius expugnabat, exul in-
5 habitabat. Sic rursus infirmata est pars Ducis in partibus illis. Siquidem Adolfus de Dasle cum matre Comitis peregrini & uxore ejus reversus est, & inqui-
6 etabat civitatem Lubecanam in multis. Pòst adveniente Majo, ulcisci volens Dux de adversarijs suis, ordinavit acies in terram Holsatiæ per manum Bernhardi, Comitis de Raceburg, & per manum Helmoldi de Suerin & Iordanis

Dapi-

Dapiferi. Et exeuntes de civitate Lubeca, non longè in fugam versi sunt, & captivatus est Helmoldus & Iordanes Dapifer cum alijs multis. Sed & multi in flumine Trabene submersi sunt. Comes verò de Raceburg cum alijs fuga elapsus est. Helmoldus verò & Iordanes in castro Sigeberg manicis ferreis constricti sunt. Postea verò à captivitate soluti sunt, Helmoldo persoluente trecentas marcas denariorum, & Iordane, quia pecuniosus erat, quingentas marcas argenti. 7

Bardeu. a) Bardeuicum antiquissimum totius Saxoniæ septentrionalis oppidum fuit. Conditum enim ante natum Christum anno IɔccccXc. si fidem merentur versiculi, qui etiam hodie foribus basilicæ cathedralis in ruderibus Bardeuici incisi leguntur;

Abram dum natus mox Treviris incipit ortus:
Hinc annis Barduic mille, sex X, quoq; quinq;.

Religionis Christianæ fundamenta per Ægistum, unum ex LXXII. Christi discipulis in illa urbe jacta esse, eundemq; ibidem à barbaris occisum aliqui prodidere, ut *Herm. Kornerus Chr. MS. anno 1190.* & *Henricus Hervordiensis*, quem adducit *Henr. Meibomius in Bardeuico.* Oppidi eversionem hîc annotat *Arnoldus*, causam & occasionem tam funesti excidij reticens. Nos eam addemus verbis *Korneri*, qui ita: Causa autem destructionis hujus civitatis fertur fuissa talis: Nam secundum Egghardum, Henrico jam privato Ducatibus suis, & intrare eam volenti, ut consueverat, cives introitum negaverunt, portis clausis, & muros adscendentes posteriora sua nudata probrosè ei ostenderũt. Propter quod dedecus urbem jam capiens eam funditùs destruxit, ecclesijs quibusdam dimissis, sed ipsis spoliatis. Eadem ita nudè & simpliciter narrat *Chronicon Saxonicum antiquum*, anno 1188. & addit, Leonem novem templa ibidem reliquisse, quæ non destruxerit.

CAPUT III.

1. *Henricus VI. nequicquam Brunsvicum & Luneburgum occupare studet. 1190.*
2. *Archiepiscopum Bremensem in exilium pellit.*
3. *Henrico L. in conventu Fuldensi tres conditiones proponit. - - - 1191.*
4. *Dux conditiones, quas inierat, non omnes servat.*

REx autẽ juvenis audito reditu Ducis Henrici & filij ejus, indignatus est, tum quia quasi despiciens adolescentiam suam contra jusiurandum ante tempus redisset, tum quia terram Adolfi Comitis sibi usurpaverat, qui cum patre suo, ut dictum, exulaverat. Impetu igitur quodam venit Brunschvvig, volens vastare eam. Quam cùm propter instantem hyemem obtinere non potuisset, abijt Limberg ad castrum Conradi de Rothe, volens obtinere illud. Sed cùm nec ibi profecisset, amaro animo reversus est in locum suum. Archiepiscopum tamen Bremensem Hartvicum, qui hujus perturbationis causa fuit, querimonia Bremensium de sede sua disturbat. Ille verò iram regis ferre non valens, in Angliam profectus, per annum ibidem degit. Pòst reversus, ad Ducem se contulit. Dux tamen mediante Conrado, Archiepiscopo Moguntino, & Philippo Coloniensi pro gratia regis laborare cœpit. Qui præfigens ei curiam in Fulda, ita eum in gratiã recepit, ut muros Brunschvvig in quatuor partibus deponeret, castrum Lavvenburg dirueret, Lubecam verò civitatem dono regis dimidiam haberet, dimidietatem alteram Comes Adolfus cum omni terra sua quietè possideret. Ut autem (a) ista pacis reformatio rata permaneret, filium ejus Luggerum obsidẽ accepit, qui postea in civitate Augusta

(margin numbers: 1 at "Rex", 2 at "tionis causa", 3 at "se contulit")

ſta mortuus eſt. Henricus verò filius ipſius ſenior cum eo Romam ſimiliter
4 & in Apuliam cum quinquaginta militibus ivit. Dux tamen nec Lawenburg deſtruxit, nec dimidietatem civitatis, ſicut promiſerat, Adolfo, qui adhuc peregrinabatur, reſtituit, nec terram ipſius infeſtare ceſſavit.

Ut autem, a) *Gerhardus, Præpoſitus Stederburgenſis*, qui ipſe nomine Ducis legatione in hanc reconciliatione functus toti negotio interfuit, refert ad ann. 1191. & ſcribit, Leonem ab Imperatore primum Salveldam vocatum eſſe. Tandem in Dulletha illi præfixum fuiſſe diem. Ducem ad diem & locum conſtitutum veniſſe, atq; in Imperatoris gratiam receptum eſſe, *De Henrico Leone, p. 15.*

CAPUT IV.

1. *Henricus VI. cum exercitu in Italiam movet. - - - - 1190.*
2. *Clemens III. moritur, VIII. Kal. April. - - - - - 1191.*
3. *Cœleſtinus III. inaugurationem Imperatoris protrahere ſtudet.*
4. *Romani ſe Imperatoris cauſam acturos pollicentur, ſi Tuſculanum ipſis reddat &c.*
5. *Apud Papam interceſſionis ſuæ cauſam damna ab Imperatoris exercitu ſibi illata prætendunt.*
6. *Henricus VI. coronatur, XVII. Kal. Maij. - - - - 1191.*

1 HIs autem diſpoſitis, Rex cum manu valida Italiam intravit cum Philip-
2 po Colonienſi & Othone, Duce Bojemiæ, & aliis multis. Cumq; appropinquaret Romæ, ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem, Dominus Apoſtolicus Clemens mortuus eſt. Pro quo Dominus Cœleſtinus in ſede eſt ſubli-
3 matus. Qui videns (a) regem cum multa jactantia veniſſe, ad protelandam
4 ejus conſecrationem ſuam diſtulit. Sed Romani exeuntes ad regem, ſic ei locuti ſunt: Fac nobiſcum amicitias, & honora nos & urbem jure noſtro, quod exhibuerunt reges, qui ante te fuerunt. Inſuper fac nobis juſtitiam de caſtellis tuis, quæ ſunt in Tuſculano: quia ſine intermiſſione nos inquietare non ceſſant: & erimus pro te ad Dominum Papam, ut coronam Imperij ſuper caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorum ſe promtum exhibuit. Inſuper caſtrum vel civitatem, de qua conqueſti ſunt, dirui præce-
5 pit. Romani verò accedentes ad Dominum Papam adhuc latente conſilio dixerunt; Domine, oves tuæ ſumus, tu paſtor ovium & pater filiorum. Ideo rogamus clementiam tuam, ut parcas nobis, qui non parum afflicti ſumus. Tu enim, ut melius noſti, cum magiſtro gentium teneris flere cum flentibus & gaudere cum gaudentibus. Rex iſte cum infinita multitudine terram occupavit, & devaſtat ſegetes noſtras, vineta & oliveta. Quapropter rogamus, ut in

in hoc nobis subvenias, ne consecrationem ipsius ulterius differas, ut non consumatur terra inopia. Ipse etiam pacificum se venire affirmat, & in omnibus urbem nostram honorare, similiter & paternitati tuæ obœdire desiderat. His precibus ubi consensum præbuit Apostolicus, cum summo tripudio Rex 6
urbem ingreditur: sicq; Dominus Papa in die Paschæ solenniter consecratur, & proxima secunda feria cum summa pacis tranquillitate Dominus Imperator unà cum Imperatrice benedicitur & coronatur.

Qui videns. a) Grave tunc bellum Romani cum Tusculanis gerebant. Tusculani legatis Imperatori obviam missis ei se permittunt; atq; in fidem ab eo recepti Germanicum præsidium intra mœnia recipiunt. Romani ea re offensi Imperatori per legatos nunciunt, se nisi Tusculum ipsis tradat, ingressu Vaticani eum prohibituros, atq; ne corona Augustali ornaretur, impedituros. Henricus, cum Tusculanos hostibus prodere suæ dignitatis esse non putaret; & armis Romanos petere propter bellum, quod moliebatur, Siculum, haut è re sua existimaret, tandem illud consilium arripuit, ut Tusculum pontifici traderet. Tum omni sublata contentione Cœlestinus XVIII. Kalendas Maij, die Resurrectionis, consecratus, postea Henricum, recepto Tusculo, Imperatorem consecravit. Post quindecim inde dies Imperator exercitum in Ducatum Apuliæ induxit. *Carol. Sigon. de regno Ital. lib. XV.*

CAPUT V.

1. *Imperator Apuliam in potestatem suam redigit. - - - 1191.*
2. *Tancredus Rex eam tenebat.*
3. *Henricus, Henrici L. filius, ab exercitu se subducit.*
4. *Imperator Neapolis obsidionem frustra tentat. - - - 1191.*

IGitur Dominus Imperator percepta benedictione profectus est in Apuliam, 1
acccepturus totam terram Wilhelmi (a) Siculi, quæ eum cum Imperatrice,
uxore sua, contingebat. De qua tamen profectione animum Domini Papæ 2
non parum offenderat: quia alius rex, Tancradus nomine, à sede apostolica jam ibi ordinatus fuerat. Qui quidem rebellare parabat, sed impetum Imperatoris ferre non valebat. Siquidem Imperatore adveniente, territi habitatores terræ illius, omnes civitates munitas & castra firmissima in manu ejus tradiderunt. Veniens autem ad montem Cassinum, ubi B. Benedictus requiescit, cum sumа benevolentia ibi susceptus est. Ibi cùm esset apud S. Germa 3
num in radice montis, filius Ducis Henrici eo non salutato discedens, Romam
reversus est. Ubi à quibusdam Romanis acceptis navibus, per aquas evasit. Im- 4
perator verò dissimulata injuria abiit via, qua cœperat, & ita prospere venit

Neapolin(b),& invenit ibi manum validam,& obstinatos animos eorum,qui intus erant. Imperator verò devastans omnem terram,succidensq; vineta eorum & oliveta,obsidione maxima vallavit civitatem. Quod non multum attendebant,qui intus erant: quia per maritima intrandi & exeundi copiam habebant. Ipse verò de Pisa & aliis civitatibus cogitabat contrahere naves plurimas,& arctare civitatem terra mariq;. Inter hæc autem appropinquabant dies caniculares,& morsus continuos in exercitu faciebant.

Wilhelmi a) Wilhelmus,Siciliæ Rex,initio mensis Julij anno 1189.in fata concesserat. Cùm mascula prole careret,regnum ad Constantiam filiam,(consobrinam ejus juxta *Gulielm.Neubrig. l.III. c. 27.*) Henrici VI. Imperatoris uxorem, hæreditate devolvebatur. At Siculi ista Wilhelmi ultima voluntate neglecta Tancredum,Rogerij Ducis Calabriæ filium,consensu Papæ sufficiunt. Id Henricus non ferendum ratus cum exercitu, extremo anno 1190. assumtâ Constantia in Italiam movet,ac postero 1191. ineunte Cremonam advenit. In Apulia &Calabria Ducatum quidem occupat, verùm Siciliam invadere non potest. *Carol Sigon. h. anno.*

Neapolin, b) ObsidioNeapolis cœpit circa mediumMajum,duravitq; tres menses. *Idem.*

CAPUT VI.

1. *Philippus, Antistes Colon. & Otho, Dux Bohemiæ, naturæ debitum solvunt.*
2. *Imperator ægrotare incipit: Imperatrix capitur.* - - - 1191
3. *Obsidio solvitur.*

1 TUnc temporis mortuus est illic Philippus Episcopus Coloniensis, cujus corpus Coloniam translatum est, & ibi cum honore condigno tumulatum, & Otho, Dux Bojemiæ, in quibus maximum robur consistebat, & alij
2 multi tam de nobilitate quàm de vulgaribus. Imperator etiam propter nimiam caloris intemperiem cœpit ægrotare infirmitate maxima,ita ut hostes credentes eum mortuum esse,Imperatricem(a),quæ ulterius processerat,ca-
3 ptivarent. Sicq; obsidio illa soluta est. Imperator verò necdum perfectè recepta sanitate ad sua revertitur. Postea tamen Imperatrix cum honore ad eum revertitur. Sicq; loca,quæ Imperator obtinuerat,ab hostibus recipiuntur.

Imperatricem. a) Henricus Constantiam ad res quasdam procurandas Cajetam,& Cajeta Salernum misit. Ea Cajetæ multis à latronibus contumelijs onerata, demum à Salernitanis est comprehensa,& à Tancredo Panormũ traducta ibi in regia custodita est. *Sigon. l. XV. de reg. Ital. ann. 1191.*

CAPUT VII.

1. Adolphus Tyri nuncio de occupata sua terra accepto domum properat. 1192.
2. Schawenburgum reversus aditu Holsatiæ prohibetur.
3. Bernhardus Dux Atlenburgum illum deducit.
4. Adolphus de Dassel inde ipsum in Holsatiam comitatur.
5. Bernhardus junior, Comes Raceburg. etiam illum juvat; patre Bernhardo Ducem sequente.
6. Pater moritur.

Origo & series familiæ Comitum Raceburgensium.

7. Henricus de Badewide Holsatiam ab Alberto Urso accipit. - - 1139.
8. Inter Henricum & Adolphum, contentio oritur.
9. Adolpho Holsatia redditur: Henrico Raceburgum obtingit.
10. Henrico successit Bernhardus filius.
11. Bernhardi filij sunt: Wolradus, Henricus, Bernhardus II.
12. Wolradus in conflictu cadit.
13. Henricus moritur.
14. Bernhardus II. uxorem ducit etc.

INter hæc autem Comes Adolfus in peregrinatione constitutus, veniens 1
Tyrum, cognovit terram suam à Duce Henrico occupatam. Et consilio multorum religiosorum dimissa peregrinatione, reversus est Schawenburg. Cùm tamen in reditu esset, venit ad Imperatorem, qui tunc in Suevia erat. Qui spem bonam de restitutione terræ suæ ei quidem in præsenti fecit, in omnibus promittens adiutorium, insuper ditans omni eum ope suorum munerum. Cùm igitur venisset Schawenburg, vidit ex omni parte præclusum si- 2
bi introitum Holsatiæ: quia Dux omnia circa Albiam loca tenebat, videlicet Stadium, Lawenburg, Boyceneburg, Suerin. Nec per Slaviam intrare p[illegible]erat, quia Boruinus, gener Ducis, ei ibi insidias tetenderat. Abijt ergo ad Bern- 3
hardum Ducem & ad Othonem, Marchionem de Brandeburg, qui in manu valida eum Ertheneburg deduxerunt. Ubi occursans ei Adolfus, nepos ipsi- 4
us de Dasle cum multitudine Holsatorum Sturmariorum, similiter etiam cum matre & uxore ipsius, excipit illum gaudens. Bernhardus quoque junior, 5
filius Comitis Bernhardi de Raceburg, quem Dux per dispensationem Domini Apostolici de clericatu ad militiam transtulerat, quia patriunicus fuerat, timens perdere terram suam, veniens ad Ducem Bernhardum & ad Marchionem sub nomine Imperatoris, ad eos se transtulit, & alienatus à Duce Henrico, cœpit Adolfo Comiti in omnibus assistere. Pater verò ad Ducem Henricum divertens, apud eum mansit diebus multis. Postea tamen 6
infir-

infirmitate tactus, ad Raceburg claustrum non castrum reducitur. Vbi filio
similiter & vxore curam ipsius agente, per aliquot dies ægrotans, exilij sui
finem faciens, diem clausit extremum. Neç moueat lectorem, si quædam præ-
mittuntur, quæ postea repetuntur: quia alius est ordo naturalis, alius artifici-
alis. Et inde etiam Poeta scriptorem monet, vt iam nunc dicat iam nunc de-
7 bentia dici Pleraque differat, & præsens in tempus omittat. Et ideo non ob-
liuiscendum, imò memoriæ commendandum, quòd idem Bernhardus pa-
trem habuit nobilem & illustrem virum, Henricum, Comitem de Badwide,
qui tempore Conradi regis terram intrauit adhuc viuente Henrico, Duce
Saxoniæ atq; Bauariæ, tunc temporis existente puero filio ipsius, Henrico
Duce. Qui deficiente Henrico, patre Henrici Ducis, terram suscepit de filio
8 ipsius Henrico adhuc tenello. Erat tamen guerra inter ipsum Comitem Hen-
ricum & Adolfum Comitem seniorem de Schawenburg, qui & ipse tunc in
terra erat. Contra quem Henricus Comes Wagiram obtinere volens, multum
9 laborabat. Præualuit tamen Adolfus Wagiram obtinendo. Henricus autem
Raceburg cum terra Polaborum stabili beneficio à Duce tenuit. Dux autem
Henricus magnificatus tunc temporis ecclesias transalbinas fundare cœpit,
& Euermodum, Præpositum in Magdeburg, ad parochiam Raceburgensem,
auctoritate Episcopi ejusdem loci, Wichmanni, promovere studuit. Cui omni-
modis cooperabatur Comes prædictus, & cooperante gratia Dei, ecclesia il-
10 la tunc valde tenella & rebus & personis invaluit. Idem etiam Comes fili-
um habuit Bernhardum nomine, qui & ipse patre defuncto strenuè se gere-
bat, & Slavorum impetus non sine magna difficultate sæpius sustinebat. Ipse
tamen ejectis Slavis de die in diem in terra proficiebat. Qui Bernhardus u-
xorem nobilem duxit de Slavia, Margaretam nomine, filiam Ratibur(a), prin-
cipis Pomeranorum: sicq; hoc matrimonio terra considerata in pace dura-
11 vit. Genuit autem ex ea filios, Volradum, Henricum, Bernhardum, qui adul-
ti facti sunt strenui, nec à paterna felicitate degeneraverunt. Volradus autem
& Henricus militari collegio applicati sunt. Bernhardus verò ad clericatum
12 promotus, in Magdeburg stipendium obtinuit in ecclesia majore. Igitur Vol-
radus quodam tempore adversus Slavos bellum suscipiens, peremtus est &
ad Raceburg deductus, cum suis consanguineis sepulturam obtinens, tali
epitaphio laudari meruit:

Dum premis hostiles cuneos, fortissime miles,
Heu, Volrade, ruis flenda ruina tuis,
Tu de morte patris, ultor patriæ quasi matris
Et defensor eras, præmia nunc referas.

Frater

Frater autem ejus Henricus in pace vitam finivit. Sicq; deficiente patre Bernhardo, ut dictum est, Bernhardus filius relicto clericatu, dispensatione tamen, miles factus uxorem duxit nobilem Adelheidem, filiam Comitissæ de Alremund. Ex qua filium suscepit, suum ei imponens nomen. Qui postea molestia corporis tactus, in Raceburg diem clausit extremum. Quem post aliquot annos infans secutus immatura morte vitam finivit. Adelheidis verò mater & vidua Adolfo, Comiti de Dasle, nupsit. Sicq; generatio illa tradita est. 13

Ratibur. a) Suantiboro, qui anno 1107. obijt, filii fuere Wertislaus I. Bugislaus, Suantipolcus, & hic Ratibor. Boleslaus Poloniæ Dux ipsi filiam Pribislaviam nuptum dedit, ut ad fidem Christianam amplectendam eum pertraheret. Quam cùm recepisset, eximio studio illam per Pomeraniam propagavit, duobus etiam monasterijs, Stolpa & Groba, fundatis. Æmulatus Ratibor est fratris Wertislai in Christiana per Pomeraniæ provincias introducenda doctrina studium. Ad hunc enim cùm idem Boleslaus anno 1124. Ottonem, Episcopum Bambergensem, misisset, ita ille religiosi viri pios labores adjuvit, ut intra paucos annos omnis Pomerania idolorum cultu, à quo ægerrimè divellebatur, deserto ad verum Deum converteretur, uti *Anonymus de S. Ottone*, Pomeranorum Apostolo, ipsi σύγχρονος, & itineris per Pomeraniam comes, prolixè *l. II.* & *III.* narrat. Vide *supra Notas ad l. I. c. 40.* Vita excessit Ratibor anno 1151. *David Chytræus Chronol. anno 1182.*

considerata. b) Pro *considerata* legendum *confœderata*, ex *MS. B.* & *Hermanno Kornero, Chr. MS.* qui olim hunc locum ita legit, & ex nostro exscripsit: *Sicq; hoc matrimonio terræ confœderatæ sunt in pace.*

CAPUT VIII.

1. *Adolphus, Comes Holsat. & Bernhardus junior, Comes Raceb. Lubecam obsident.* - - - - 1191.
2. *Luchardus eam fortiter tuetur.*
3. *Adolphus palis in terram altè defixis alveum Travæ obstruit.*
4. *Ad Kanutum proficiscitur.*

Dux igitur Bernhardus cùm restituisset Adolfum, simul cum nepote suo Marchione ad sua revertitur. Victualia tamen, quæ secum adduxerat, Adolfo Comiti & Bernhardo tribuit. Comes ergo Adolfus & Bernhardus statim circumdederunt civitatem Lubeke, vallantes eam obsidione maxima, uterq; consistens in terra sua. Quam homines Ducis Henrici constantissimè tenebant, cui etiam Dux præfecerat Luchardum quendam filium Waltheri de Berge, virum strenuum valde, qui in ipsa obsidione cùm constanter ageret, ipsam moriendo usq; in hodiernum diem servat. Adolfus igitur videns civitatem non multum reputare obsidionem, quia liberam intrandi & exeundi per Trabenam facultatem habebat: multo labore sudibus sive 1 2 3

trabibus maximis ipsum fluvium obstrui fecit, sicq; arctata est civitas valde.
4 In ipsa autem obsidione abijt ad Canutum, regem Danorum, salutans eum, similiter & gratias agens maximas, quòd tempore peregrinationis terra ipsius per eum pacem firmissimam habuisset. Quod tamen absq; causa non fuerat: quia frater regis, Dux Waldemarus, similiter cum Episcopo Waldemaro Slesvicēsi post exitum Comitis in manu valida fines ejus intraverant, & à nepote ipsius Adolfo de Dasle, ipso tamen renitente, nec volente, obsides acceperant, ea tamen occasione, ne Thetmarchos, qui tunc sub ipsis consistebant, impeteret, nec aliud contra regnum Canuti regis faceret. Salutato ergo rege, Comes ad sua reversus est.

CAPUT IX.

1. Ducis milites Bernhardum Comitem ab obsidione pellunt.
2. Lubecenses castra diripiunt.
3. Die seq. etiam Adolphi castra ab altera urbis parte adgressi, repelluntur.
4. Bernhardus junior denuo urbem versus meridiem obsidet.
5. Ducis milites pugnam declinaturi noctu urbem egrediuntur.
6. Bernhardus eos insecutus, & ad Boyzenburgum adortus prælio vincit.
7. Adolphus Com. operâ captorum civium Stadam se recepturum sperat.

INter hæc autem Dux Henricus compatiens civibus inclusis, contracto exercitu, direxit eum ad civitatem per manum Conradi de Rothe, qui tunc à Duce Stadium tenebat, similiter & Bernhardi, suprà dicti. Cumq; clanculo transissent Albiam versus Lawenburg, prope Raceburg venerunt & exterruerunt homines Comitis Bernhardi, qui prope civitatem excubias servabant in loco, qui dicitur Hernenburg: qui fugientes, in Raceburg se receperunt.
2 Sicq; soluta obsidione in partibus illis, cives egressi de civitate rapuerūt spolia vel victualia, quæ illic inuenta fuerant: sicq; ingressi sunt civitatem cum lætitia magna. Postera autem die surgente aurora, assumtis armis egressi
3 sunt de civitate, præcedente Comite Bernhardo & Conrado de Rothen, pugnaturi cum adversarijs in medio terræ eorum. Illi autem licet impari numero occurrerunt eis non longè à civitate, & occupaverunt vadum, quod transituri erant, ad amnem qui Swartowe dicitur, ibique fortiter dimicantes,
4 statim eos in fugam verterunt. Illi verò in civitatem se receperunt. Bernhardus autem junior reversus ad Raceburg (a) cum omnibus quæ habuerat, similiter etiam cum Holsatis, in ipsa vespera castra metatus est prope civitatem ad meridianam plagam, mane cum eis, si illic egrederentur, dimicaturus.

rus. Quod præsentientes homines Ducis,qui in civitate erant,per noctem egressi ad septentrionem per alteram viam ad sua reverti cogitabant. Et erat fluvius, qui Wochnize dicitur, inter eos: sicq; ad invicem accedere non valebant. Bernhardus autem magis ac magis contracto exercitu insecutus 6 est eos. Adolfus autem Comes in castro Sigeberg infirmitate detentus erat. Cumq; essent prope Boyceneburg,juxta littus Albiæ,commissum est inter eos prælium,& cæsi sunt homines Ducis,plures tamen in captivitatem tracti sunt, cæteri verò fugerunt. Adolfus(b)autem audito tam læto nuncio,quasi ex infir- 7 mitate convaluit, & cœpit cogitare,si fortè propicio Deo Stadium posset occupare. Nam plurimi ex Cometia Stadensi captivati erant,quos in sua potestate tenebat. Nam eos,prudenti usus consilio,à militibus, qui eos ceperant, dato precio liberaverat. Hi spem bonam ei fecerant,ut si eum placatum invenissent,potius ei quàm Duci parati essent. Insuper in omnibus se subservire promittebant,ut eorum consilio similiter & auxilio Stadium obtinere posset.

---

ad Raceburg. a) Rectiùs *MS. R.* legit *de Raceburg*. Sensus enim est, Bernhardum juniorem Raceburgo reversum esse.

Adolfus. b) Ita Corcyræi, qui ad Epidamnum in prælijs navalibus capti fuerant,à Corinthijs dimissi sunt, verbo quidem,talentis octingentis redemti, re verò ipsa gratis dimissi, quòd Corinthijs promisissent,se Corcyram in ipsorum potestatem redacturos. *Thucydides l. III.*

CAPUT X.

1. *Adolphus contractis copiis Stadenses terret.*
2. *Illi de urbe tradenda deliberant.*
3. *Conradus de Rothen fugâ sibi consulit.*
4. *Comes Stadam deditione capit: uxorem Conradi incolumem dimittit.*
5. *Luneburgenses in Comitatum Stadensem excursiones faciunt.*

Comes igitur animatus vel potius instructus eorum verbis,contracto ex- 5 citu in Hammenburg,invasit insulam vicinam, quæ Goriesweder dicitur. Qui timentes adventum ipsius,venerunt ad ipsum, & cum eo fœdus amicitiæ statuerunt. Congregatis autem navibus,quæ tunc inveniri poterant, Comes cum omni multitudine navigabat Stadium, & cœpit exurere quasdam villas in ulteriore ripa fluminis. Et rumor in excelsa jam dudum perstrepit aula, Comitem venire in manu valida, & timuerunt timore magno. Nondum enim consolationem de mortuis vel captivis,quos perdiderant,receperant. Et dixit vir proximo suo: Melius est,ut serviamus Comiti,per quem 2 recipiamus captivos nostros,quàm Duci,per quem talia passi sumus. Con- 3 radus autem videns quod futurum erat,timens seditionem populi,qui exacer-

batus fuerat, stratis equis quasi pro quodam negotio se iturum simulās, & exhortans populum, & quasi regratians, quòd pro Domino suo Duce bene laborassent, relicta illic uxore & omni sua supellectile, non reversurus celeriter abripitur.
4 Tunc qui in castro erant, pacificè venerunt ad Comitem, seipsos ei & castrum offerentes. Cumq; obtinuisset castrum & uxorem Conradi cum omnibus quæ ipsius erant, in jumentis & plaustris deduci præcepit, in tanta liberalitate, magna, ut dicunt, delusus astutia. Quia mulieres in plaustris pro
5 loricis virorum in saccis deferebant cumulos thesaurorum. Luneburgenses tamen acerrimè ei insistebant, & eruptiones sæpius facientes deprædationes & latrocinia in Cometia Stadensi continuè faciebant.

CAPUT XI.

1. *Luneburgenses etiam prædium Episcopi Lubecensis diripiunt.*
2. *Hartwicus, Archiep. Brem. in Theodoricum excommunicationis fert sententiam.*
3. *Theodoricus ab excommunicatione per Hyacinthum Cardinalem liber pronunciatur.*
4. *Ducis filius ex Comitatu Stadensi prædas agit.*
5. *Theodoricus Episc. aliquando Bremensibus prædam eripuerat.*
6. *Egregiis virtutibus ornatus fuit.*

1 INter hæc & Dominum Episcopum Lubecensem, Theodoricum, non parum gravabant, Præposituramq; ejus in Keuena continuè vastabant. Siquidem Hartuicus, Bremensis Archiepiscopus, qui tunc à Bremensibus ejectus Ducem sequebatur, Episcopo molestus erat. Quia idem Episcopus Bremensibus propter fidem Imperij familiaritate astrictus fuerat, de Brema etiam oriundus in ipsa civitate fratres & cognatos multos habebat, ipsumq; Archiepiscopum ex
2 linea consanguinitatis contingebat. Archiepiscopus tamen consanguinitatis immemor ei non parcebat, volens à statu suo canonica eum justitia deijcere, nec poterat. In Luneburg tamen positus, frequenter eum quasi ad audientiam per epistolas citavit. Quò cùm ille extra terminos episcopales inter homines adversæ partis venire non auderet, peremtoriè eum citavit, sed non judiciario ordine: quia prius citatus, cùm inducias ad determinatam diem ab eo accepisset, ipsum terminum Archiepiscopi citatio prævenit, & cùm non venisset, in colloquio Mindensi, quod inter ipsum & Bremenses celebrabatur, excommunicatum furiosè eum pronunciavit. Quam sententiam Bremenses aridam & exanguem clamaverunt, cùm nec Episcopus excommunicationem meruerit, & ipse quasi sui impos magis judicari quàm judicare venerit.

Postea

Postea tamen per Dominũ Cynchium Cardinalem, qui delegatus in Daciam, 3
& inde reversus, Bremam venerat, ipsa sententia evacuata est. Post hæc 4
Henricus Dux junior, Henrici Ducis F. Cometiam Stadij cum expeditione intravit, in cujus comitatu Archiepiscopus erat. Qui veniens ad ipsam civitatem, quadam fiducia introitum se habere arbitratus est. Sed cùm eum Stadenses non recepissent, primò quidem ipsam curiam Episcopi, quæ prope civitatem erat, quæ Hurst dicitur, vastari præcepit, deinde veniens Keuenam, omnia ferè mobilia, sive pecora, quæ homines ejusdem loci quasi ad domum refugij illuc adduxerant, auctoritate Archiepiscopi auferri præcepit, ita ut ancillæ Christi, quæ ibidem clausæ sponso suo cœlesti die noctuq; laudum resonant vota, nimia diu laboraverint inedia. Alio etiam tempore cùm adhuc 5
Conradus de Rothe castrum teneret, eruperunt Bremenses in Cometiam, deprædationes facturi, & inter cæterea, quæ rapuerunt, contigit etiam ut homines Episcopi spoliarent. Ipso autem complente Missarum solennia, venit qui diceret, homines suos à Bremensibus expoliatos, ipsosq; prædones cum præda jam longius elongatos. Quid faceret vir Dei? quo se verteret, ignorabat. Nam præter illa quæ extrinsecus erant instantia, fuit illi cotidiana solicitudo omnium afflictorum, meritoq; plus suorũ, juxta illud: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Depositis ergo sacerdotalibus ecclesiam egreditur, & iter arripiens, prædones insequitur, & ad milliare unum ferè anhelus cucurrit, illos comprehendit, prædam tenuit, nec prius inde recessit, quàm sua suis restituit. Terrentur omnes ejus adventu, se peccasse commemorant, & inter compassionem & constantiam magnanimitatem viri considerant, caniciem pulvere squalentem venerantur, & sacras manus cornua taurorum trahentes perhorrescunt: nec aliquid habebant contradictionis, quos terrebat auctoritas tanti Præsulis. O virum misericordiæ visceribus plenum, compassionis affectibus deditum, cui pietas præripuit moram, ut non eques sed pedes sequeretur raptorem. Fuit etiam 6
ad interveniendum strenuus, ad discordãtium compositionem humilimus, ita ut nonnunquam cum pontificalibus advolueretur ipsorum pedibus, quos ad reconciliandum acclamantium prohibebat animus: beatius credebat dare quàm accipere. Unde in consecrationibus ecclesiarum magis omnes de proprijs sumtibus accuratè studebat procurare, quàm sua jucunditate alios importunè gravare. In ordinibus verò clericorum tanto plus gaudebat, quanto magis ordinatorum numerositate domum suam impletam esse videbat. Hospes enim domi erat largissimus, hospes foris verecundissimus, pauperum procurator diligentissimus & cum ipsis in mensa propria conviva jucundissimus.

simus. Nihil huic Pontifici virtutis deesse credimus, ut plenissimè de ipso dicere possimus:

Qui(a) pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit, & quietus,
Vita dum præsens vegetavit ejus
corporis artus.

Adversitates enim suprà dictas tanta vicit patientia, ut nunquam eum aliquis viderit irascentem, audierit clamantem, nec malum pro malo reddentem, sed cogitatum jactans in Dominum, dicebat cum Apostolo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sed hæc hactenus.

Qui. a) Carmen hîc Sapphicum est; quod corruptè editum erat. Nam pro *qui* erat *quando*. pro *præsens* legebatur *Spiritus*.

CAPUT XII.

1. *Lubecenses deliberant, cui se & urbem dedant.* - - - - - *1192.*
2. *Adolpho se permittunt.*
3. *Imperator Comiti omnes civitatis reditus assignat.*

1 Quia verò longius à civitate digressi sumus, nunc ad ipsam redeamus. Inter hæc cives nostri diutina inclusione laborantes audierunt de mutatione, quæ in Stadio facta est. Et turbati valde, cœperunt de civitatis deditione cogitare. Facta est autem dissensio inter eos. Quidam enim dixerunt: Tradamus civitatem regi Danorum, ut gratiam ipsius inveniamus, qui ab omni nos infestatione eripiet, insuper negotiari nos in terra sua permittet, & quis est, qui nos inquietare poterit, si ipsum habuerimus protectorem? Alij autem dicebant: Non sic, quia civitas nostra sub ditione Romani imperij sita est, à quo si alienata fuerit, proscriptione Domini Imperatoris mulctabimur, & sic odibiles omnibus erimus. Sed si placet, tradamus eam Othoni Marchioni, & ipse eam quasi sub nomiue Imperatoris accipiat, sicq; liberabimur à
2 tyrannide istius Comitis, ne regnet super nos. Adolfus autem Comes hoc cognoscens, magis arctabat civitatem. Unde territi cives, civitatem ei aperiunt, conditione tamen interposita, ut homines Ducis abirent illæsi. Capta autem civitate, Adolfus ad Imperatorem profectus est: qui pro labore suo omnes reditus civitatis liberalissimè ei permisit. Bernhardum etiam Comitem suis muneribus sæpius honoravit.

CAPUT XIII.

Auctor diligenter Deo pro beneficijs gratias agit, & delicta confitetur.

Miserati-

MIserationum Domini recordabor. Cur inter hæc, quæ ad posteritatis memoriam scribo, opera misericordiæ Dei nostri, quæ diebus nostris innotuerunt, non recolo? ejus memoriam omnibus præfero? quia recordatus est mei, & factus est mihi in salutem. Quia verè pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. In omnibus enim tribulationibus & angustiis meis respiciens eram ad auxilium, & non erat. Sed ipse miserator & misericors factus adjutor meus. Nemo unquam principum, nemo magnatum patrocinatus est mihi, ac si inter angustias mihi diceret: Iacta cogitatum tuum in Domino: quia sufficit tibi gratia mea: nec sperabis in principibus, neq; in filijs hominũ, in quib9 non est salus. Quid enim mihi cum principibus? cui magis dicere expediat: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Ego autem cum hominibus positus, inter homines non nisi quæ infirmitatis meæ sunt, potero gloriari. Nihil enim quod homines mirentur, in me inveniunt: quia non est exaltatũ cor meũ, neq; ambulavi in magnis, &c. Illi autem quæ fortia sunt complectuntur, & quæ infirma sũt & contemtibilia hujus mundi despiciunt, quæ tu Deus meus magis eligis, ut confundas fortia. Neq; enim eges fortium, cùm tu Deus sis fortis, ideóq; magis infirmos eligis, ut fortes facias, ut dum perfectè cognoverunt, quia sine te nihil possunt facere, nomini tuo ascribatur victoria. Qui verò absq; te se potentem gloriatur & fortem, dicam illi: Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? De quibus ergo homines me reprobant, tu magis approbas. Illi me peccatorem despiciunt, sed quia tu pius es, ad te conversus Deus meus, dico: Deus propicius esto mihi peccatori, & tu remisisti impietatem peccati mei. Illi à me sapientiam quærunt, sed tu scis insipientiam meam. Illi me secularia negotia detestantem detestantur, sed mihi adhærere tibi Domino, Deo meo, bonum est. Illi me personam nullam habentem fugiunt, sed tu Deus meus personarum acceptor non es. Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus tua. Non enim qui seipsum commendat, probatus est, sed quem tu Deus meus commendas. Meritò ergo miserationum tuarum recordabor, ut qui tua me præventum gratia non ambigo, præveniar etiam in benedictionibus dulcedinis tuæ, in quibus epulantur justi, Deus meus, in conspectu tuo. O pie, ó misericors, ó suavissime, ó amantissime, quas pro tuis miserationibus gratiarum actiones tibi referam? Quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? quæ laudes tibi sufficiant, cui cælum & terra & maria non sufficiant? Sed quia in te cantatio mea semper, imò laus mea tu es, sufficiat tibi Deus meus qualiscunq; laus mea, quæ tu es, & vota nostra, quæ tu ipse & nemo alius præveniendo aspiras,

ras,etiam adjuvando prosequere. Quid de mutatione dicam,quam operata est in me dextera excelsi? Vertit impium,& non erat. Ego enim aliquando sub lege præter legem vixi,adjutor legis non factor. Sub religione eram,sed totus penè irreligiosus: sub libertate ordinis liberè peccabam in ordine. Nam quod quasi de pietate mihi indultum erat, eo abutebar magis quàm utebar. Et quia nec certum tempus lectionis vel laboris aut orationis servabam,semper vagus,semper incertus nunquam in eodem statu permanebam. Nec regulariter abstinebam,nec regulariter jejunabam. Et cùm ista mihi essent pro gratia, crevit exinde tamē superfluitas maxima,ita ut jam non quid liceret, sed quid liberet instanter cogitarem. Otium reputavi ordinem, intemperantiam abstinentiam,gulam sobrietatem,invisitationem taciturnitatem,à verbositate vel nocte temperare, pœnam maximam. Quid ergo damno,reprehendo,ordinem? non ordinem, sed ordinis superfluitates, quæ ex illo tempore cœperunt,ex quo facta est mutatio ordinis: Non quòd illi patres sancti & justi non fuerint,sed ut uerbis utar Poetæ,libertas in vitium excidit,chorusq; turpiter obticuit sublato jure nocendi. Nam quod illis dispensatio,nobis mutationis est remissio. Ordo enim de die in diem per plurimorum mutationes,quæ non pro ordine,sed contra ordinem dispensant, vergit ad occasum,ita ut nunc in hoc tempore ferè nemo sciat,quid sit ordo, sed ordinis prævaricatio. Ego verò cùm essem parvulus, sapiebam ut parvulus. Cùm autem tua gratia,Deus,factus sum vir,evacuavi,quæ erant parvuli. Et cùm audirem regulam, quam non sequebar, errare me intelligebam. Per quem? Per spiritum timoris tui.Ille me incitavit, per suam veritatem docens me omnem veritatē.Et intellexi,quòd in his observationibus,quas prius multipliciter observabam,labor est maximus & afflictio spiritus, nec stare potest ordo in talibus.Ordo enim simplex est,à te simplicissimo Deo sanctis patribus inspiratus: à quibus eum beatissimus pater noster Benedictus accepit,& in scriptū redegit. Cujus mihi præcepta super mel & favum dulciora. Ibi enim est,quod fortes cupiant,& infirmi non refugiant. Ideo Deus meus cantabiles mihi sunt justificationes tuæ,ita ut cantem in vijs Domini,quoniam magna est gloria Domini.Pro his beneficijs miserationum tuarum recordabor,ita ut te laudans omnibus te laudabilem prædicem, commemorans opera misericordiæ tuæ, quæ diebus nostris facta sunt,ut habeant præsentes & futuri,unde glorificent nomen tuum: quod est benedictum in secula,seculorum,Amen.

CAPUT XIIII.

Narratur ostentum,quod in pane mystico prope Erfurdiam apparuerit.

Puella

PUella quædam in partibus Turingiæ prope civitatem Erpisfordiam ægrotabat. Quam dum sacerdos ex more visitaret, dans ei viaticum, ablutionem digitorum fecit in bicario (a) mundo, ipsam aquam ad bibendum ei tradens, sicque discessit. Illa verò bene suæ mentis compos dixit his, qui circa ipsam erant: Diligentissimè ipsam aquam operite: quia de digitis sacerdotis vidi portiunculam eucharistiæ in eam decidere. Quo facto cùm ipsa aqua ei postea ad bibendum fuisset allata, & tota mutata fuisset in sanguinem, ipsa quoque portiuncula, licet minimi formam acceperat digituli, versa in cruentam carnem. His visis terrentur omnes, fit clamor muliercularum accurrentium, clamantium, mirantium, stupentium, & de re tam inaudita sic & sic loquentium. Mittitur, sacerdos vocatur, qui magis stupebat, qui suam in his negligentiam metuebat. Qui etiam timens officij suspensationem, celare rem voluit, hortans tanti sacramenti exustionem. Sed celari non potuit, quod Deus miraculosè manifestari voluit. Communicatur res pluribus, fit conventus sacerdotum: qui in perturbatione non habentes consilium, adierunt archidiaconum. Qui super his timens aliquid dispensare, quæ gesta erant, per epistolam significavit Domino Moguntino. Interea ipsum bicarium cum vivifico corpore & sanguine opertum corporali super altari ponitur, & videntibus cunctis qui aderant, columba venit super labium bicarij, & diu sedit, non sine admiratione cunctorum, quod corporis sui pondere ipsum vasculum non everterit. In partibus enim illis bicaria quasi ductilia in inferioribus sunt angusta, in superioribus verò ampliora. Unde, qui viderant, non corporalem sed spiritualem columbam arbitrati sunt. Cùm ergo hæc circa festum B. Vincentij Martyris facta fuissent, in festo annunciationis venit Dominus Archiepiscopus in partes illas. Ipsam enim diem præfixerat omnibus Prælatis suis cum omni clero, similiter & universo populo, ut omnibus in unum positis, quid super eodē negotio ageret, omnium consilio uteretur. Omnibus igitur convenientibus ad villam, ubi ipsum sacramentum repositum erat, ordinata processione Prælatis portantibus sanguinem Dominì cum supplicatione letaniæ & populi devotissima prece, omnes discalceatis pedibus ad civitatem suprà dictam veniunt, & primam in monte B. Cyriaci stationem faciunt. Quibus cum nimia humilitate occursant sanctimoniales ejusdem loci cum genuflexione intima cantantes devotissimè: Iesu nostra redemtio, &c. Ubi cùm Missarum solennia pro instanti articulo celebrata fuissent, procedunt ad montem B. Petri, ubi magnus & religiosus ab antiquo institutus Monachorum est conventus. Ubi similiter cùm devotissimè Missarum solennia celebrata fuissent, ventum est ad ecclesiam beatæ

Dei genitricis semperq; Virginis Mariæ. Ubi Dominus Archiepiscopus pontificalibus indutus, inter divina populum ad lachrymas & orationes est adhortatus, ut divina clementia, semper humano generi amica, quæ ad evacuandum errorem infidelium, sive ad corroborandam fidem suorum fidelium, sacramentum, quod sub specie panis & vini benedicitur, sanctificatur, sumitur, verè suā carnē & sanguinem evidentissimis indiciis demonstrasset ad laudem & gloriam nominis sui, similiter etiam ad jucunditatem & exaltationem ecclesiæ suæ sanctæ, ut confiteamur nomini suo sancto, & gloriemur in laude sua, rursus in priorem substantiam panis & vini transformare dignetur: Ut sicuti ipse verè est panis vitæ & vinum, quod spiritualiter lætificat cor hominis, ita verè sacramentum, quod ecclesiæ sub specie panis & vini usurpandum dederat, in formam notam verteretur. Cumq; diu oratum fuisset, & sanguis & caro in formam priorem non redisset, pontifex de novis lapidibus novum altare construi præcepit, ut in eo idem sanguis cum carne Dominica reverenter conderetur. Verùm cùm inter ipsas orationes & exhortationes sæpius misisset, & transformatio facta non fuisset, venit subitò qui diceret, Dominum preces & gemitus filiorum Israel audisse, & priorem illam substantiam plenissimè redisse. His auditis, Dominus Archiepiscopus multis suffusus lachrymis, omnes ad gratiarum actiones hortari cœpit, ipse vero cum sermone exhortationis in laudes Domini nostri Iesu Christi prorumpens, sic omnibus locutus est: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. O redemtor, quis unquam mortalium facta pietatis tuæ dignis efferat laudum præconijs? qui semper cogitas cogitationes pacis & non afflictionis. Et quia proprium est tibi, semper misereri & parcere, cujus natura bonitas, voluntas potentia, opus misericordia, tu facis quod tuum est, nos autem quod nostrum est. Tu antequam te invocemus, paratus es misereri: nos proni ad malum sumus à diebus adolescentiæ nostræ. Nos ingrati sumus tantæ pietati, munificentiæ: tu verò nec ingratis beneficia subtrahis, qui solem tuum oriri facis super bonos & malos, & pluis super justos & injustos. Sed qui de terra est, de terra loquitur: tu quoq; qui de cœlis descendisti, super omnes es: quia tu solus scis, unde venias, aut quo vadas: qui ad firmandam plebis tuæ fidem, sacramentū hoc vertisti in cruentam carnem. Qui verè te panem vivum, qui de cœlo descendit, homini, ne deficiat in via hujus peregrinationis, comedendum dedisti, quem sine fastidio continuè manducat Angelus in cœlo. Quem tamen ille manducat deliciosum, iste interim manducat ad remedium. Uterq; verè, sed non uterq; plenè. Apostolus enim dicit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Aliud quippe est, sumere sacramentum, aliud rem sacramenti. Vi-

num est visibilis forma, aliud invisibilis gratia. In his duobus duo comedendi sunt modi, unus sacramentalis, alius spiritualis. Secundum unum comedunt universi, secundum alium tantùm boni. Ibi multi vocati, hîc pauci electi. Ideo dixi uterque verè, sed non uterque plenè: quia alius tantùm sumit sacramentum, alius autem & sacramentum & rem sacramenti. Alius enim devotus & dignus cum sacramento visibili invisibilem percipit & gratiam. Alius autem indignus sumens sacramentum, reus efficitur corporis & sanguinis Domini: quia judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Nunc igitur dilectissimi ut condignas persoluamus gratiarum actiones Domino nostro Iesu Christo, qui in hoc facto nos & terreri & consolari voluit, hoc suademus, præcipimus, statuimus omnibus sub nostra jurisdictione consistentibus, ut omnes â minimo usque ad maximum, à juvene usque ad senem, & pueri & puellæ, incurvati adorent, laudent, magnificent Dominum nostrum Iesum Christum, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & infernorum, & honoremus almiflua ejus sacramenta, ut non solùm sacramentum, sed & rem sacramenti fideliter percipiamus per gratiam ipsius, qui secundum ordinem Melchisedech sacerdos est, & sacrificium, quo nos sibi faciat populum peculiarem, spectatorem bonorum operum. Cumque omnes respondissent, amen, Dominus Archiepiscopus ipsam aquam transsubstantiatam in vasculo pretioso ad posteritatis memoriam in ipsa ecclesia honorificè reposuit, bicarium verò secum Moguntiam detulit, ubi usque hodie honore maximo veneratur. Omnes autem qui in omni diœcesi sua constituti erat, ita devotè ad laudem Christi incurvati sunt, ut etiam infantuli, qui in cunabulis jacebant, incurvati gratias agerent, juxta illud: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

bicario. a) Bicarium hîc est vas, ex quo manus lavari possint. Βίκος apud *Jul. Pollucem* est inter illa vasa, quibus vinum reponitur, *l. VI. c.* 2. &, ex quibus bibitur, *l. X. c.* 20. *Idem* scribit βύκος *l. VII. c.* 33. Βίκος *Suidæ* est τὸ ἀγγεῖον. *Hesychio* est στάμνος ὦτα ἔχων. Βίκοι *Athenæo* sunt orcæ fictiles magnæ, in quibus salsamenta habentur, in illo, quod ex *Archestrato* adducit *l. III.*

Καὶ σικελοῦ θύννου τέμαχος
Τμηθὲν, ὅτ' ἐν βίκοισι ταριχεύεσθαι ἔμελλεν.
Et Siculi Thynni frustum urnis reponunt
Exectum, multo sale asservandum salsamentum.

Eustathius βίκους dicit esse οἰνοδόχα ἀγγεῖα, & refert inter ὀστράκινα σκεύη. adducto etiam *Athenæi* loco scribens: Παραπηκτέον δὲ καινότητι λεκτικῇ. καὶ τοὺς παρὰ Ξενοφῶντι καὶ ἄλλοις βίκους, τὰ οἰνοδόχα ἀγγεῖα. οἳ κεῖνται

καὶ

καὶ ἐπὶ μειζόνων ὀστρακίνων σκευῶν, ὡς ἐμφαίνεται ἐν τῷ Σικελοῦ θύννου etc. ὁ δὲ τοιοῦτος ταριχευτικὸς βῖκος, καὶ ἀμφορεὺς ἂν λέγοιτο, *Eustath. in Iliad. XIIX. v. 563.* Apud *Xenophontem* autem legitur *l. I. de exped. Cyri:* Κῦρος ἔπεμπε βίκους οἴνου ἡμιδεεῖς πολλάκις. *LXX. Interpretes* Hebræum Bakbuk jotzer charesch *Jerem. XIX. v. 1. & 10.* reddiderunt per βῖκον πεπλασμένον ὀστράκινον. Quod *Hieronymus* interpretatus est per lagunculam figuli testeam, & addit, LXX doliolum transtulisse. Sed Bakbuk debasch *Reg. XIV. v. 3.* est *LXX. Interpretibus* στάμνος μέλιτος. Sicut autem Græcum βῖκος ex Hebræo Bakbuk, & ex Græco Latina vox Bicarium: ita hinc porrò nostrum **Becher** natum videtur.

CAPUT XV.

Judæus per ostentum in baptismo, & visionem in contumeliosa Christi crucifixione convertitur.

Aliud etiam beneficium Salvatoris nostri narrabo, quod tempore Philippi Archiepiscopi Coloniæ celebratum est. In sabbatho sancto Paschæ cùm parvuli juxta morem ecclesiæ baptizarentur, quidam Iudæus ejusdem civitatis quasi per curiositatem cum aliis spectatoribus huic se negotio ingessit. Et cùm infra actionem sacrũ chrisma capiti cujusdam infantuli à pontifice imponeretur, aperti sunt oculi ejus, & vidit Spiritũ sanctum in specie columbæ super ipsum infantulum descendentem. Territus ille de tanta visione, & mente consternatus, discessit, & illuminationem quandam mentis concipiens, divinum illud esse mysterium nec perfectè credidit, nec perfectè dubitavit. Audierat sæpius magnum Christianitatis esse sacramentum, sed Iudaica repugnante perfidia quicquid inde mente concipere poterat, dubiè recipiebat. Conservabat tamen omnia hæc, conferens in corde suo. Sic totus revoluitur annus, cùm iterum in parasceve, quod est ante sabbathum, in Synagoga constitutus, visitationem piissimi sensit salvatoris. Siquidem Iudæis quædam est detestabilis consuetudo, ut implentes mensuram patrum suorum quovis anno ad contumeliam salvatoris imaginem ceream crucifigant. Quam dum more suo contumeliis afficerent, & cætera, quæ in passione ejus leguntur, flagellando, colaphizando, conspuendo implessent, & clavis manus & pedes perforassent, tandem lancea latus ejus perfoderunt, & continuò exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & scimus, quòd verum est testimo-

mo-

nium ejus. Nam idem Iudæus divinitus illuminatus, hoc vidit & credidit. Relicta enim Synagoga, statim ad Archiepiscopum cucurrit, quæ gesta essent, nunciavit, & abrenuncians infidelitati Synagogæ, in sabbatho sancto lavacrum regenerationis accepit, & non solùm angelis Dei, sed & hominibus de sua conversione gaudium fecit. Gaudemus & nos de benignissima gratia redemptoris nostri, ita ut malis bene utentes, ipsam nobis nequitiam Iudæorum vertamus in arma salutis, & quasi per eorum illuminati excæcationem, nostram ad Iesum exuscitemus devotionem. Videamus quid sua illis faciat malitia, & verè credamus, quod ipsum apud Iesum faciat fides nostra. Illi implentes mensuram patrum suorum, qui sibi suisque imprecantes dixerunt: Sanguis ejus super nos & super filios nostros: ipsum sub imagine sua contumeliis affectum crucifigentes, verè crucifigunt, non verbum vitæ, sicut patres eorum manibus nefariis contrectantes, sed odiendo, execrando malitiæ illum manibus contingentes. Christus enim resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Ipse tamen per imaginem crucifigi potuit, qui ante passionem tempore legis per agnum immolari potuit. Sed dicis: Illud in figura factum est. Assentior. Illos tamen, qui huic sententiæ diffidunt, ad auctoritatem Ipsius scripti mittimus, ubi à Iudæis in imagine Domini simile quoddam perpetratum est: Ubi invenitur, quòd de latere ejus exivit sanguis & aqua, ubi multi cæci fuerant illuminati, claudi curati, leprosi mundati, & dæmones effugati. Veraciter igitur credamus, quia quod illis ipsorum malitia, nobis faciat devotio nostra. Annon qui devota mente recolit memoriam passionis Dominicæ, ita ut ad lachrimas compungatur, verè compatitur Christo? cujus membrum est cum gloriosissima matre ejus Maria, cujus animam doloris pertransivit gladius, & cum pudicissimo filio & ministro suo Ioanne, quamvis ille mortem non viderit, donec placidam suæ carnis absolutionem Domino se visitante percepit, calicem Dominicæ bibit passionis? an non verè cum mulieribus plorat, quæ sedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum? an non qui in commemoratione talium in omnibus se devotos & compunctuosos exhibent, verè cum Nicodemo & Ioseph aromatibus eum condiunt, & linteo mundo involuunt? Verè tales, qui flent cum flentibus, gaudebunt cum gaudentibus: quia sicut verè Christo compatimur morienti, sic verè conregnabimus resurgenti.

---

imaginem. a) Non imaginem tantùm, sed & hostias, à Christianis acceptas, in contumeliam crucis Christi sæpe acutis stimulis pupugerunt, donec sanguis miraculosè proflueret: imò & Christianorum pueros seu furto seu pretio paratos crucifixerunt, & miserrimum in modum excarnificarunt. Imaginem autem & hosti-

hoſtias ideo ſanguinem ſudaſſe credendum eſt, ut Deus doceret, quantopere Judæorum perfidiam & extremam malitiam oderit. In Syria, inter Chalcidem & Antiochiam, Judæi circa ann. CH. CCCCXV. poſt inſignem in ludis ſuis in Chriſtum crucifixum exercitam petulantiam, etiam puerum Chriſtianum comprehenſum, σταυρῷ προσδήσαντες ἀπεκρέμασαν. καὶ πρῶτον μὲν καταγελῶντες καὶ χλευάζοντες διετέλουν· μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ τῶν φρενῶν ἐκστάντες, τὸ παιδίον ᾐκίσαντο, ὥστε καὶ ἀνελεῖν. *Socrat. Hiſt. Eccleſ. l. VII. c. 16. Niceph. Calliſt. l. XIV. c. 16.* Circa annum Dom. IↃLIV. Judæus imaginem Chriſti telo transfixit; & ſanguis profluxit, *Wernerus Rolewinck ætat. 6.* In Syriæ oppido Beryto Judæi anno CHR. IↃccLXV. imaginem Chriſti crucifigunt, omnibus opprobrijs eam afficientes, quibus Chriſtum à Patribus ſuis affectum noverant. Cùm tandem latus ei aperirent, profluxit ſanguis & aqua, *Sigebertus Gemblac. h. anno. Jacob. Gretſer. de ſacr. peregr. l. I. c. 14.* Impietatis hujus exemplum Judæos anno CIↃ CLXXII. in Gallijs, tempore Paſchatis, in infante crucifigendo edidiſſe, narrat *Robertus de Monte, h. a.* addens, id ſingulis annis eos facere, ſi occaſio detur, recenſetq; alia hujus generis à Judæis patrata facinora; in quibus eſt exemplum S. Wilhelmi, anno 1177. ab illis occiſi. Philippus, Galliæ Rex, anno tertio regni ſui, i. e. anno CIↃ CLXXXII. omnes Judæos regno ſuo expulit, quòd divitias Pariſiorum uſuris ad ſe pertraxiſſent, & ſingulis annis unum Chriſtianum in opprobrium ſanctæ religionis clam in foſſis ſubterraneis, die Dominicæ Paſſionis, jugulent, *Martin. Polonus l. IV. ſub Eugenio Papa circa ann. 1180.* Sub annum 1192. Comitiſſa caſtri Braya muneribus Judæorum corrupta, tradidit eis Chriſtianum, quem illi falsò furti & homicidij accuſabant. Hunc Judæi manibus à tergo ligatis, ſpinis coronatum, & per totam villam virgis cæſum, patibulo affigunt. Philippus, Galliæ Rex, eò profectus Judæorum octoginta comburi juſſit, *Herm. Kornerus Chronic. MS. anno 1192. Johan. Naucler. Gener. XL.* Fuldæ Judæi anno CIↃ CCXXXVI. pueros quinq; Chriſtianos in molendino quodam interemerunt, ut ſanguine cæſorum potirentur, *Fragment. Anonymi apud Urſtiſium part. II. pag. 91. Chriſtoph. Brouuerus Fuld. Antiq. lib. IV. in Abbate XLIV.* Iterum crudelitatis ſuæ exemplum ſtatuère in prima Vindelicia Monachij, circa annum CIↃ CCLXXXV. cùm infantulum, ab anicula emtum, necant, & cruorem excipiunt, quo perlitare creduntur. In ultionem concurrentes cives centum & octoginta Judæos in fano aliquo cremarunt, *Aventin. lib. VII. p. 717.* Non multò pòſt, videlicet anno CIↃ CCLXXXXIIX. â Judæis hoſtia furto ablata, ludibrio habita, & tandem in mortario piſtillo contuſa eſt; unde cruor emanavit. Judæi tunc Würtzburgi, Bambergæ & multis alijs in locis concremati ſunt, *Aventin. lib. VII. p. 735.* Etiam anno CIↃCCCIII. puerum in caſtro Weiſſenſee, Conradum nomine, occiderunt, *Hiſtor. de Landgr. Thuring. c. 80.*

Anno item clↃ CCCVI. Judæus hostiam à muliere Parisiensi redemtam ferventi aheno injecit. At comburere non potuit; sed re divulgata ipse combustus est, *Magnum Chron. Belgic. p. 1269.* Cum anno clↃcccXXXXIX. sævissima pestis grassaretur, & Judæi puteos veneno infecisse crederentur, atq; multos pueros interfecisse arguerentur, plurimi illorum cremati sunt, *Albert. Argentin. in Chron. h. a. Idem de reb. gest. Bertoldi Episcopi.* Ejusdem diabolicæ immanitatis specimen, anno clↃ CCCLXXX. præbuere, cùm in villa Hagenbach puerulum furati sunt, eundemq; crudeliter trucidarunt. Ad quod facinus vindicandum Hallensis civitas aliquot illorum combussit, *Martin. Crusius Annal. Suev. part. III. lib. 5. cap. 13.* Ravenspurgi etiam anno clↃ CCCCXXIX die Assumtionis Domini, puer in sylva Haslochia repertus est, quem Judæi necaverant; qui ideo anno sequenti pridie S. Ulrici cremati sunt, *Idem part. III. lib. 6. cap. 15.* Superat omnem crudelitatem, quod in Simone puero, Tridenti anno clↃ CCCC LXXV. à Judæis rapto & occiso ex singulari scripto, quod ea de re vulgatum est, narrat idem *Crusius part. III. lib. 7. cap. 11.* Cui addatur, quod refert *lib. IX. cap. 6.* Nec minus impium, quod in hostia à sacerdote Sternebergensi, Petro Dano, emtâ, nefaria gens anno clↃ CCCC LXXXXI patravit; quod prolixè enarrant *Nicol. Mareschalc. Thurius, Johannes Bocerus lib. II. de Ducib. Megapol. Petrus Lindenberg. Chron. Rostoch. lib. III. cap. 14.* Furatus hostiam Paulus From, Pomeranus, anno clↃ IↃX. eam Salomoni Judæo vendidit. Hic cùm eam ingenti ictu percussisset, in tres partes cruentas dissilijt. In singulas à sceleratissimis Judæis pungendo sævitum est: singulæ sanguinem sudarunt. Judæi deprehensi in carceribus confessi sunt, se intra paucos annos septem Christianorum pueros stimulis, acubus & cultris confecisse. Joachimus, Elector Brandeb. cum Paulo sacrilego illorum octo & triginta XIX. Julij combussit. Descripsit ex Actis publicis fusiùs *Simon Majol. Tom. III. dier canic. Coll. I. Andreas Engel. h. anno.* Johannes Pfefferkorn, baptizatus Judæus, qui non solùm ex contentione Capnionis cùm Jacobo Hochstraten, sed etiam ex sceleribus suis orbi notus est, in tormentis anno 1514. confessus est, se infantem furto surripuisse, eundemq; à se Judæis venditum una cum eis excarnificasse, graphijsque totum confixisse, donec omnem illum roseum laticem pueri, è vulneribus profluentem, ad usus suos exciperent. *Majolus ibid.* Plura exempla adducit *Calvisius ann. 1250. & 1288.*

CAPUT XVI.

1. Bernhardus, Dux Saxoniæ, Lauenburgum obsidet. - - - 1192	*2. Henrici L. socij ipsum vincunt, & urbem obsidione liberant.*

Bernhar-

1 BErnhardus Dux videns quòd Adolfus Comes prosperatus in via sua Lubecam obtinuisset & Stadium, sperans per eum plurimum prævalere in terra, & nominis sui potentiam extendere, venies in manu valida cum uxore etiam & omni supellectile circa cathedram B. Petri, obsidione maxima vallat Lawenburg. Quem constanter juverunt Comes Adolfus & Bernhardus.
2 Cumque diutina obsidione arctasset castrum, ita ut jam fame deficerēt, qui in ipso erant, & Dux quasi securus distracto exercitu solus excubias servaret, venerunt amici Ducis Henrici, Bernhardus de Welpe, & Helmoldus de Suerin, cum his, quos contraxerant, aut victualia esurientibus laturi, si possent; aut si non possent, ipsos de obsidione liberaturi. Cùm verò transirent aquas, Dux primò quidem eos non attendebat, sed cùm multiplicati fuissent, inhibere eos volebat, nec poterat. Illi autem confortati viribus & armis cum his, qui in castro erant, dimicaturi cum hostibus campū petunt. Dux quid faceret, nesciebat, exercitus, ut dictum est, distractus erat, Adolfus aberat, & Bernhardus Comes Borsich castrū cum suis expugnabat. Ipse tamen constanter agens, arma corripuit, viriliter pugnavit, sed victoriam non obtinuit. Siquidē omnibus suis captivatis, ipse vix captivitatem evasit. Uxor verò ipsius, relicta omni supellectile, abijt Raceburg. Sicque præter spem liberata est Lawenburg, vel quia Ducem Bernhardum fortuna cæca deseruit, vel quia Duci Henrico aliquas reliquias transalbinas Deus reservare voluit. Qui tamen ultionem de inimicis expetens, nunc à Slavis, nunc à Danis auxilium quærebat, & non erat.

CAPUT XVII.

1. Kanutus Rex Holsatiam invadit. - - - - - - 1192.	*3. Waldemarus tunc à Rege captus fuerat.*
2. Quia Adolphus Waldemarum contra Kanutum juverat.	*4. Adolphus à Rege pacem redimit.* - - - - - - 1192.

1 REx (a) tamen Danorum Canutus, exacerbatus à Comite Adolfo, fines ipsius in manu valida intravit, terram ejus incendijs & deprædationibus
2 vastaturus. Siquidem Waldemarus Slesvicensis Episcopus, Canuti regis filius, contra Canutum inimicitias pro regno susceperat, & auxilium regum Norvegiæ & Sueciæ sibi contraxerat, cui ex altera parte favebant amici Imperatoris, Otho Marchio, & Adolfus Comes, & Bernhardus Comes de Raceburg. Cùm igitur Waldemarus contra Canutum produceret exercitum, ipso tempore Adolfus Comes cum multitudine gravi transiens Egdorâm fluvium, omnem terram Regis vastavit usque ad Slesvich, ibique accepto sini

stro

ſtro nuncio, ad ſua cum præda multa reverſus eſt. Waldemaro enim à qui- 3
buſdam amicis inſidioſè perſuaſum fuerat, ut memor conſanguinitatis & priſtinæ familiaritatis ad gratiam regis veniret, quem ille procul dubio omni amicitia dignum, honoribus & divitiis ampliaret. Talibus conſilijs acquieſcens, volubilitatem fortunæ expertus, non ſolùm compedibus, ſed & manicis ferreis fortiſſimè abſtrictus eſt. Pro tali commotione, ut dictum eſt, ſive, ut quibuſdam placuit, ad ſubveniendum Duci Henrico Rex fines Comitis cum
armorum vaſis intravit. Cui Comes licet impari numero occurrit. Adven- 4
tum namque regis diu Comes præſenſerat: unde non ſolùm Othonem Marchionem, ſed & militum manum validam contraxerat. Sed moram rege faciente, Marchio cum multis abierat: cùm ſubitò Rex venit, & Comes exivit obviam ei. Computans tamen, quòd ex æquo occurrere illi non poſſet, legatione miſſa, rogat ea quæ pacis ſunt. Sicque mille quadringentis denariorum marcis gratiam Regis obtinuit, & ille in locum ſuum reverſus eſt.

Rex. a) Ut cauſa belli, quod Rex hic Comiti intulit, rectiùs intelligatur, paulò altiùs, ſuccinctè tamen, hiſtoriam Ditmarſorum ex antiquitate repetemus. Comitatum Stadenſem cum Ditmarſia, quæ ad illum referebatur, à Carolo M. Archiepiſcopo Bremenſi attributum fuiſſe, putat *Krantzius Sax. l. VI. c. 5.* Quòd autem Antiſtes terras illas contra Nordmannorum excurſiones tueri non poſſet, illas poſtea Saxoniæ Ducibus & vicinis Principibus ab Imperatoribus, ut feuda, conceſſas eſſe; quam Krantzij ſententiam nos in medio relinquimus. Illud conſtat, à tempore Henrici Aucupis usq; ad annum Chriſti cIↄCXLIV. Ditmarſiam tenuiſſe, qui & Comites Stadenſes, & Marchiones Brandenburgenſes vocati ſunt; quos recenſet *Krantzius* & alij. Horum ultimus Rudolphus II. cum à Ditmarſis ſuis anno 1144. cæſus eſſet, ejus morte Ditmarſia ad Hartvvicum, tunc Eccleſiæ Bremenſis Præpoſitum Majorem, qui ſolus ex illa familia jam ſupererat, devoluta eſt. Hic (adhuc Præpoſitus: nam poſtea Archiepiſcopus factus eſt) Comitatum Ditmarſiæ Eccleſiæ Bremenſi conceſſit, ſive donatione, ſive etiam permutatione. Nam Comitatum Stadenſem ab Archiepiſcopo Adalberone in feudum recepit. Sed opponebant ſe Henrici Leonis, adhuc adoleſcentis, Tutores, & cauſam ad Imperatorem & Imperij Principes referebant. Hartvvicus, adhuc Præpoſitus, videns ſe fruſtra contra Leonem niti, Ditmarſiam, avitam hæreditatem, recuperare ſtudebat. Cùm autem nec Archiepiſcopus, nec Hartvvicus Ditmarſos ad parendum cogere poſſent, Henricus Leo, qui jam adoleverat, illos cum utriusq; conſenſu, gravi expeditione circa ann. 1148. in eos ſuſcepta, ſubjugat, atq; Reinholdum Comitem illis præficit, qui poſtea ad Deminum urbem à Slavis cæſus eſt; ſupra *l. II. Helm. c. 4. n. 8.* Hartuicus eodem anno Archiepiſcopus factus, aliquot annos adhuc Stadam tenuit, uti apparet ex *Helm. l. I. c. 79. n. 5.* ubi ille caſtellum Stadam & alia muniviſſe narratur. Ditmarſiam autem ſibi ſervaſſe

Leo videtur, nec alium Comitem illi præposuisse. Verùm nec Stadensem Comitatum Hartvvicus diu retinuit, sed illum Leoni tradere coactus est. Unde *Helmoldus* scribit, ipsum utrumq; Comitatum, vivente adhuc Episcopo, liberè possedisse *l. II. c. 6. n. 6.* Cùm Henricus Leo anno 1182. prima vice in Angliam exulatum abiret, Sifridus Archiepiscopus Stadam cum cæteris feudis, quæ Leo ab Ecclesia Bremensi habuerat, (*Arnold. lib. II. c. 36. n. 5.*) Adolphus III. autem Ditmarsiam jussu Romani Imperatoris suæ ditioni adjecit. Et quanquam Archiepiscopus Ditmarsos à Comite reducere, atq; ad Bernhardum fratrem, Saxoniæ Ducem, transferre tentabat, tamen Adolphi virtute effectum est, ut, quamdiu Sifridus superesset, Ditmarsi Holsatis conjuncti manerent, *Arnold l. III. c. 1. n. 10.*

Hartvvicus II. tamen, cùm anno 1184. Sifrido successisset, ab Adolpho III. Comitatum Ditmarsiæ certis conditionibus obtinuit, ut narrat *Arnoldus lib. III. c. 12. n. 2.* Huic cùm post aliquot annos Ditmarsi parere amplius nollent, ille ipso Adolpho Comite inter cæteros assumto, militari manu eos in ordinem redegit, & magnam pecuniæ summam illis solvendam imperavit. Ditmarsi, comperto exercitum dimissum esse, à conditionibus initis recedunt, & abjecto Hartvvici Imperio ad Waldemarum, Episcopum Slesvicensem, circa annum 1187. se transferunt, supra *lib. III. cap. 21.* Hac ratione Ditmarsi Daniæ regno additi sunt. Et putat *Cypræus l. I. c. 28.* illos in fide atq; officio usq; ad illum diem perstitisse, quo anno 1227. prælio in campo Bornhovede commisso ad Comitem transierunt. Sed videntur altera vice operâ Adolphi, postquam ad Danos accesserant, ad Hartvvicum II. reducti fuisse. Id enim ipse Adolphus prædicat & Archiepiscopo objicit, supra *l. IV. c. 22. n. 7.* Sicut enim è prima sua peregrinatione revocatus, Holsatiam, Stadam & Lubecam recuperabat: sic & Ditmarsos ad officium reduxisse videri potest, supra *lib. IV. cap. 10. & 12.* Præterea ante prælium Bornhovedense, anno videlicet 1226. à Rege defecerant. Nam tunc Rex ducto in illos exercitu denuo eos subjugavit. De quo prælio *Ericus Rex in Chronico* scribit: Ann. 1226. Multi Frisones corruerunt in Tithmerskia, & tamen Tithmerskia Danis subjugata est.

Sed ut redeamus eò, unde paulùm digressi sumus, Waldemarus accessione Comitatus Ditmarsiæ ad Episcopatum suum insolentior factus, & quod regio sanguine natus, Regnum sibi deberi putaret, amplissima dignitate ecclesiastica non contentus nova moliebatur, non obscurè regnum affectans. Nam quod Kanuti, Regis Daniæ, filius esset, inter amicos, quorum operâ usurus erat, dictitabat, jus regni administrandi sibi competere, & quòd Kanutus, Waldemaro prognatus, qui jam rerum potiretur, jus aliud prætendere non posset. Etiam necessitudine cognatorum sanguinis materni, quos in Norvvegia habebat, fretus, quiq; ipsum ad defectionem solicitabant, paternum regnum se recuperaturum sperabat. Noverat insuper, Regem imperatori Romano, quod se jam Imperio Romano subtraxisset, & Wandaliam insuper exercitu invasisset, valde exosum esse, adeoq; se facilè hujus sive conniventiâ, sive jussu Principes Germaniæ, jam antè Regi infensos, in societatem belli pertracturum. Ergo Othonem Marchionem, Adolphum Holsatiæ, & Bernhar-

hardum Raceburgi Comites ſibi jungit, & terra mariq; Kanutum oppugnare conſtituit. Nam & in Norvvegia claſſem non contemnendam inſtruxerat, quâ copias navales in Daniam traijceret. Marchio autem & cæteri ſocij Holſatiam invadunt, ibi Regem venientem excepturi. Adolphus fidei ſuæ erga VValdemarum documentum editurus, ſuo exercitu Eidoram tranſit, & terras Regis diripit & vaſtat.

Waldemaro interim à nonnullis amicis, quorum fidem ſe ſatis cognitam & perſpectam habere putabat, perſuaſum eſt, æquius & tutius eſſe, rem conſilio, quàm armis experiri; idque propter propinquitatem ſanguinis, quâ Kanuto junctus ſit, honeſtius, & ipſius perſonâ, quam jam ſuſtineat, dignius eſſe. Si pacis conditiones admittere velit, Proceres regni de controverſiis cum Rege acturos, & pacificationis negotium ſuſcepturos. Epiſcopus his promiſſis inductus, fide publica acceptâ, ſe totum Regi ejusq; gratiæ permittit. Ita deluſus, vinculis conſtringitur, & in arce Burlund in carcerem abijcitur. Jam Rex etiam injuriam & damna ab Adolpho illata, nec non ſoceri ſui Henrici Leonis caſum vindicaturus, in Nordalbingiam movet. Adolphus qui ſolus impetum Regis ſuſtinere non poſſet, & aliorum auxilijs deſtitueretur, (nam Marchio Otho moræ impatiens, & quòd ſumtus expeditionis diutius tolerare non poſſet, copias ſuas reduxerat,) ad deprecationem deſcendit, & pacem pecuniâ redimit.

CAPUT XVIII.

1. *Abſalonis, Archiepiſcopi, vita religioſa, & mors.* - - - 1201.
2. *Andreas, Cancellarius, Vir doctus, gravis, induſtrius illi ſuccedit.* - - - 1201.

HOc dierum curriculo ex hac vita ſubtractus eſt Dominus Abſolon, Lundenſis Archiepiſcopus, vir religioſus & magni conſilij ſive diſcretionis & præcipuè honeſtatis. Hujus induſtria omnes eccleſiæ totius Daniæ prius diſcordantes uniformes in officijs divinis factæ ſunt. In cathedrali ſede crucifixum ſuperaffigi præcepit, ut accedentibus & recedentibus reverentia crucifixo magis quàm ſibi fieri videretur. Præterea largè ſua eccleſijs & monaſterijs conferens, maximè cathedralem eccleſiam B. Laurentij martyris Lundis ditare & ornare ſtudebat coronis precioſis & campanis maximis, ut nunc cernitur, & diverſis ornamentis. Et quia erat, ut dictum eſt, vir religionis amator, monaſterium Ciſtercienſium Monachorum in Sora ædificare & ditare ſatagebat, ubi etiam circa finem dierum ſuorum moleſtia corporis

tractus ægrotabat. Ordinatis autem ecclesiæ suæ rebus, in die B. Benedicti Abbatis diem clausit extremum. Cujus morte omnis Dania non parum indoluit, & quia multos discordantes ad pacem in vita sua reformaverat, ipsius
2 exitum Iesu Christo, pacis auctori, commendabat. Cui successit Dominus Andreas, regalis aulæ Cancellarius, vir litteratissimus, nec minore gratia præditus. Erat autem à primo juventutus suæ tempore studiis deditus, & morum gravitate ornatus. Et cùm esset in negotijs regijs continuè occupatus, magna tamen abstinentia se constringebat. A quâ nec in Romana curia negotiis deditus temperabat, ut omni sexta feria nihil gustans crucis Dominicæ bajulus existeret. Ordinatus autem ipsam morum gravitatem non deseruit, humilis & quietus & pudicus & abstinens permansit. Unde æmulatione sua plurimos provocavit. Doctrina etiam adeò insistebat, ut nonnullos tam clericos quàm laicos divini amoris flamma succenderet, & ipse æs candens existens scintillas verbi Dei ubique spargeret. Avaritiam quoque, quæ est idolorum servitus, omnino detestans, nihil per vim rapere curabat, sed suis contentus, beatius dare quàm accipere docebat.

Absolon. a) Eximias virtutes Absolonis pluribus in locis narrat *Saxo Sialandicus*. Primùm Episcopus Roschildensis, deinde Archiepiscopus Lundensis fuit. Obijt Soræ, (quod cœnobium de suo patrimonio condiderat, & largè ditaverat,) anno 1201. XII. Kal. April. *Ericus Pomeranus Pont. l. VI. in Kanuto h. a.* Monumentum lapideum literis Runicis ei positum describit *Olaus Worm. Dan. monum. l. III. c. 5.*

CAPUT XIX.

Conradus, Cancellarius, scribit, quæ in itinere Italico & Siculo viderit & observaverit; in quibus multa insunt fabulosa & falsa.

NEc piguit, ad ædificationem aliorum, hîc ponere epistolam Conradi Cancellarij, quam scripsit nobis de statu Apuliæ & de operibus vel artibus Virgilij:

Conradus, Dei gratia Hildesemensis electus, imperialis aulæ & regni Siciliæ legatus, dilecto suo N. Hildesemensis Præposito Ecclesiæ, salutem & dilectionem quàm intimam.

QUomodo virtuosa Domini dextera serenissimi Domini nostri Henrici, gloriosissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & regis Siciliæ,

liæ,imperium usque adeò in ore gladij dilatavit,vt ea, quæ olim apud vos in scholis positi in ænigmate quasi in speculo aure tenus percepimus, facie ad faciem oculata nunc fide cognoverimus, vobis de his scribere non duximus superfluum,ut omnem de his, quæ vobis frivola forte vel incredibilia videntur,de corde vestro dubietatis scrupulum auferentes,ad ea videnda quæ auditis,vestrum accendamus desiderium, ut ea quæ nunc demissa tantùm per aurem vobis sunt dubia, fide plena constent, & pateant occulta. Nec id vobis videatur difficile: terminos Imperii non oportet egredi,Teutonici orbem dominij non ducatis transeundum,ut ea videatis,circa quæ Poetæ multa consumserunt scribendo tempora. Inter hæc autem Alpium nivibus laborioso cursu superatis primùm occurrit nobis Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ. Quas civitates celeri cursu prætereuntes, Mutinæque labores, non sine admiratione astitimus parvi Rubiconis ad undas. Cujus parvitatem stupido intuentes obtutu,disertissimi illius Poetæ Lucani admirati sumus facundiam,qui de re tam humili tam grandiloquo intumuit eloquio.Nec minus admirati fuissemus, quòd tam minimus non fluvius sed rivulus tanti Ducis,Iulij Cæsaris scilicet, animo,nullis unquam fracto periculis, timorem incutere potuit,vel transitus præbere difficultatem,nisi indigenarum didicissemus assertione, eundem Rubiconem instar perennis fluminis imbrium & torrentium auxilijs sæpius intumescere mendicatis. Quo sine difficultate transito, quod Iulio contingere non potuit, transeuntes Pisaurum, quod à pensando aurum ab antiquis dictum est,eo quòd Romanis militibus, ad debellationem exterarum nationum proficiscentibus,ibi aurum ponderaretur, & distribueretur,solidi scilicet,civitatem Fanum accessimus,ubi milites proficiscentes apud fana idolorum, quorum vestigia adhuc ibi sunt, oraverunt, & votivas pro salubri reditu Dijs fecerunt promissiones, quas à debellatis victoriosi redeuntes hostibus ibidem cum gratiarum actionibus persolverunt.Deinde montem non sine difficultate calcantes Apenninum,Sulmonem ad illius Ovidij patriam pervenimus, magis ex tanti Poetæ natione, quàm de suæ ubertatis laude famosum,cùm ipsum nullis divitijs adeò copiosum quàm gelidis invenimus undis. Unde idem Ovidius:

Sulmo mihi patria est,gelidis uberrimus undis.

Nec nos ipsum, ut verum fateamur, gelidis minus invenimus nivibus copiosum. Occurrerunt circiter eundem locum nobis arbores miraculosæ, de quibus si quis,ut ajunt,ramum decerpit,aut eodem anno in fata concedit,aut longæ & acutissimæ febris non evadit insultum. In quas asserunt(si credere est dignum) sorores Phaetontis post lachrymosas fratris exequias miseratione su-

ſuperum transformatas. Deinde Thetin civitatem, ubi Thetis, mater Achilles, habitabat, prætereuntes civitatem Nympham à dextris reliquimus: ubi pro fontium amœnitate nymphæ fingebantur eſſe, & ibidem colebantur. Cannas etiam aſpeximus, ubi tot nobilium Romanorum millia ab Annibale interfecti ſunt, ut anulis occiſorum duo modij implerentur, cùm anulis tunc temporis tantùm nobiles uterentur. Præterijmus deinde Iovianum civitatem, quæ quaſi Iovis natio nuncupatur, eo quòd ibi Iupiter natus fuerit. Sub ſilentio etiam tranſire noluimus, quòd Pegaſeum fontem, Muſarum præterijmus domicilium, de quo nunc ſine difficultate potare poſſetis & haurire, ſi vobis placeret, ad cujus guſtum Poetæ longis quondam ſtudijs & laboribus pervenerunt. Nunc ergo ad illum fontem guſtandum ultra Sauromatas & ad extremos Indos non oportet peregrinari. Fons iſte eſt in noſtro Imperio. Ibidem non longè Parnaſſus mons occurrit, in quo Deucalion cum ſua conjuge damnum humani generis jactu lapidum poſt diluvium reparavit. Ibidem eſt Olympus mons, tantæ celſitudinis, ut cæteros montes ſublimes quidem ſub pede longè relinquere videatur. Ibidem Cajanum, quæ caſa jam fuit, & ideo Cajanum dicitur, præterivimus, & locum, qui caput Minervæ vocatur, eo quòd ibi Minerva coleretur, littus maris ſcopuloſi prætereuntes, quod Palinurus dicitur, eò quòd ibidem [illegible]

Nudus in externa jacuit Palinurus, arena,

Æneæ adhuc refricans infamiam, quòd ibidem emeritum peregrinis demerſit in fluctibus Palinurum. Vidimus etiam operoſum opus Virgilij Neapolin, de qua nobis mirabiliter Parcarum penſa diſpenſaverunt, ut muros civitatis ejuſdem, quos tantus fundavit & erexit Philoſophus, imperialis juſſionis mandato deſtruere deberemus. Non profuit civibus illis civitatis ejuſdem imago, in ampulla vitrea magica arte ab eodem Virgilio incluſa, arctiſſimum habente orificium, in cujus integritate tantam habebant fiduciam, ut eadem ampulla integra permanente, nullum pati poſſet civitas detrimentum. Quam ampullam ſicut & civitatem in noſtra habemus poteſtate, & muros deſtruximus, ampulla integra permanente. Sed fortè quia ampulla modicum fiſſa eſt, civitati nocuit. In eadem civitate eſt equus æreus, magicis incantationibus à Virgilio ſic compoſitus, ut ipſo integro permanente, nullus equus poſſit redorſari, cùm tamen de vitio naturali ſit illi terræ proprium, ut ante equi illius compoſitionem, & poſt ejuſdem equi quantulamcunque corruptioné, nullus equus ſine dorſi fractura poſſit equitem aliquandiu vehere. Ibidem eſt porta firmiſſima, inſtar caſtelli ædificata, valuas habens æreas, quas nunc ſatellites tenent imperiales, in qua conſtituerat Virgilius muſcam æream, qua integra per-

permanente, nec una musca civitatem potuit inrroire. Sunt ibidem in castro vicino in supercilio civitatis, undique mari incluso, ossa Virgilii, quæ si libertati exponuntur aeris, totius facies aeris obscuratur, mare funditus evertitur, & tumidis æstuat procellis, insperateque consurgit strepitus tempestatis, quod nos vidimus & probavimus. Sunt in vicino loco Bajæ, quarum meminerunt auctores, apud quas sunt balneæ Virgilij, singulis passionibus corporis utiles. Inter quas balneas unum est principale & maximum, in quo sunt imagines hodierno tempore vetustate consumtæ, singulas singularũ partium corporis passiones demonstrantes. Sunt & aliæ imagines gypscæ singulæ singulas balneas demonstrantes singulis passionibus profuturas. Ibidem est palatium Sibyllæ, operosis constructum ædificijs, in quo est balneum, quod hodiernis diebus balneum Sibyllæ nuncupatur. Est ibidem palatium, de quo Helena à Paride rapta perhibetur. Præterivimus etiam Scyron insulam, in qua Thetis filium suum Achillem deposuit, dum fatorum minas & Græcorum insidias formidaret. Demum asperrima Calabriæ invia cum labore transeuntes, Siciliam adituri, Scyllam & Charybdin non sine timore navigio transivimus, quem nunquam alicui contigit sani corporis homini sine formidine locum pertransire. In principio ergo Siciliæ vidimus domum Dædali in vertice montis constructam, in quo Minotaurus inclusus matris infamiam vitæ tenebris redemit. Unde adhuc locus Taurominium vocatur, à Minotauro, vel quasi Tauri menia à cujus semine Pasiphae genuit Minotaurum, Ubi radices & reliquiæ murorum domus illius intricatæ vestigia reliquerunt plurima, ut vidimus, intricata. Et mare adiacens Icarium mare nuncupatur, eo quòd Icarus ibidem alarum remigio aereas contra naturam hominis carpens vias, neglecto patris mandato, vitæ suæ diem lachrymabiliter consummavit extremum. Accessimus demum Ætnam montem, in quo Iovis faber Vulcanus cum suis conservis Gigantibus Iovis fulmina fabricavit. In eodem siquidem caminus ingentissimus ignisque exhalans horrendissimus pro scintillis saxa vomunt ingentissima in modum scoriæ ferri, quæ arbusta hodierna die & totam faciem terræ ad diætæ longitudinem circumquaque tegunt, ut tota illa provincia necdum cultoribus sit idonea, sed sua multitudine prædicta saxa viatoribus transitum penitus negaverunt. Talibus siquidem eguit durus ille fulminum faber carbonibus, qui immanibus non possent follium de facili flatibus exsufflari. Est in latere prædictæ Ætnæ locus munitus & amœnus, cui dea Ceres de unica prole solicita, unicam non sine lachrymis filiam Proserpinam commendavit. Est ibidem scissura terræ non minima, quam horrendarum occupat obscuritas tenebrarum. Ubi Pluto rapturus

Pro-

Proserpinam fingitur erupisse. Prædictus autem caminus Ætnæ usque ad tempora Agathæ virginis duravit, & dum solito fortius erumperet, ut universæ terræ faciem occuparet, & multa hominum millia violentia flammarum interimerentur, Sarraceni, qui multa miracula viderant, quæ Dominus per merita B. Agathæ virginis operari dignatus est, velum ejusdem virginis prędictis flammis opposuerunt, & ipsa flamma tanquam ventorum impetum fugiens, in terræ viscera se recepit, nec ultra in Sicilia comparuit, sed ipse ignis se ad quendam scopulum in mari positum transtulit: Ubi hodiernis temporibus indesinenter glomeratus, flammarum & cineris turbo exhalat. Unde idem scopulus vulgo Vulcanus appellatur, eo quòd faber Iovis, Vulcanus credatur à simplicibus se ab Ætna ad eundem scopulum contulisse. Est circiter eundem locum Syracusæ civitas, de qua dicit Virgilius:

Prima Syracusio dignata est ludere versu
Musa, &c. ——— ——— ———

Iuxta hanc civitatem oritur in littore maris fons Arethusa, quæ primo raptum Proserpinæ matri solicitæ per ordinem reseravit. Ad hunc fontem Arethusam vicinus præterlabitur Alpheus, surgens in Arcadia, & per medium maris usque ad Siciliam defluit, & ibidem aquis Arethusæ nititur immisceri, pristinum servans amorem: & quam vivam dilexerat, ejusdem aquis admisceri nititur post ejusdem transformationem. Vidimus ibidem thermas, quarum sæpius meminerunt auctores, vidimus Pelorum, Pachynum & Lilybæum, tria promontoria Siciliæ. Vidimus ibidem Sarracenos, qui solo sputo venenosa interficiunt animalia, quæ virtus quomodo ipsis sit insita, breviter tangemus. Paulus Apostolus naufragium passus, apud Capreas insulam applicuit, quæ in actibus Apostolorum Mitylena nuncupatur, & cum multis alijs evadens, ab indigenis terræ benignè acceptatus est. Et cùm prædictis naufragis ignis de sarmentis ab indigenis strueretur, serpens, qui in sarmentis latuerat, ignis calorum fugiens, exilijt, & manum Pauli morsu vulnerans venenoso radicatis adhæsit dentibus. Quod videntes indigenæ, dicebant: Verè hic homo peccator est, & facinorosus, nec vita dignus, quem de naufragij periculo vix extractum Deus in gravioris mortis pœnam posuit. Paulus autem manum intrepidus excussit, & continuò manus sanata est. Quod admirantes Sarraceni, Paulum venerari cœperunt. Unde Pauli meritis in humanitatis suæ præmium hospiti Pauli & suis filijs & nepotibus usque nunc collatum est, ut solo sputo venenosa interficiant animalia. Et quemcunque locum solo ambitu gyraverunt, eum de cætero non introit venenosum: nec aliquis serpens eos audet tangere. Unde cùm generat aliquis filium, ipsum solum

ſolum cum ſerpente ponit in navicula,& ſic diu naviculam permittit fluctuare. Quòd ſi poſtea puerum recipit illæſum,ſe patrem eſſe cognoſcit, & puerum paternæ dilectionis viſceribus amplexatur. Si autem ipſum invenerit vulneratum,continuò per membra fruſtratim diſcindit,& uxorem ſuam adulterij pœna condemnat. Cæterùm ad mentem reducimus, quòd apud Neapolin eſt quædam porta,quæ ferrea nuncupatur,in qua Virgilius omnes ſerpentes illius regionis incluſit, qui propter ædificia ſubterranea & cryptas, quæ ibi plurimæ ſunt,abundant, quam ſolam inter cæteras portas deſtruere timebamus,ne ſerpentes incluſi de carcere egredientes terram & indigenas moleſtarent. Eſt in eadem civitate macellum,ſic à Virgilio conſtructum, ut caro animalis occiſi in ipſo per ſex hebdomadas maneat recens & incorrupta,ſi exportetur, fœteat & appareat putrida. Eſt ante civitatem Veſevus mons,ex quo ignis multos involuens cineres fœtidos intra decennium ſemel ſolet exhalare. Cui Virgilius oppoſuerat hominem æreum, tenentem baliſtam tenſam,& ſagittam nervo applicatam. Quem quidam ruſticus admirans, eo quòd ſemper baliſta tenſa nunquam percuteret, impulit nervum. Sagitta proſiliens percuſſit os montis, & continuò flamma proſilijt, nec adhuc certis vicibus cohibetur. Eſt ante eandem civitatem inſula, quæ vulgo Iſchya dicitur, in qua ignis cum fumo ſulphureo evomitur continuus, ita ut quoddam caſtrum adjacens ita paulatim, etiam ipſa ſaxa & ipſum ſcopulum conſumſerit, ut ibi veſtigia caſtri non appareant. Ibi firmiſſimè aſſeritur os eſſe inferni, & ibi eſſe loca pœnalia referuntur. Ibi etiam Æneas fingitur ad inferos deſcendiſſe. Videntur circa eundem locum qualibet die ſabbathi circa horam nonam volucres in quadam valle nigræ, & ſulphureo fumo deturpatæ, quæ ibi quieſcunt per totum diem dominicum, & in veſpere cum maximo dolore & planctu recedunt, nunquam niſi in ſequenti ſabbatho reverſuræ,& deſcendunt in lacum ferventem. Quas quidem afflictas animas arbitrantur vel dæmones. Eſt ibidem mons barbarus, ad quem per viam ſubterraneam per medium maximi montis acceſſimus per tenebras infernales, tanquam ad inferos deſcenſuri. In quo monte in ipſius montis viſceribus maxima ſunt palatia & vici,quaſi maximæ civitates,ſubterranei,& fluvij ferventis aquæ ſubterranei, quos quidam ex noſtris viderunt,& ſub terra quaſi per ſpatium duorum milliarium proceſſerunt. Ibidem theſauri ſeptem regum aſſeruntur repoſiti, quos dæmones cuſtodiunt in æreis imaginibus incluſi,diverſas terribiles imagines prætendentes,quidam arcu tenſo, quidam gladijs,quidam alijs comminantes. Hæc & alia plura vidimus, quorum non poſſumus per ſingula meminiſſe.

CAPUT XX.

1. *Henrici L. filius frustra de terris trans Albim recuperandis cum Imperatore agit.*
2. *Idem ducta Conradi Palatini Rheni filia Imperatoris gratiam obtinet. - - - - - - - 1193.*
3. *Cum Imperatore in Apuliam profectus, successionem in soceri bona impetrat. - - - - - - 1194.*
4. *Hinc pax per Saxoniam.*
5. *Henricus L. quieti se tradit, templis instaurandis intentus.*
6. *Imperator in Apulia gazam Wilhelmi Regis capit.*
7. *Indicio vetulæ thesauros Rogerij Regis invenit.*
8. *Est munificus.*

1 DUx autem Henricus adhuc experens auxilium regis, filium suum æquivocum de Brunschwig ad ipsum misit, ut à suo latere non recederet, quousq; per eum omnem terram transalbinam obtinuisset. Cui bonam quidem spem Rex fecerat, non tamen eam, quæ non confundit. Nam eadem de die in diem evanescens, nihil firmitatis propter regis negotia habere visa est.
2 Unde idem filius Ducis quasi desperatus discedens, alia via usus est, qua ad gratiam Imperatoris, non tamen ad restitutionem paterni veniret honoris. Nam quia erat præclarus genere, nobilis virtute, speciosus forma, validus corpore, notus opinione, filiam (a)Palatini de Rheno sortitus est uxorem. Qui quoniam patruus Imperatoris erat, Imperator eum pro hujusmodi copula vehementer arguebat. Qui præter se (b)hæc acta affirmans, Imperatoris animum blanda calliditate lenire studebat. Sed quia legitimus contractus dissolui non poterat, paulatim mediante socero juvenis Palatinus gratiæ Imperatoris
3 appropiabat. Tunc denique temporis Imperator secundam in Apuliam expeditionem ordinavit: & quia in ipsa profectione idem Ducis filius in omnibus ad placitum ei deservivit, non tantùm Imperatoris gratiam, sed & omnem
4 dignitatem soceri sui de manu Imperatoris suscepit jure beneficiario. Tunc nova lux in Saxonia orta est, pacis videlicet jucunditas; quia ex illo tempore tanta familiaritate Imperatori adhæsit, ut nihil de cætero contra ipsum moliri decreverit. Sicque ex omni parte terra marique cessaverunt deprædationes, furta, latrocinia, & ingemuerunt latrones & viri sanguinum: quia perijt maledictus fructus eorum. Benedictæ hæ nuptiæ, & eadem fœmina benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris ejus: quia in ipsius copula terris sociata est pax & lætitia, & diu clausæ tunc patuerunt portæ civitatum & castrorum, cessaverunt excubiæ, & hactenus inimici ad se mutuo accedebant,

nego-

negotiatores & ruricolæ liberrimè deambulabant. Dux autem senior variis 5
negotiis deditus, his videlicet, quæ ad ornatum domus Dei pertinerent, vel
etiam aulæ propriæ in Brunschwig, residuum vitæ suæ tempus quietus exe-
git. Imperator autem in Apuliam profectus est in via sua: quia mortuo Tanc- 6
rado, adversario suo, omne regnum Wilhelmi ad voluntatem obtinuit. Cu-
jus aulam ingressus, lectos & sedilia, mensas ex auro invenit purissimo. Re-
perit etiam thesauros absconditos, & omnem lapidum preciosorum & gem-
marum gloriam, ita ut oneratis centum quinquaginta somarijs(c) auro & ar-
gento, lapidibus preciosis & vestibus sericis, gloriosè ad terram suam redierit.
Cùm autem terras Teutoniæ attigisset, insecutus est eum celeri cursu Impe- 7
ratricis nuncius, quæ in Apulia remanserat, nuncians, inventos esse omnes
thesauros Rogerij regis. Vetula enim quædam apud Imperatricem erat, quæ
de obsequio Rogerij fuerat. Hæc gazophylaceum regis de paucissimis no-
verat, quod in muro antiquissimo conservatum diligentissimè linito pariete
& superducta pictura omnibus indagabile videbatur. Cùm igitur per ipsam
proditum Imperatori manifestatum fuisset, ille Imperatrici mandavit, dicens:
De ipsis thesauris, quod tibi videtur, facito: me autem scias hoc tempore A-
puliam non repetere. Ipse siquidem Imperator liberalissimus erat, quem 8
Deus ampliare voluit, ideoque dedit ei thesauros absconditos, quos infatiga-
biliter, non tamen prodigè, omnibus erogabat, non tantùm majoribus vel no-
bilioribus, sed militaribus seu vulgaribus. Pauperum verò non segnis pro-
visor erat, qui se in omnibus non solùm prudenter, sed & religiosè cum gravi-
tate gerebat.

---

filiam. a) Matrimonium hoc ante reconciliationem Ducis cum Henrico VI. initum esse narrat *Gerhard. Stederburg. p. 14.* Reconciliatio autem ista anno 1191. facta est. Oportet ergo hoc matrimonium eodem anno contractum esse. *Albertus Stad.* tamen in annum 1194. reijcit.

præter se. b) i. e. se inscio. Juramento etiam Imperatori confirmabat, se ignorante matrimonium illud contractum esse. Et liquidò jurare poterat. Dum enim ipse Imperatori adesset, mater virginis Sponsum clam in arcem suam advocat, eiq; filiam benedictione sacerdotali jungendam curat. Patri postero die demum redeunti, quid factum sit, fatentur. Qui autem factum, quòd Imperator nuptias has impedire tantopere studuerit? Conradus, Dux Sueviæ, Friderici Barbarossæ frater, & per matrimonium Comes Palatinus Rheni, Fridericum & Agnesen liberos habuit. Friderico Richsa, H. Leonis filia, data; Agnese Henrico, Leonis filio, promissa est. Fridericus non diu post matrimonium contractum in Italia obijt, relicta Richsâ vidua. Cùm jam Henricus, Leonis filius, Agnesen, sibi olim promissam, ducere vellet, Henricus Imperator, qui ad exemplum patris Leo-

nis domum oderat, matrimonium filiæ Conradi Palatini cum Henrico, Leonis filio, impedire conatus est.

somarijs. c) Somarius, scil. equus. Idem dicitur Saumarius, in *Gestis Francorum, l. VI. c. 11.* Summarius *Godefrido Mon. anno 1190. Vincentio Beluacensi Spec. Hist. l. XXX. c. 89.* Soumarius in *Constitut. Caroli Crassi anno 890.* Sumerius *Rogero de Hoved. part. post. ann. 1171.* & tandem Sagmarius, *σαγμάριος*, idq; rectiùs, *Flav. Vegetio l. II. c. 10.* Ideo *saginarij* apud *Anonymum de S. Ottone l. II. c. 6.* corruptè legitur, & rescribendum *sagmarij*. Est autem equus clitellarius. Σάγμα, sagma, (corruptè sauma) est stratum seu genus ephippij, cui onera commodius ferenda imponuntur, ne dorsum jumenti lædant. Sagma à stratu sagorum vocatur. Unde & caballus sagmarius, mula sagmaria, *Isidor. l. XX. c. 16.* Iter cum sagmis aggressi sumus, *Tageno.* De saumis nullum teloneum pendito, *Leg. Francor.* Imperator Abbati S. Vincentij remittit telonium de saumis, *Aimonius in Privileg. Caroli M.* Saumas, & rufias & & filtros &c. *Chartar. centuria, LVII. apud Goldast. Tom. II.* Hinc infra; *l. VII. c. 17. n. 2.* somaria dicuntur ipsæ sarcinæ, vel cistæ, in quibus equi clitellarij pecuniam aliasve res ferunt. *Suidas* etiam ipsa jumenta ita appellat: *σαγμάρια, τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν, καὶ τὴν μετακομιδὴν τῶν ἐπιτηδείων.*

CAPUT XXI.

1. *Hartwicus II. Archiep. dignitati suæ invitis civibus restitutus est.*
2. *Bremenses Waldemarum, Episcopum Slesvicensem, elegerant.*
3. *Waldemarus eo nomine offensam Kanuti Regis incurrerat.*
4. *Bremenses cum reverso Archiepiscopo de reditibus litigant.*

1 EOdem tempore Dominus Hartuicus, Archiepiscopus Bremensis, à Bremensibus ejectus, in sedem suam reversus est cum conniventia cleri, & ministerialium quorundam astipulatione. Multum enim contra ipsum in curia Romana laboratum fuerat pro causis suprà dictis, similiter & apud Imperatorem, ut & ab officio arceretur & beneficio. Sed eum adversarij casso labore reliquerunt: eo quòd Dominus Apostolicus Cœlestinus manu eum te-
2 neret, & sopita contentione ad pacem rediit ecclesiæ. In tantum siquidem contra ipsum excreverat indignatio, ut Imperatoris assensu tota ecclesia in personam Domini Slesvicensis Waldemari convenisset: cujus electioni in tantum consenserat, ut sub ipsius nomine quædam negotia Bremenses ordi-
3 narent, & in monetis ipsius imaginem & inscriptionem repræsentarent. Ipse tamen Waldemarus pro tali electione Canuto regi & amicis ejus suspectus habitus est. Nam quia Canutus ab Imperatore dissentiebat, propterea Epi-

Episcopum Imperatoris Archipræsulatum malignandi causa arrogare cògitabat. Et quia omne regnum divisum desolabitur, ideo Waldemari regnum stare non potuit: quia cum rege de pace non sensit. Cives tamen Dominum Hartuicum non libenter aspiciebant: quia ipsum non per Imperatorem, cujus animum offenderat, reversum dicebant. Unde ei reditus civitatis, quos Imperator in manibus eorum posuerat, impedire studebant. Ille autem non propria deliberatione, sed Imperatoris voluntate se intrasse affirmabat, & plenariè gratiam ipsius invenisse. Ad argumentum hujus assertionis Dominum Coloniensem Adolsum ad medium deducebat, qui favens parti ipsius, hoc scriptis & nuncijs ita esse astruebat. Cives verò, qui mandatum Cæsaris habebant, hæc immutari non posse sine veris litteris & nuncijs ipsius evidentibus contendebant. 4

supra a) *lib. IV. c. 3. n. 2.*

CAPUT XXII.

1. Adolphus Comes Hartwico reditum gratulaturus, Bremam venit.
2. Re cognita, improbat reditum ejus.
3. Adolphus & cives in causa illius Imperatoris voluntatem requirunt.
4. Præsul Comitem ecclesiasticâ censura notat.
5. Comes ad Papam provocat.
6. Præsul sacrorum usu per totum Episcopatum interdicit.
7. Comes auctoritate Imperatoris & meritis suis docet, injustè sibi anathema dictum.
8. Sententia de sacrorum intermissione mitigatur.
9. Major ἀταξία ex illa sacrorum prohibitione orta.
10. Reditu Imperatoris ex Apulia malis illis remedium allatum est.

ADolfus ergo Comes audito ingressu Domini Hartuici, venit Bremam 1
congratulans de adventu ipsius, similiter & certificari volens an vel per Imperatorem vel aliunde intraverit. Ipse enim cùm idem Hartuicus exularet, omnibus modis per Imperatorem & per ipsam ecclesiam Bremensem laboraverat, ut ad statum pristini honoris rediret. Ideoque nunc magis exultabat, & pro hac vicissitudine aliquid gratiæ expectabat. Veniens igitur Bre- 2
mam, auditis hinc inde partibus, displicuit quòd non per ostium intraverit. Ideoque sic ordinatum est ab ipso & civibus & alijs amicis Domini Imperatoris, ut cùm Dominus Archiepiscopus aliqua in civitate ordinare voluisset, de

ecclesiasticis tamen causis non nisi una die vel ad majus duobus toleraretur.
4 De reditibus tamen, qui sub interdicto positi erant, non uteretur, donec ista Cæsari insinuassent, & ipsius voluntatem cognovissent. Hæc autem ordinatio Domino Hartuico & suis valde displicuit, qui jam liberè se reditus episcopales invadere putavit. Adolfum tamen Comitem, qui non tantùm Cometiam Stadij, sed & alias res Episcopij de mandato Imperatoris ex magna parte tenebat, graviter arguere cœpit, eumque quasi invasorem ecclesiæ deno-
5 tavit. Adolfus autem videns se quasi ecclesiastica censura injustè gravari,
6 sedem Apostolicam appellavit. Exinde Dominus Archiepiscopus collecto concilio ecclesiastico, usus est consilio, quod super his expediret, vel quid agendum ecclesia judicaret. Sicque accepto responso, excommunicatis adversarijs, non tantùm in cathedrali sede, sed & in omni sua diœcesi, suspendit divina, & ita non tantùm gravata est ecclesia, sed & adversariorum adversus eum gravius ira efferbuit. Nam quia filij hujus seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua, ipsum Hartuicum sua sententia gravare conati sunt.
7 Adolfus enim veniens Bremam, absente tamen Archiepiscopo, post appellationem legitimè interpositam, injustè se excommunicatum clamat, nec ideo se à reditibus ecclesiæ abstinere dixit, quos ipso adhuc in peregrinatione posito, Dominus Imperator sub interdicto posuisset, & post reditum ipsius in manu ejus consignasset, nisi iterum sua hoc auctoritate Dominus Imperator immutasset. Se enim gratiam potius quàm iram meruisse dicebat, qui non modò Domino Archiepiscopo, sed toti ecclesiæ semper fidelis & devotus extitisset, & per ejus laborem B. Petrus non tantùm Stadium, sed & Thetmar-
8 cos(a), qui ad regnum Danorũ se transtulerunt, recepisset. His altercationibus non mediocriter turbata est Ecclesia propter partes adulantium, hinc inde placere volentium. Nam qui de consilio Comitis erant, dicebant excommunicationem illam nihil habere virium propter appellationis remedium, & qui de parte Episcopi erant, contradicere non poterant, pro alijs tamen causis Comitem dicebant excommunicatum. Ille autem affirmabat, pro appellatione se tantum excommunicatum. Cùm igitur civitas Bremensis hac pestilentia diutius laboraret, & corruptio cadaverum, quæ inhumata in cœmeterijs iacebant, homines plurimum læderet, temperata est sententia,
9 ut in maiori ecclesia fierent diuina, & ciuitas illuc confluerct. Sed cùm Comes cum Aduocato ciuitatis, & quidam de fortioribus, qui reditus colligebant, in banno perseverarent, & nullus eis præsentibus divina celebraret, nec hoc sine scandalo stare potuit. Nam cùm hi in sua sententia perseverantes se excommunicatos negarent, Comiti quidem sui non solùm in Hammen-

burg,

burg, sed & in omnibus parochijs & castris communicaverunt. Alij verò in Brema in forensi ecclesia populum detinentes, quia bursa vacabat, in facie Archiepiscopi & Canonicorum divina peregerunt, & factus est novissimus error pejor priore. Quid de ipsis Canonicis dixerim? qui de proprijs domibus fugati, non nisi in ecclesia & officinis claustralibus permittebantur, propter eos, qui dicebant: Vos contra Imperatorem sentitis: vos civitatem tradere vultis: ideo vos in civitate non patiemur. Hæc omnia propter absenti- 10
am Imperatoris fiebant: quia tunc in Apuliam ierat: quoad rursus Dominus Archiepiscopus D C. marcis gratiam ejus meruit, & Comes Cometiam Stadij in beneficio suscepit cum tertia parte redituum. Et omnis excommunicatio plenariè relaxata est.

Thetmarcos. a) Ditmarsi enim aliquandiu ad Comitatum Stadensem referebantur, & sub ijsdem Dominis erant, qui Marchiones Brandenburgenses, seu Soltvvedelenses, & Comites Stadæ & Ditmarsiæ appellabantur, *Krantz. Sax. l. VI. c. 5. et 6.* Vide *Notas ad Cap. XVII. n. 3.*

CAPUT XXIII.

1. *Abbas Hildesheim. à Papa contendit, ut Bernwardus Episcopus inter sanctos referatur.*
2. *Obtinet illud, & alia, operâ Hyacinthi Cardinalis.*
3. *Episcopus & Abbas colligunt ossa Bernwardi.*
4. *Monachi nonnulli dubitant, sintne ea vera ejus ossa?*
5. *Quidam n. religiosi jam antè particulas reliquiarum ejus abstulerant.*
6. *Bernwardus solenni processionis pompâ inter sanctos refertur.* 1194

HOc dierum circulo Dominus Theodoricus, Abbas B. Michaelis Archan- 1
geli in Hildensheim, abijt Romam ad limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, omni devotione ipsorum adorans memoriam, similiter etiam humilimis exposcens supplicationibus, ut per ipsorum vicarium, Dominum Papam Cœlestinum, & per auctoritatem S. Romanæ ecclesiæ, Bernwardus (a) Hildensheimensis ecclesiæ quondam Episcopus, cœnobij verò B. Michaelis Archangeli primus fundator, nunc autem patronus apud Dominum venerandus, in catalogum transiret sanctorum: utpote cujus sanctitatem jam dudum in sepulcro jacentis testati sint dæmones effugati, cæci illuminati, claudi curati: Ut hac de causa ejus sacrum corpus tota ecclesia veneretur &
adoret de pulvere translatum. Cujus devotioni, imò justæ petitioni S. Ro- 2
mana concurrens ecclesia, quæ omnibus rationabilia postulantibus pium præ-

præbet assensum, ipsum antistitem non jam propter Abbatis devotissimam supplicationem, sed etiam propter Domini Cardinalis Cincij intercessionem canonizari præcepit, ut ejus corpus de sepulcro levatum inter memorias veneretur sanctorum, ipsumque sacrosancta categorizet ecclesia, cujus apud Deum sibi patrocinari non ambigat merita. Idem enim Cardinalis pro quibusdam arduis negotijs delegatus in Daniam, cùm peracto negotio remearet, divertit ad ipsam ecclesiam B. Michaelis. Et cùm ibi à memorato Abbate & fratribus ejusdem loci humanissimè tractaretur, cognovit sæpius ipsorum devotionem de translatione corporis venerandi. Sicque ipsius consilio & auxilio diu exoptatum adepti sunt desiderium. Cùm igitur Cardinalis ipsum Abbatem cum sua ecclesia plurimum apud Dominum Papam commendaret, non solùm de translatione Antistitis, quod voluit, obtinuit, sed etiam quadam prærogativa à Domino Papa honorari meruit. Denique mitram & anulum pontificalem, quo in solennitatibus uteretur, ab eo accepit, & privilegia liberalissima ecclesiæ suæ de omnibus, quæ desideraverat, obtinuit. Taliter honoratus à summo Pontifice, accepta epistola de translatione memorati sancti, post multas itineris difficultates ad sua tandem cum gaudio remeavit. Veniens igitur in præsentiam Domini Bernonis Episcopi & totius capituli, epistolam Domini Papæ in medium produxit. Quæ cùm recitata fuisset, laudabatur ab omnibus, placuit universis non tantùm pro tanti thesauri revelatione, sed & pro viri devotione & pro gloriosissimæ Dei genetricis Mariæ civitatis glorificatione. Coadunata igitur ecclesia, de translatio-
3 ne reliquiarum agitur, & tali negotio dies certa præfigitur. Sed omnium bonorum invidus ne præteriret innocuus ad suæ damnationis cumulum, hoc impedire conatus est negotium. Nam cùm Dominus Episcopus cum senioribus hoc decrevisset, ut mane aperto sepulcro, tumultum populi præveniens, reliquias decenter colligerent, ut processionis tempore sine impedimento procederent, mutato consilio ante auroram cum Abbate & admodum paucis Monachis clàm ad tumbam accessit, memoriam reseravit, ossa virtutis plena in linteo mundo collegit, sicque sub custodia relinquens ad sua recessit.
4 Mane quod factum fuerat, innotuit, unde commoti fratres majoris capituli, dixerunt: Non est nobis pars in reliquijs istis, quæ nocturno tempore ossibus mortuorum corruptæ sunt. Et dixit vir amico suo: Quis me certificabit, ne pro veris reliquijs caput vel scapulas vel tibias alicujus potatoris aut cujuslibet peccatorum accipiam? nihil nobis cum solennitate ista, revertamur ad nostra. Ad Episcopum autem: Quia defuistis, ajunt, nobis in facto isto, & nos deerimus vobis hodie in sancto vestro. Hujusmodi contradictionibus pro-

protelabatur translatio,& populus, qui de longè venerat,gravabatur tædio, ita ut quidam deſperantes diſcederent, alij verò non ſine ſcandalo remanerent. Hæc tamen anticipatio tali,ut reor,ex cauſa extitit. Fuerunt aliquando in eodem monaſterio quidã ſimpliciores fratres,qui virtutes beati Pontificis ſcientes,quas tam in vita quàm poſt mortem patraverat, ipſius memoriam in magna veneratione habebant,indeq; ipſum transferri digniſſimè judicabant,& ejus reliquijs ditari ſuper aurum & topazium ardentiſſimè cupiebant. Unde conſilio habito cùm cuſtodibus eccleſiæ clàm ſepulcrum aperiunt,reliquias auferunt,& eas in ſuis loculis condentes,pſalmodijs, miſſis ſeu alijs oratiunculis venerantur, honorant, adorant. Ubi verò talis veneratio percrebuit,pluribus innotuit, cognita diſplicuit, nec jam devotio ſed graviſſima judicatur præſumtio. Terrentur reliquiarum cultores, & quod factum fuerat,non jam factum,ſed omnino mutatum eſſe volentes,theſaurum,quem abſconditum habuerant,abſconditè&diligentiſſimè repoſuerunt.Hæc ſcientes Monachi cum ſolennitate timuerunt reliquias adire,ideoq; cum ſolo Epiſcopo hæc peregerunt. Ipſum tamen cùm eorum lateret intentio,ſimpliciter quod fecit operatus eſt,ut transferentium vitaretur oppreſſio. Tali machinatione,ut dictum eſt, commentor fraudum translationem ſanctarum reliquiarum penè impedierat,quod ante aliquot dies per energumenum (b) quendã ſe facturum jactaverat.Sed religioſis viris, quorum illic multitudo confluxerat,mediantibus,concordia, mater virtutum,in ſuis obtinuit dominatum,Epiſcopo ſacramentaliter confirmante, non niſi pro quiete eccleſiæ ſe quod factum erat, feciſſe, Monachis quoq; jurantibus non niſi veras reliquias ſe protuliſſe. 6 Prolato igitur theſauro beati corporis,commune fit tripudium,reſonat concentus populorum,certatim dona ferentium,& tanti patroni ſuffragium poſtulantium.Deferuntur Præſulis reliquiæ in ſanctam eccleſiam B. Virginis Mariæ,in qua idem Præſulatus ſui tempore ipſam reginam gloriæ divino jubilo glorificaverat creberrimè.Et quia ipſam,ut decuit,glorificavit,ipſa eum in eccleſia Dei magnificavit. Peractis igitur Dei laudibus, cum gloria caput & brachium dextrum in ſcrinijs ejuſdem eccleſiæ eſt repoſitum,& caput quidem exquiſitiſſimo opere gemmis precioſis & auro fulvo adornatum, corpus verò reliquum ad eccleſiam B. Michaelis Archangeli fuit relatum. Facta autem eſt hæc translatio non ſine virtute ſignorum à Domino Bernone Epiſcopo añoPræſulatus ejus ſeptimo,año(c)verbi incarnati M.C.LXXXIV. Romæ,præſidente Dn.Papa Cœleſtino,Pontificatus ipſius anno quarto, regnante Henrico pio Imperatore, anno regni ejuſdem à morte patris, qui in peregrinatione Hieroſolymitana glorioſè obierat, ſeptimo, imperij verò

quarto, anno quoq; depoſitionis ſancti memorati C. LXXXVIII. Et laudatur & glorificatur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti à populis omnium nationum, qui ita in ſuis ſanctis noſtris in temporibus magnificari voluit. Cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum Amen.

Bernvvardus. a) Bernvvardus, cujus ἀποθέωσις hoc capite narratur, fuit Epiſcopus XIII. Hildesheimenſis, Berno autem, qui ipſum in Divorum numerum retulit, ordine XXV. eſt. Diu cum Willigiſo, Præſule Moguntino, de cœnobij Gandersheimenſis jurisdictione contendit. Vide ſupra *l. I. c. 18. n. 8. Gaſpar. Bruſch. Catal. Epiſcopor. Hildesheim. Bern. à Mallinckrot de Archicancell. l. II. c. 1.*

energum, b) i. e. à dæmone agitatum, qui *ſuprà l. I. c. 55.* arreptitius dicitur. Ad ſepulchrum beatæ Afræ plures energumenos curatos eſſe, narrat *Udalſcalcus de controverſ. inter Hermannum Epiſc. Auguſtanum & Eginonem Abbatem S. Udalrici. c. 10.* Quomodo cum energumenis in eccleſia agendum ſit, ſtatutum eſt in *Concilio Eliberino, can. 29.* in *Carthaginenſi IV. can. 92.* ab *Innocentio I. Epiſtola regulari, can. 6.* in *Concilio Arauſicano, can. 14. 15. 16.* *Canon Apoſtolorum, LXXIX.* ita de illis præcipit: Ἐάν τις δαίμονα ἔχῃ, κληρικὸς μὴ γινέσθω· ἀλλὰ μηδὲ τοῖς πιστοῖς συνευχέσθω. καθαρισθεὶς δὲ προσδεχέσθω, καὶ ἐὰν ᾖ ἄξιος, γινέσθω. *Addatur* de energumenis *Joh. Georg. Dorſch. in Relation. Anonymi, notat. 42. Gisbertus Voetius Diſputat. ſelect. part. I. diſp. 50. & 51.*

anno, c) Latet hîc σφάλμα chronologicum, quod etiam in MSS. irrepſit, cùm annus cIↃCXCIV. ſcribi debuiſſet. Nam Cœleſtino III. Romanæ eccleſiæ præſidente Bernvvardus in ſanctos relatus eſt. Præfuit a. Cœleſtinus à XVIII. Kalend. Maij anni 1191. ad VI. Id. Jan. anni 1198. Berno etiam, qui hanc ἀποθέωσιν Bernvvardi impetravit, ab an. 1190. ad an. 1198. Epiſcopatum rexit. *MS. R.* habet annum 1197. In *MS. L.* margini antiqua manu adſcriptus eſt verus ann. 1194.

CAPUT XXIIII.

1. Berno, Epiſcopus Sucrin. optimè de eccleſia meritus, obit. - 1195.
2. Bernhardus Decanus ſuccedit.
3. Henricus L. Brunſuici moritur, Idib. Aug. - - - - - 1195.

1 HOc dierum circulo mortuus eſt Dn. Berno, Suerinenſis Epiſcopus, primus ejuſdem tituli antiſtes. Qui enim nunc eſt Suerinenſis, olim tempore Othonum dicebatur Magnopolitanus. Unde eadem ſedes propter timorem Slavorum translata eſt: à quibus idem antiſtes ſæpius contumeliatus. Qui à Duce Henrico Epiſcopus eis præfectus, primus noſtris in temporibus doctor illis

illis catholicus extitit, alapas, colaphos ab eis pertulit, ita ut frequenti ludibrio habitus ad sacrificia dæmonum arctaretur. Ille tamen per Christum confortatus, culturas dæmonum eliminavit, lucos succidit, & pro Genedracto Godehardum Episcopum venerari constituit, ideoq; bono fine cursum certaminis terminasse fidelibus placuit. Post cujus discessum Dn. Bernhardus, ejusdem ecclesiæ Decanus, pontificali honore sublimatus est. Circa (a) ipsos dies mortuus est famosus ille Dux Henricus in Brunschwig, & cum Salomone de universo labore suo nihil consecutus est, quo laboravit sub sole, nisi memorabilem satis sepulturam, unà cum conjuge sua Mechthilde in ecclesia B. Blasij, Episcopi & martyris. Unus enim, ut idem Salomon testatur, interitus est omnium, & idem occasus sapientis & stulti, & moritur doctus similiter ut indoctus. In omnibus autem & super omnia benedictus Deus excelsus, quia ante solem permanet nomen ejus.

Princeps laudande, jam lætus ad æthe fracande,
Cultor pacis eras, nunc divitias tibi veras
Reddat rex regum, qui solus regnat in ævum.
Enituit latè virtus tua cum pietate,
Nobilitas morum cum flore decoris eorum.
Ad cultum Christi tu Slavos perdomuisti,
Qui per Doctores, Sathanæ sprevere furores,
Adq; Dei cultum satagunt attollere vultum.
Structor multarum sic crederis ecclesiarum.
Non est gens, qua te non miretur, bona de te
Dum recolit ritè. Te nouerat ultima Thyle.
Quæ sua donavit, te Græcia magnificavit,
Jerusalem tota tua conspiciens pia vota,
Te colit econtra cum rege suo Patriarcha.
Non aberat tristis livor virtutibus istis:
Sed pro pressuris seclis potiere futuris.
Conjuge conjuncta maneat merces tibi multa,
Quæ Christo gratum pia depromsit famulatum.
Excelsi donis durat benedictio prolis,
Et nutu Christi regnant modò quos genuisti. (b)

Circa. a) Henricus Leo idibus Augusti anno 1195. Brunsvvigi è vita migravit, Ottone, qui postea imperavit, Henrico, Comite Palatino, & VVilhelmo Duce Brunsvicensi, relictis. Nam filius, quem ex priore conjuge ob propinquitatem repudia-

repudiata, susceperat, incuriâ nutricis de mensa cadens cervices fregerat. Prodigia, quæ mortem ejus antecessere, ut inundatio Ocræ & Visurgis, & turrium sumgi templi conflagratio, enarrantur à *Georg. Fabric. de Elect. Sax. in Henr. Leone.* Sepultus ibidem est in æde Blasiana, cum Mathilde Anglica, *Krantz. Wand. l. VI. c. 36. Sax. l. VII. c. 8.*

genuisti, b) Epitaphio huic ista subjungit *Herm. Kornerus:* Reliquit hæredes Henricum, Ottonem & Wilhelmum. His quidem filijs suis Henricus Leo taliter divisit hæreditatem. Nam Henrico seniori dedit Brunsvvic cum attinentijs suis. Wilhelmo verò contulit Luneburg & Louenburg, cum pertinentijs eorum, Sed Ottoni dedit Haldesleve cum suis attinentijs. Wilhelmus postea genuit Ottonem, primum Ducem de Brunsuic. Ante illius enim tempora nec Brunsuic nec Luneburg Ducem proprium habuerat, sed ambo erant sub Ducatu Saxoniæ. Otto verò, frater Wilhelmi supra dicti, postea factus est Imperator. Henricus autem primogenitus Leonis prædicti obtinuit Brunsuic & Stadium; quam urbem postea idem Henricus dedit cum tota Comitia Ecclesiæ Bremensi. Dedit etiam Ecclesiæ Magdeburgensi Somerschenburg & Auverde. Circa finem verò vitæ suæ hic Henricus Ottoni, filio fratris sui Wilhelmi resignavit Luneburg. Hactenus *Kornerus, ad ann. 1197.*

ARNOLDI, ABBATIS LUBECENSIS,

CHRONIC. SLAVORUM LIBER V.

CAPUT I.

1. *Auctor dolet, terram sanctam tot expeditionibus nondum recuperatam esse.*
2. *Imperator à Pontifice ad iter sacrū animatur. - - - - 1195.*
3. *Conrado Cancellario mandat, ut necessaria ad illud præparet.*
4. *Multi Principes, Episcopi, & alij, signum sanctæ crucis suscipiunt.*
5. *Ex una Lubeca quadringenti signati.*
6. *Imperatoris iter motibus Italicis præpeditur.*

1 IN omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Siquidem propter peccata nostra, quæ cotidie accrescunt super nos, nondum venit tempus miserendi. Nam Sion captivata, & adhuc à gentibus est conculcata. Sed tu exurgens Domine, misereberis Sion, & utinam co-

ram te veniat tempus miserendi ejus. Præsumendum est tamen de tua misericordia, pijssime pater, quòd citò veniat tempus miserendi. Quanti enim filij tui, Domine, in peregrinatione priori pro Sion redimenda devoti fuerunt, quanti reges, principes, gloriosiq; & sublimes sua seq; dedentes exilium & mortem propter te sustinuerunt? & licet non omnes pari devotione perseveraverunt, invenisti tamen de tuis, quos elegeras, holocausta gratuita. Quid de ordine gloriosorum Pontificum dixerim? qui omni devotione in hac peregrinatione desudaverunt, & multis exemplum facti tam prædicatione quàm operatione eos animaverunt. Sacerdotes quoq; suis ministerijs & exhortationibus salutares offerentes hostias cum numerositate Canonicorum populum Dei plurimum roboraverunt. Placeat tibi, Christe, devotio sponsæ tuæ, sanctæ videlicet ecclesiæ, placeant tui fideles, in quibus etsi minus perfecta sunt opera, invenisti tamen fidem in Israel. Nos autem alium Dominum non habemus præter te, Domine, in quem speramus: quia etsi justè ad tempus irasceris, propter temetipsum tamen propicius eris, nec in ira tua misericordias tuas continebis. Nunc ergo quiq; terrigenæ & filij hominum, similiter in unum dives & pauper, placate Dominum, sumite armaturam Dei, signum videlicet victoriosissimæ crucis, ad expugnandos ipsius hostes tam visibiles quàm invisibiles. Audite psalmographum exhortantem hodie: Si vocem Domini audiveritis, nolite obdurare corda vestra. Hanc vocem(a), ut 2
speramus, audivit pius Imperator Henricus. Qui licet publicè cruce signatus non fuerit, per viscera misericordiæ spiritualiter tamen fuisse signatum non ambigimus. Nam sicut pater ejus priorem, ita ipse secundam devotus ordinavit peregrinationem. Qui apud Argentinam in curiali colloquio acceptis epistolis Dn. Papæ Cœlestini à venerabili Cardinale Gregorio, omni devotione se huic peregrinationi obsecuturum affirmavit. Ordinavit etiam 3
legatos honoratos in Apuliam ad Dominum Conradum Cancellarium, qui tunc ibi erat, negotijs imperialibus detentus, mandans omni studio impensas præparari peregrinationi, quæ sequenti anno futura erat, in auro, frumento, vino & navibus plurimis. Cujus zelo plurimi accensi tam magnates quàm 4
militares, signum Dominicæ passionis in remissionem peccatorum suorum tunc temporis susceperunt, Henricus (b) videlicet Palatinus de Rheno, & Otho Marchio de Brandeburg, qui tamen ipsam peregrinationem non peregit, sed per Dn. Papam dispensatione eam dimisit, Henricus, Dux Brabantiæ, Hermannus, Landgrafius de Turingia, Walraven, Comes de Limburg, Adolfus(c) Comes de Schawenburg, Dux de Osterreich, Hartuicus quoq; Archiepisc. Bremensis & Rhudolfus Verdensis & alij quamplures. Multi etiam

iam acceptis litteris exhortatorijs Dn. Papæ à Cardinale memorato, in civitates & parochias plurimas eas detulerunt. Quibus perspectis, nonnulli cœlitus inflammati pro defensione terræ sanctæ triumphale signum Dominicæ
5 passionis & ipsi susceperunt. Inter quos in civitate Lubeca de valentioribus circa quadringentos viros signati sunt. Fervente itaque zelo Christianæ devotionis, omnes in unum, dives & pauper, ad peregrinationem futuræ æstatis
6 se præparabant. Ipse quoque Imperator in propria persona eandem peregrinationem ordinaturus in Apuliam properavit, tanto devotior, quanto adventantibus peregrinis esset paratior. Sed perplexitate testiculorum Leviathane hoc impedire conante, intolerabilis guerra ibidem exorta est. Nam uxore Imperatoris ab ipso diffidente, grandis conspiratio à primoribus terræ, à consanguineis etiam ipsius Imperatricis, contra eum exorta est. Quam ex ordine prosequi non possumus: quia ad alia tendimus, id historiographis censentes relinquendum.

Hanc vocem, a) Imperator anno 1195. circa d. festum Andreæ apud VVormatiam celebratis Comitijs omnes ad subveniendum terræ sanctæ excitavit, & ipse crucis charactere insignitus est. *Albert. Stadens. Guilielm. Neubrig.* Eodem anno Gregorius Cardinalis à Cœlestino in Germaniam ad Imperatorem pro suppetijs Orienti ferendis missus, *Baronius n. XXI.* Eodem item anno Cœlestinus Anglicanos Episcopos ad iter sacrum exhortatus est literis, quas recitat *Matthæus Paris h. anno.*

Henricus. b) à *Kornero* his adduntur: Henricus Palatinus de Rheno, Otto Marchio de Brandenburg. Ducem Austriæ autem VVilhelmum appellat.

Adolphus. c) Fuit hæc altera Adolphi III. in Palæstinam sacra profectio. A prima enim, cum Tyrum usq; processisset, ad recuperandas terras suas revocatus est. *supra l. IV. c. 7. n. 1.* Ad iterata hac peregrinatione Hierosolymitanus dictus, Tunc & Eques auratus ibidem à primoribus Ecclesiasticis creatus, eorundem hortatu avita insignia aliqua accessione auxit, & urticæ folio (de quo *supra ad l. I. c. 36.* egimus) tres clavos adjecit, quos in passione Christi adhibitos pia credidit antiquitas, & galeæ coronam è spinis contextam imposuit. *Cypræus libro. I. capite. 28.* An tamen tribus, an verò quatuor clavis manus & pedes Servatoris transfixi sint, & olim, & nostro seculo disputatum est. Tres fuisse pleriq; veterum statuerunt. Tres numerat etiam *B. Anselmus de Passione Domini p. m. 202.* Quatuor adhibitos esse asserit *Gregorius Turonensis de gloria Martyrum l. I. c. 6.* Postquam enim narrasset, clavos Dominicæ crucis ab Helena repertos esse, subjicit: Clavorum ergo Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis. Quatuor etiam exprimit *S. Brigitta Revelat. l. IV. c. 70.* his verbis: Pervento igitur ad locum crucifixionis, & ecce malleus & quatuor clavi acuti in promtu fuere. *Et post pauca:* En manum postulatus primo dexteram extendit Et inde alia manus, ad reliquum

cornu

cornu non attingens distenditur. Et pedes similiter ad foramina sua distenduntur, cancellatiq; & quasi infra à tibijs distincti, duobus clavis ad crucis stipitem per solidum os, sicut & manus erant, configuntur. Ex recentioribus idem sentiunt *Joseph. Scaliger Animadverſ. in Chronolog. Euſeb.* scribens: In crucis arrectario fuit suppedaneum πῆγμα, in quo pedes binis clavis affigebantur. Item: Ita funibus constricti ad stipitem binis clavis, pedes in suppedaneo, totidem ambæ manus in transversario ligno transfigebantur. *I. Lipſius de Cruce l. II. c. 9.* & *Notis in illud Caput.* Idem *Elect. l. I. c. 18.* *Antonius Gallonius de Martyrum cruciatibus c. I. Cornelius Curtius libro de clavis Dominicis, Joh. Mich. Dilher. d. Crucifixione I. C.* Pro utroq; numero rationes & conjecturas colligunt *Alphonſus Paleotus de Chriſti Stigmatibus c. XIX.* & *Daniel Mallonius in illud caput.* Conjecturas *Mallonij* pro ternario numero refutat *Curtius c. III.* Contrà *Franciſcus Collius l. III. de ſanguine Chriſti c. 3.* probabiliorem illorum opinionem judicat, qui tribus, quàm qui quatuor clavis Christum cruci affixum volunt. Addatur *Georg Caſſander Epiſt. XX.* & *Georg. Calixtus Append. ad Lipſium.*

CAPUT II.

1. *Religioſi crucigeri in Italiam progreſſi ſubſannantur.* - - 1196.
2. *Imperator in Apulia novi Regis Iordani Siculi capiti coronam ferream clavis affigit.* - - - 1197.
3. *In conventu Panormitano reliquæ multitudini ignoſcit.*
4. *Terreſtres & navales copiæ in Italia & Sicilia conveniunt.*
5. *Exercitus Cæſarianus ad LX. mill. militum excurrit.*
6. *Conradi Cancellarij apparatus.*
7. *Progreſſi Acconem veniunt, 22. d. Sept.* - - - - - - 1197.
8. *Conradus Regem Cypri nomine Imperatoris Romani coronat.*
9. *Henricus, Rex Hieroſolymitanus, ex caſu perit.*

IGitur (a) adveniente tempore, quo solent reges ad bella procedere, gens sancta, videlicet Christianorum, genus regium, regale sacerdotium contra legionem Sathanæ expeditionem seu peregrinationem devotè suscepit, alij quidem navali alij terrestri pergentes itinere. Navales quidem divina favente clementia secundo vento fruebantur: terrestes autem regia via prosperè ferebantur. Venientes igitur in Italiam & ad regionem Beneventanam, nonnullam gratiam apud habitatores illius regionis invenerunt: quia forum venalium & cætera commoda largè quidem eis præstabant, clanculo eis tamen derogare non cessabant. Quidam etiam eis in faciem exprobrabant, dicentes: Superstitiosa & Deo odibilis est via, quam pergitis, qui facie quidem pere-

regrinos & religionis cultores vos ostenditis, re autem vera intus lupi rapaces estis. Non enim pro Imperatore cœlesti sed terreno militatis, & unà cum ipso omnem Apuliam(b) & Siciliam spoliare venitis. Quid facerent Christi milites, an recederent seu redirent, dubitabant. Talibus enim verbis dissolvebatur cor multorum, ut cera, quæ fluit à facie ignis. Timebant sanè traditiones, ne si procederent, vita simul & rebus spoliarentur. Ars tentatoris minime tamen absuit illis. Nam pius Dominus suis non defuit, sed in suo
2 proposito constantiam ipsorum roboravit. Eodem, ut dictum est, tempore in Apulia erat Imperator, varijs adversitatibus & prælijs detentus. Nam de traditione Imperatricis & aliorum nobilium illius terræ ei constabat. Quapropter infinitum in stipem militiæ erogans aurum, omnem virum fortem & validum sibi sociavit. Contigit tamen ut ipsos adversarios suos comprehenderet, & dignam de eis ultionem caperet. Et illi quidem, quem contra se regem(c) creaverant, diademate imposito clavis acutissimis cum ipso diademate caput transfixit, alios(d) autem aut suspendio aut incendio aut alijs damnavit supplicijs. Post hæc generalem curiam in Palerma civitate regia
3 edixit, & procedens in concionem omnibus locutus est: Scimus quidem omnibus vobis constare de nostra impia traditione; sed quia annuente Deo ipsos erroris capitaneos, qui nostram circumvenerant clementiam, comprehendimus, convicimus, convictos ut majestatis reos damnavimus, suggerit animo imperialis serenitas hoc nobis sufficere, nec ullam ulterius ultionem super hoc capere. Remittimus ergo ex animo in commune toti regno consensum pravæ conspirationis, quam in nos feceratis, regem contra nos suscitando & animæ nostræ insidiando. Tantùm de cætero filij pacis sitis, & vobiscum sit Deus pacis. Talibus alloquijs multam gratiam illius regni invenit, & de cætero terra quievit. Infirmitatem tamen nimis gravem tolerabat,
4 quæ eum usque ad mortem vexabat. Inter hæc exercitus Christianorum appropiabat, & Comes Adolfus cum melioribus eum salutare veniebat. De quorum adventu nimis lætatus, iucundissimè eos suscepit, & humanissimè tractavit. In ipso temporis articulo classis peregrinorum, quam Dominus per tædiosissimam viam, & longissimos tractus maris, illæsam conservaverat, prosperis ventis & velis plenis cum quadraginta quatuor navibus ad Messanam civitatem Siciliæ cum gaudio applicuit. Quorum adventus tam Imperatori quàm omnibus Teutonicis, qui illic pro instanti guerra confluxe-
5 rant, abundantiorem fecit lætitiam. Imperator sanè ad ultionem inimicorum suorum infinitum contraxerat exercitum de Suevia, Bavaria, Franconia
6 & alijs nationibus usque ad sexaginta millia. E quibus omnes meliores, & ipsa Im-

Imperatoris familia tota cum Dn. Cancellario Conrado(e)devotissimum illud peregrinationis iter unanimes susceperunt. Qui quoniam in Apulia diutius erat,ad ipsum iter summo apparatu se præparaverat. Nam præter aliam suam supellectilem & thesauros amplissimos, quos largè postea erogavit, in mensa cotidiana vasa aurea & argentea, quibus cibi & pocula inferebantur, ad mille marcas sunt appreciata. Ipse verò Cancellarius in eadem profectione ordinatus sacerdos & Episcopus, alacri animo profectus est, multas gazas portans secum tironibus ab Imperatore deputatas, qui prælia Domini viriliter exercerent. Circa festum igitur B. Ægidij de Messana civita- 7
te profecti,ad portam Accon in festo B. Mauricij cum summa tranquillitate & salute, integroq; navium numero, applicuerunt. Cancellarius tamen cum 8
Comite Adolfo,alijsq; amicis apud Cyprum adlittavit, regem (f) ejusdem insulæ coronaturus diademate,à Dn. Imperatore transmisso. Sanè idem Rex sub ditione Constantinopolitani Imperatoris prius subsistens, ad majorem gloriæ suæ dignitatem à gloriosissimo Romanorum Augusto coronari desiderantissimè expetijt. Illuc itaq; gloriosè veniens,gloriosius suscipitur,lautissimè detinetur, expletisq; instantis negotij rebus, exquisitissimis ditatus muneribus, omnibusq; suis, pro ut cujusq; exigebat magnificentia, repedatis navibus, Accon prosperè velificabat. Ibi tamen adhuc consistens, tristi 9
perculsus est nuncio de morte Henrici,Comitis Campaniæ,regis(g) verò Hierosolymæ, qui paucis antè diebus subita & inopinata morte excessit. Siquidem Sarraceni eruptione facta civitatem Ioppen vallaverant. Quo audito prædictus Rex subitò arma corripuit, ut præsidio fieret civitati. Christiani autem qui intus erant, plus in sua animositate quàm in Domino confidentes, apertis portis hostes cædere cœperunt. Quibus illi acrius insistentes,ad fugam eos compulerunt. Cumq; in civitatem se recipere voluissent, qui intus erant hostium timentes impetum, valvas concluserunt, & innumeram fratrum suorum jacturam pertulerunt. Illis cadentibus,Sarraceni civitati insistentes ipsam cœperunt, & omnes qui intus erant Teutonicos tantùm trucidaverunt.Sicq; factum est,ut & intus & foris Teutonici tantùm caderent. Quod traditione, ut ajunt, factum illorum qui ibi erant de Italia vel Anglia, Deo dignam eis ultionem reddente: quia etsi peccatores ad vitam servati sunt,possessionibus tamen & rebus sunt privati,illi autem in sua morte victores sunt reputati. Videns autem Rex tantorum neglectam salutem, Accon revertitur, domum propriam ingreditur, & dum solus cum solo super exedras(h), pro captando aere staret,subitò cecidit, & fracta cervice expiravit. Dicunt tamen quidam,eum à Deo plagatum, eo quòd de adventu Teutoni-

corum doluerit,& eis liberationem terræ ſanctæ, ſi ſic Domino complacuiſſet, inviderit. Sub eodem igitur tempore peregrini applicantes Accon, audita perditione fratrum, arma corripiunt, ſi fortè Chriſto mediante hoſtes ſundere vel prædam excutere poſſent. Illi autem deſtructa civitate cum captivis & præda multa ad ſua repedarunt, nec minus iſti Accon ſunt reverſi.

Igitur. a) Quinta hæc eſt Occidentalium Chriſtianorum ad recuperandam terram ſanctam inſtituta expeditio.

Apuliam c) Credebant enim, Imperatorem ſub ſpecie ſacræ expeditionis venire, ut Apuliam & Siciliam ſibi ſubigat, & vindictam in illos exerceat, qui alium regem creaverant. In quo ipſos non prorſus falſos fuiſſe, non diffitetur ipſe Auctor *hoc capite, n. 5.* Duæ enim plerumq; cauſſæ bellorum ſunt, vel etiam plures, quarum quæ favorabiliores, divulgantur, ſecretioribus, quæ plerumq; ſolæ cauſſarum nomen merentur, ſuppreſſis. Prolixè ea de re diſputat prudentiſſimus *Polybius*, cùm in veras cauſſas belli Punici II. inquirit, docens multum interreſſe diſcriminis inter ἀρχὴν, αἰτίαν καὶ πρόφασιν, principium, cauſſam & prætextum belli. Ita prætextus belli Punici erat prior quidem, quòd Saguntum Carthaginenſes obſediſſent, alter autem, quòd contra leges amnem Iberum ijdem tranſiiſſent; Cauſſæ erant prima indignatio Carthaginenſium, ob pactiones, quas Romani iniquis temporibus, potiſſimùm in mercenariorum diſſenſione, ipſis expreſſerant, altera aucti Carthaginenſium animi ex felici rerum in Hiſpania ſucceſſu, *Polyb. lib. III.* Regi Philippo in bello adverſus Perſas parando, ejusq; filio in illo gerendo veræ cauſſæ fuerunt ignavia & ſocordia Perſarum, quando nec Xenophonti nec Ageſilao quisquam illorum ſe opponere auſus eſſet: item cupido gloriæ, imperij & divitiarum. Prætextu verò hoc uſi ſunt, quaſi Græcorum injurias à Perſis acceptas ultum venirent. *Polyb. ibid.* Belli Syriaci contra Antiochum cauſſa erat Ætolorum indignatio, inhonoratam apud Romanos querentium adverſus Macedones militiæ ſuæ ſocietatem: prætextus erat, liberatio Græcorum. *Polybius ibidem. Flor. lib. II. cap. 8.* Eidem *Polybio* in bello contra Dalmatas geſto aliud eſt ἡ ἀληθὴς αἰτία, aliud ἡ πρὸς τοὺς ἐκτὸς πρόφασις, *Excerpt. Legat. CXXV.* Etiam *Thucydides*, cum belli Peloponneſiaci cauſſas & initium explicat, ita diſtinguit, ſed αἰτίας & προφάσεως vocabula commutat, cùm ſcribit: Veriſſimam cauſſam, (ἀληθεστάτην πρόφασιν) ſed ſermone minimè celebratam fuiſſe puto Athenienſes, qui quòd in dies creſcerent, & terrorem Lacedæmonijs incuterent, belli movendi neceſſitatem ipſis impoſuerint. Sed cauſſæ, quæ palàm utrinq; ferebantur, (αἱ εἰς τὸ φανερὸν λεγόμεναι αἰτίαι) propter quas ruptis fœderibus bellum ſusceperunt, iſtæ fuerunt, &c. *Thucyd. l. I.* Ita permiſcet has voces deſcripturus bellum Argivorum contra Epidaurios. Quam

enim

enim prius appellaverat *πρόφασιν*, videlicet, quòd Epidaurij victimam non misissent, eam statim etiam *αἰτίαν* vocat, *lib. V.* Anno quinto belli Peloponnesiaci Corcyræi seditiosi eos interficiunt, quos inimicos esse ducebant, *τὴν μὲν αἰτίαν ἐπιφέροντες τοῖς τὸν δῆμον καταλύουσιν· ἀπέθανον δέ τινες καὶ ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα, καὶ ἄλλοι χρημάτων σφίσιν ὀφειλομένων, ὑπὸ τῶν λαβόντων, Idem lib. III.* Eodem anno, ubiq; factionibus exortis, populus in civitatibus Athenienses: Optimates Lacedæmonios accersebant, sociorum auxilijs indigere se simulantes, cùm tamen hoc agerent, ut simul & adversam factionem opprimerent, & potentiam sini ipsis adjungerent, *Ibidem.* Eodem tempore singularum civitatum principes honesta utriq; nominis præscriptione, alteri civilem juris æquabilitatem, vel statum popularem: alteri moderatam optimatum dominationem anteponentes, Rempublicam verbo (*λόγῳ*) quidem curabant, sed reipsa (*παντὶ τῷ τρόπῳ*) tanquam suorum certaminum præmium eam sibi proponebant, seu quæstui habebant, *Idem ibid.* Ita Athenienses naves Leontinis contra Syracusanos mittunt, per speciem quidem necessitudinis, sed reipsa, ut neq; frumentum illinc in Peloponnesum exportaretur, utq; tentarent, an res Siculas in suam potestatem redigere possent, *Ibid.* Iidem Siciliam invadendam putaverunt, *ἐφιέμενοι μὲν τῇ ἀληθεστάτῃ προφάσει τῆς πάσης ἄρξειν*, cupiditate totius insulæ potiundæ, sed voluntate quoq; honestè ferendi auxilij Chalcidensibus suis cognatis ac pristinis socijs, præcipueq; Egestanis, quorum legati aderant, *Idem lib. VI.* Apud eundem Hermocrates in Oratione ad Syracusios distinguit inter *πρόφασιν* & *τὸ ἀληθὲς*, cum inquit: Athenienses in nos ingenti cum exercitu veniunt *πρόφασιν μὲν ἐγεσταίων ξυμμαχίᾳ, καὶ λεοντίνων κατοικίσει, τὸ δὲ ἀληθὲς σικελίας ἐπιθυμίᾳ, μάλιστα δὲ τῆς ἡμετέρας πόλεως, Idem lib. VI.* Iisdem vocabulis & Dion de Julij Cæsaris in Italiam itinere distinguit, cùm scribit *libro XL.* *αὐτός τε ἐς τὴν Ἰταλίαν, πρόφασιν μὲν, τῆς ἐκ γαλατίας ἕνεκα, τὸ δὲ ἀληθές, ὅπως ἔγγυθεν τοῖς ἐν τῇ πόλει δρωμένοις ἐφεδρεύῃ, ἀπῆλθεν.* Πρόφασιν *Suetonius* Latinè *prætextum* vocat, ita scribens: Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit: caussas autem alias fuisse opinantur, *in Julio Cæsare cap. XXX.* Campanorum ad Romanos legati dicunt: Pugnavimus *verbo* pro Sidicinis, *re* pro nobis, cùm videremus finitimum populum nefario latrocinio Sammitium peti: &, ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium esse, *Livius Dec. I. lib. 7.* Bœotia se Antiocho contra Romanos jungebat, caussas in speciem iræ adversus Romanos habens Barcillæ necem & bellum à Quintio Coroneæ illatum: re vera per multa jam secula publicè privatimq; labente egregia quondam disciplina gentis, & multorum eo statu, qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset, *Liv. Dec. VI. lib. 6.*

Nonnunquam eodem αἰτίας nomine appellantur caussæ, quæ celantur, & quæ proferuntur. Ita *Appianus* de Octavij Cæsaris & S. Pompeij turbatis fœderibus: Καίσαρι δὲ καὶ Πομπηίῳ διελύθησαν αἱ γενόμεναι σπονδαὶ, κατὰ μὲν αἰτίας ὡς ὑπενοεῖτο ἑτέρας, ὡς δὲ ἐς τὸ φανερὸν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐκφερόμεναι, αἵδε ἦσαν, *l. V. bell. Civil.* Apud eundem Lucius, Antonij frater, cùm in Cæsaris potestatem venisset, veras caussas belli, inter ipsos orti, commemorat, alias autem Cæsarem commentum esse, illisq; veteranorum animos sibi conciliasse, ipsi objicit, *l. V. bell. Civ.* Scripserat *Cicero Philippica II. §. 55.* Ut Helena Trojanis, sic Antonium belli civilis caussam esse. Huic respondet *Plutarchus in Antonio*, Cæsarem jam pridem secum deliberatum habuisse hoc bellum suscipere. Verùm hæc jam dudum occasionem quærenti, colorem & prætextum præbuisse bellum faciendi speciosum. Verba illius sunt: Ταῦτα πάλαι δεομένῳ προφάσεως, σχῆμα καὶ λόγον εὐπρεπῆ τοῦ πολέμου παρέχεν. Apud Dionem πρόφασις, ἔργον, & σκῆψις opponuntur. Cæsar altera vice in Britanniam movet, πρόφασιν μὲν, ὅτι μὴ πάντας τοὺς ὁμήρους, οὓς ὑπέσχοντο, ἐπεπόμφεισαν ποιησάμενος· ἔργῳ δὲ δεινῶς τῆς νήσου ἐφιέμενος. ὥστε εἰ μὴ καὶ τοῦτο ἦν, πάντως καὶ ἄλλην τινὰ σκῆψιν εὑρεῖν, *Dion l. XL.* Προφάσεων vocem etiam *Plutarchus in Galba* usurpat, cum inquit: Galbam Imperatorem omnes in universum milites oderant, quòd non repræsentasset ipsis donativum. (Atque hæc ipsi est αἰτία) Peculiares verò milites Germanici colores sumebant, ἰδίας δὲ ἐκεῖνοι προφάσεις ἐποιοῦντο. Sic *Agathias l. V.* in historia Zamergani, Hunnorum Ducis, obtentum σκῆψιν & προκάλυμμα vocat, cui αἰτίαν opponit, his verbis: Αἰτία δὲ ἦν τῆς ἐφόδου τῷ μὲν ἀληθεστάτῳ λόγῳ ἀδικία βαρβαρικὴ καὶ πλεονεξίας ἐπιθυμία· σκῆψιν δὲ ὅμως τινὰ καὶ προκάλυμμα ἐποιεῖτο τὴν πρὸς τοὺς Οὐτιγούρους δυσμένειαν. *Bonavent. Vulcanius* ita reddidit: Caussa hujus expeditionis atq; insultus potissima verissimaq; erat barbarica violentia & plus habendi cupiditas, cui tamen prætextum hostilitatis adversus Utiguros obtendebat. Eburones seditionem excitantes, caussam motus prætendunt eam, quòd se præsentia Romanorum gravatos dicerent: re vera autem contemtui eos habebant, *Dion. l. XL.* Nec *Florus* hujusmodi exempli tacuit, Ideo *lib. I. cap. 11. de bello Latino* scribit; Latini quoq; Tarquinios asserebant, æmulatione & invidia. Igitur omne Latium, quasi in Regis ultionem, tollit animos. Cùm autem agit *de bello Punico I.* inquit: Igitur specie quidem socios juvandi, re autem solicitante præda &c. *lib. II. c. 2.* In multis bellis movendis aliud simulatum, aliud re vera spectatum fuisse, etiam *Justinus* varijs exemplis confirmat. Athenienses Lamponium Ducem cum classe in Siciliam misere, ut sub specie ferendi Catiniensibus auxilii, tentarent Siciliæ imperium, *Justin. l. IV. c. 3.* Ptolemæus, Ægypti Rex, sub specie soro-

riæ ultionis, Asiæ inhiabat, *Idē l. XXVII. c. 3.* Romani titulo ferendi socijs auxilij, bellum adversus Philippum decernunt, *Idem l. XXX. c. 3.* Mithridates per simulationem pietatis auxilia sorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit, *Idem l. XXXIIX. c. 1.* Rectè huc referas illud Pontij, Romanis, bellum contra Samnites, non habita ratione factæ pacis, instaurantibus, dicentis: Semper aliquam fraudi speciem juris imponitis, *Liv. Dec. I. l. 8.* Si de illis sermo sit, qui sub specioso prætextu impia bella moliuntur, convenit illud Philosophi: προφάσεως δέεται μόνον ἡ πονηρία, *Aristo. Rhet. l. I. c. 12.* Differit de eodem argumento *Famianus Strada de bell. Belg. Dec. I. l. 2.*

regem. c) Quis ille fuerit, dubitat *Baronius ad ann. 1197. n. 1.* cùm Tancredus Rex jam antè vita excesserit. Verùm *Albert. Stadens.* ita de illo, anno 1196. Dictum est Imperatori, quòd Imperatrix misisset clenodia cuidam Jordano de Sicilia, & receperit clariora. Hic gloriabatur, se futurum Regem, & ducturum Constantiam. Quem Imperator captum in sedem ferream candentem posuit, & coronam ignitam clavis ferreis capiti ejus incussit.

alios. d) Inter hos conspirationis auctores fuit & Richardus quidam, quem per plateas summa cum ignominia tractum tandem suspendendum curavit, quòd is consilio Constantiæ Imperatricis ipsum Imperatorem potione venenata tollere statuisset. *Albert. ibid.* Sunt autem hæc gesta in Sicilia anno 1197. Isto enim anno ad XVII. Kal. Februarias Imperator ex Campania in Siciliam appulit.

Conrado. e) De Conrado Cancellario diximus *suprà ad l. III. c. 6.* Hic saltem ex *Ottonis de S. Blasio Appendice c. 42.* ubi de hac ipsa expeditione agit, hæc addimus: Sed statim eodem Cunrado cancellario repatriante, emenso mari ad Wirciburc sedem suam redijt; ibiq; postmodum contra regnum conspirans, & montem sanctæ Mariæ in ipsa urbe pro castello muniens, publicè rebellavit, rebus ecclesiæ multifariè dilapidatis, à quibusdam ipsius ecclesiæ ministerialibus, quos in guerra cum ipsis habita admodum injuriaverat, in ipsa civitate occiditur. Dicitur tamen de eo, quòd in corpore ipsius quædam castigationis indicia inventa sint, quibus districtæ conversationis ipsi pœnitentia sit ostensa. Ex qua *Ottonis* narratione apparet, Cunradum etiam ante iter sacrum ad Episcopatum Würtzburgensem electum fuisse. Vide de eodem Conrado *Bernhardum à Mallinckrot de Cancellar. in Henrico VI.*

regem. f) Is fuit Almaricus, Guidonis frater, cui is successerat, *Marin. Sanut. l. III. part. 10. c. 8.*

regis. g) Henricus Comes contracto cum Isabella matrimonio Ptolemaidis & Tyri dominium assecutus fuerat, coronari tamen & Rex ungi nunquam voluit, quod in patriam olim redire desideraret. *Sanut. ibid.*

exedr. h) Exedræ in ædificijs sunt ædiculæ porticibus additæ. ἐξέδρα, ἵνα συγκάθηνται, *Jul. Pollux l. I. c. 8. Idem* ait, quæ Xenophonti dictæ sint παςάδες, porticus, sua ætate vocari ἐξέδρας, *l. VII. c. 27. Glossar. Græcolat.* ἐξέδρα, triclinus.

CAPUT III.

1. *Christiani in Oriente adventu sacrorum militum lætantur.* - 1197
2. *Urbes ab hostibus relictas Christiani occupant.*
3. *Ad Berytum ambiguo primum Marte cum hostibus confligunt.*
4. *Adolphus Comes Præfectum castelli occidit.*
5. *Hinc victoria.*
6. *Unq de captis Christianis advenienti classi dat signum invadendi castellū.*
7. *Navales copiæ Berytum occupant.* - - - - - - 1197.
8. *Berytus habet portum commodissimum.*
9. *Nuncius de morte Imperatoris vehementer turbat exercitum sacrum.* - - - - - - 1197
10. *Principes jurant in verba Friderici, filij Imperatoris.*
11. *Rex novus Hierosolymitanus designatur.*
12. *Princeps Antiochiæ columbâ nunciа res Sidone & Beryti gestas suis significat.*
13. *Antiocheni Lystra & Gebalem urbes occupant.*

1 CОngregatis itaque navibus, & convenientibus Dei filijs in unum, factum est gaudium non modicum de coadunatione & devotione tantæ ecclesiæ ibidem in Christo congregatæ. Audivit enim Sion & læta est, & exultaverunt filiæ Iudæ. Non tamen Sion terrena, quam adhuc captivabat misera Babylonis filia, sed Acconitæ & Tyrij, non quondam Dei populus, nunc autem Christi cohæredes, & Dei filij. In hymnis & confessionibus benedicebant, Dominum orantes & deprecantes, ut accepta ipsorum devotio, & de inimi-
2 cis crucis digna fieret ultio. Econtra hostes turbabantur, timore non modico timentes, ne ipsorum dejectio & terræ sanctæ fieret liberatio. Unde etiam multa loca munita, quę fiducialiter inhabitabant, audito ipsorum introitu, deserta relinquentes ad tutiora commigrabant. Coadunato igitur exercitu, ut dictum est, omnes pariter adierunt Tyrum. Ibi contemplatis viribus suis & armis, ordinaverunt acies adversus Sidonem. Equestres quidem terrestri via usi sunt, cæteri verò navali itinere perrexerunt. Venientes itaque ad Sidonem, sine habitatore & rebus eam invenerunt. Videres illic domos lapideas & cedrinas, diversis ornatibus cultas, quas inhabitare gloria, destruere verò erat miseria. Quanti illic erant, qui de lignis cedrinis aut equos stabulabant, aut ex eis cibaria decoquebant? Destructa itaque Sidone, ad Sareptam Sidoniorum iter convertunt. Ubi similibus perpetratis, ad fontem hortorum perveniunt, inde ad Baruth facies convertunt. Cujus habitatores civitatem quidem neglectam reliquerunt, castrum verò nobilissimum, civitati contiguum, viris fortissimis munierunt, repositis illic cibarijs & armorum vasis plu-

ſis plurimis. Videntes igitur caſtellani terreſtrem contra ſe venire exerci- 3
tum,navali adhuc latente,apertis portis omnes eis obviam procedunt.Hoc viſo,noſtrates auxilium de cœlo invocantes,contra illos ſe animaverunt. Factis igitur diſcurſibus, modò hac modò illac volubilis ſe fortuna trahebat.
Comes autem Adolfus cum quodam nobili Bernhardo de Horſtemer laten- 4
ter inſidias tetenderat,donec exitum rei animadverteret. Vidit igitur principem ipſius caſtri in fervido equo,quem dextralium(a) dicunt,eminus venientem,& glorioſum glorioſè multorum interitum minitantem. Explorata igitur opportunitate, cominus venientem, de latebris conſurgens, impetu valido in tranſverſum facto, tam equum quàm ſeſſorem ad terram dejecit. Illo ſubitò cadente, ſubitò extra ſe rapitur, & mentis impos circumſpexit, &non fuit auxiliator. Tandem ad ſe reverſus,vires reſumere conatur,&nihilominus impetu valido equinis pedibus ad terram conculcatur. Quod cùm tertiò fieret,reſumtis animis & viribus, ipſum equum brachijs & viribus detinere conatur.Ille autem tertio caſu ſupinatus,circa umbilicum lorica nudatur,nec mora imminens hoſtis vibrata haſta validè illũ tranſadigit,nec ſecundum vulnus appoſuit. Inter hæc fit tumultus hoſtium, auxilium ferre cer- 5
tantium. Quibus cùm Comes cum ſuis viriliter reſiſteret, captivati ſunt de ipſis adverſarijs duo inſignes,& ceſſaverunt ab eis. Magnificatus eſt autem Comes Adolfus,Domino auxilium ferente, ipſoque ſe periculo ſubmittente.
Cum hæc agerentur, navalis exercitus proſperè velificando urbi deſolatæ 6
appropiabat, in qua tantum captivi Chriſtiani remanſerant. Qui videntes vela quadrangula,Chriſtiana intellexerunt agmina. Unus autem ex eis accedens ad turrim, quæ cæteris excelſior erat & fortior, inſtrumento quodam oſtium clanculo reſerabat, & ſuſpenſis veſtigijs,repreſſoque halitu (b) aſcendens, cuſtodes carceris pauſantes invenit, irruensq; ſuper quietos, repentino interitu ſoporem illorum morte ſociat. Arreptoque ſigno nutu,quo poterat, navales ad ſubverſionem urbis invitabat. Quod videntes Dei miraculum intelligebant, & celerius applicantes, certatim littus apprehendunt. Cancellarius verò, quia cum ipſis erat, quantocyus ipſum
caſtrum apprehendebat. Hoſtes ergo territi ſiniſtro omine, quòd maxima 7
ſpes illorum periſſet in manu principis, & in perditione turris, fortitudinis omni fiducia perdita, per loca deſerta & invia fugere cœperunt, nullum vitæ præſidium niſi montes & ſcopulos & petrarum fiſſuras opinantes. Servi autem Chriſti civitatem & caſtrum gaudentes intraverunt. Et caſtrum quidem omnibus divitijs repletum invenerunt. Vinum autem & triticum & cætera, quæ ad victum pertinent, abundantiſſimè illic repererunt

runt, quæ ad tres annos habitatoribus illis sufficere potuissent. Telorum autem, balistarum & arcuum tanta illic fuit superabundantia, ut duæ naves ma-
8 gnæ ex his onerari potuissent. Est enim Baruth nobilissima civitatum & fortissimum præsidium illius regionis. Quæ quia in optimo portu est maris sita, omnibus præbet introitum & exitum, nec ulla ibi potest navis aut galea prælerlabi, quin sponte aut invita ipsa portui addatur. Unde factum est, ut ab ipso Syriæ excidio usque tunc decem & novem millia captivorum Christianorum de eodem castro Saladini curiæ sint præsentata. Habet etiam talem prerogativam eadem civitas, ut omnes reges illius terræ ibi coronentur. Unde Saladinus cùm eam cepisset, ibi coronatus & rex Hierosolymæ sive Ba-
9 byloniæ salutatus est. Moram autem ibi exercitu faciente, & muros civitatis destructæ suscitante, sinistra fama de morte (c) Imperatoris illuc pervenit. Quæ non parvam populo Dei fecit tristitiam. Dissoluebantur enim manus virorum fortium: quia sicut in tali mutatione fieri solet, alius cogitabat perdere dignitatem suam, alius beneficium, alter patrimonium, sicque fluctuabant cogitationes ferè omnium. Alteri fortè sua dictabat conscientia, si domi esset, sibi provenire Imperium. Alius timebat principatum sibi contrarium, & quò major erat destructio, plus dissensionem sperabat quàm pacis unionem, ut factis partibus suis quoquo modo prospiceret eventibus. Inter
10 has fluctuationes non defuit suis spiritus consilij, qni colligationes impietatis in eis dissolueret, & in suo proposito constantes faceret. Nam principes celebrato colloquio, hoc statuerunt, ut omnes regni primores ibi præsentes sacramentaliter fidem facerent Imperatoris filio. Et sic conquievit commo-
11 tio. Aliud quoque ibi habuere consilium, quis regno Hierosolymitano dignè prospiceret: quia, ut dictum est, rex vita discesserat. Visum est igitur omnibus regem Tyri(d) ad talem sufficere principatum. Qui vocatus, ad eos honorificè venit, ibique sociata sibi regina vidua, rex Hierosolymorum est ab
12 omnibus declaratus. His omnibus devotè cooperabatur princeps Antiochiæ, qui cum multis copijs de finibus suis eò venerat, & bene prosperatus, jamjam Genuam reditum maturabat. Volens autem suos præscire quod factum esset, dimisit columbam(e). Hic quiddam dicturus sum non ridiculum, sed ridiculè à gentibus tractum, qui quoniam sapientiores filijs lucis in generatione sua sunt, multa excogitant, quæ nostrates non noverunt, nisi fortè ab eis didicerint. Solent enim exeuntes ad quælibet negotia secum asportare columbas, quæ domi aut ova aut pullos noviter habent creatos; & si in via fortè accelerare volunt nuncium, scriptas litteras sub umbilico columbæ subtiliter ponunt, & eam avolare permittunt. Quæ cùm ad suos fœtus properat,

perat, celeriter amicis desideratum nuncium apportat. Hac arte us9 princeps memoratus, quod factum erat, per columbam celerrimè suis nunciavit. Qui cognoscentes Sidonem destructam, & Beryth(f) captã, eruptione facta attentare volebant, si & ipsi hostibus dominari possent. Cùm igitur principibus salutatis ad sua Princeps Antiochiæ remearet, & expansis velis Lystris propiaret, cœlitus exterriti habitatores civitatis, arrepta fuga montes camposq; petierunt. Princeps verò eam intravit, collocatisq; ibi militibus, Christianorum præsidium fecit. Habitatores autem Gebal cognito adventu Antiochenorum, simili stuporis genere confusi, relictis suis sedibus, fuga elapsi sunt. Princeps verò superveniens ipsam civitatem terminis addidit Christianorum.

---

dextralium. a) *H. Korner. Chr. MS.* hîc legit dextrarium; quæ lectio occurrit *infra l. VII. c. 17. n. 2.* Dextrarius est equus strenuus & bello idoneus. *Vocabular. antiquum* dicit esse equum, quidextra ducatur. Dextrarij capti sunt ducenti, *Radulfus de Diceto, p. 704.* Pomeranum fertur Bela de suo dextrario detrusisse, *Joh. de Thwrocz Chr. Hung. part. II. c. 38.*

halitu. b) *halitu*, non *habitu* legendum. Eam vocem sensus loci & *MS. R.* suppeditant.

de morte. c) Imperator anno 1197. in vigilia Michaelis, in Sicilia apud Messanam obijt. *Chronica MSS. Lubec. Baronius h. a.* At *Albertus Stad.* & qui ipsum sequitur, *Georg. Fabric.* & alij mortem ejus in ann. 1198. ponunt.

regem Tyri. d) Henrico Regi ex casu mortuo successit Almaricus, Guidonis, Regis quondam Hierosolymitani & Cyprij, frater. Is Guidoni in Cyprio regno successerat, & Rex Cypri à Cancellario Imperatoris coronatus fuerat, supra *cap. II. n. 8.* Non ergo Tyri, sed Cypri Rex erat. Ptolemaidis enim & Tyri dominium hactenus Henricus Rex propter nuptias cum Isabella tenuerat: quas urbes jam eadem Isabella pro dote ad Almaricum transfert. *Mar. Sanut. l. III. part. 10. c. 8.*

columbam. e) Non hoc Turcarum primum commentum est, sed jam olim ante illos crebrò usurpatum. In obsidione Mutinensi Antonio nihil vallum, nihil obsidio, nihil deniq; retia amne prætenta profuere. Nam Decimus Brutus obsessus in Consulum, Hirtij & Pansæ, castra epistolas columbarum pedibus annexas misit. *Plin. lib. X. c. 37. Jul. Frontinus Strateg. lib. III. cap. 13.* Hirtius Consul eadem obsidione columbis, (quas inclusas antè tenebris & fame affecerat) epistolas ad collum seta religabat, easq; à propinquo inquantum poterat moenibus loco emittebat. Illæ lucis cibiq; avidæ, altissima ædificiorum petentes excipiebantur à Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat. *Frontin. ibid.* Taurosthenis victoria ex Olympia Æginam uno eodemq; die columbæ purpurâ alligata nunciata est. *Ælian. var. hist. lib. IX. cap. 2.* Romani in theatrum aut circum euntes, unde non pro arbitrio reditus, columbas,

bas, quas in eum finem secum tulerant, è sinu emittebant. *Varro de re rust. l.III. c.7.* Etiam hirundinibus internunciis Cæcinam Volaterranum, & Fabium Pictorem usos esse, narrat *Plinius l.X.c.24.* Marrhes Ægypti rex cornicem valde cicurem habebat, quæ literas, quo Rex jussisset, celerrimè perferebat. *Ælian.l.VI.de animal.c.7.* Rogerius Comes cum Saracenos anno 1058. in Sicilia prælio fudisset, inter spolia columbas reperit, quas illi in sportulis secum in prælium tulerant, ut per eas suis domi significare rerum suarũ successum possent. Rogerius alis illarum chartas sanguine illitas alligat, & ita Panormum, quã urbem Saraceni adhuc tenebant, dimittit, ut hostibus, qui prælio non interfuerant, eò majorem terrorem incuteret. *Gaufred. Malaterra l.I.c.41.& 42.* Oratores Præfecti Hasartensis fœdus cum Godefrido Bulione oin expeditione sacra factum, & promissa ab eodem auxilia contra Alapiæ Præfectum (uterq; autem Turca erat) celeriter domino suo, columbis literas ferentibus, nunciant. *Albert. Aquens. l.V.c.9.* Rex urbis Accaron à Duce Cæsareæ literis, quas columba ferebat, petit, ut Christiano exercitui, quantum possit, incommodet. Columba autem à milvio vulnerata in Christianorum castra decidit. *Raymondus de Agiles Histor. Jherus.* Obsidione tenebant Tyrum Galli & Veneti. Dachin Damasci Rex, tabellariam columbam obsessis mittit. Illa propter validum clamorem militum subito in castra decidit. Qui obsidebant urbem, subdititias literas, pro Damascenis, ejus alitis pedibus alligant, quibus Tyrios edocent, non esse cur à Dachine auxilia exspectent. Ita Tyrus dedita est. *Anton. Sabellicus Ennead. IX. l.8.* qui ibidem in causam inquirit, cur, sublato tanto clamore, aves ad terram defluant. In Ægypto columbas esse, quæ tabellariorum fungentes officio, literas dominorum sub alis deportent, tempore brevi multa terrarum spatia emetientes, auctor est *Jacobus de Vitriaco l.I.c.88.* Adde *Alexandrum ab Alexandro Gen. dier. l.I.c.27.* Id quod suo adhuc tempore, i.e. anno 1507. in usu fuisse observavit *Martinus à Baumgarten*, cum scribit, Alexandrinos columbas alere ad id edoctas, ut, si necesse sit, Alexandria Cayrum literas deferant, *In Peregrinatione sua l.I.c.14.* Cùm Harlemenses arctissimè ab Hispanis obsiderentur, inter ipsos & Principem Auriacum atq; Status Hollandiæ columbis internunciis consilia perferebantur, *Emanuel à Meteren anno 1573. Famian. Strada l.VII.* Etiam in Lugduni obsidione repetitum ex antiquitate ministerium columbarum literas perferentium. *Eman. à Meter. anno 1574. Strada l. IIX.* Literas, quæ pennis columbarum inclusæ ad Ianum Dousam missæ fuerint, apud eum se vidisse scribit *Heinsius in Auriaco.* Dousa confirmat apud *Lipsium* his verbis: Vitam & hunc spiritum debemus illis Eæ nobis obsessis arcanorum apud socios interpretes; eæ literarum fidæ administræ; eæ rebus jam deploratis, & tantùm non funere nostro conclamato, solæ indices auxilij salutaris, *Saturn. Serm. l.II.c.6.* Columbarum ministeria, quanquam longè alia in re usa etiam Otha, quæ post Igorem maritum Ruthenis præfuit, cum alligatis sub alas columbarum igneis quibusdam instrumentis eas in Drevvlianorum, hostium suorum, castrum dimisit; uti ex Moscovitarum Annalibus narrat *Sigismund. Baro.*

Berythus. f) De Beryto supra quædam diximus ad *l.III.c.26.* Præclarum urbi tribuit elogium *Anonymus*, cujus extat Ἐξήγησις ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ, scripta tempore Constantij & Canstantis Imperatorum, & nostro demum seculo edita. Ita autem ille in *Syria*, §.3.

Βήρυτος πόλις λίαν τρυφερὰ, καὶ τὰ ἀκροατήρια τῶν νόμων ἔχουσα, δι' ἣν πάντα δικαστήρια τῶν Ῥωμαίων. ἐντεῦθεν γὰρ ἄνδρες πεπαιδευμένοι εἰς πᾶσαν οἰκουμένην, παρακαθίζουσι τοῖς κριταῖς, καὶ εἰδότες τοὺς νόμους διαφυλάττουσι τὰς ἐπαρχίας, αἷς στέλλονται αἱ νομοθεσίαι.

CAPUT IIII.

1. Christianis in Syria omnia primùm feliciter cedunt.
2. Choruti castelli muros cuniculis suffodiunt.
3. Obsessi de deditione consultant.
4. Per Henricum, Palatinum Rheni, colloquium cum cæteris Principibus expetunt.
5. De deditione agunt, & ut liberi dimittantur, obtinent.
6. Id nonnulli improbant.
7. Adolphus Comes obsessos monstratis fossis terret.
8. Utrinq; iterū ad arma convolatur.
9. Pax tandem certis conditionibus firmatur.

IGitur Domino populum suum confortante, & sermonem confirmante, quē 1
quis per Prophetam dixerat: Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos: servi Dei in magna fuerunt exultatione & spirituali congratulatione. Siquidem illud propheticum verè in illis fuit completum: quia omnia illis in bonum cooperabantur, ideoq; tota terra liberè fruebantur. Nam quia omnia tenebant maritima, non fuit locus, quo non discurreret exercitus in tota Syria, maximaq; fuit spes omnibus, in proximo se habituros civitatem sanctam. Sed longè secus venit, & hoc peccatis nostris præpedientibus. Quod quidem meminisse piget. Sed ad executionem ord[illegible]s ipsa ratio perurget. Instaurata igitur civitate Beryth, vel, ut alijs place[illegible]aruth, ordinatisque ejus habitatoribus, Domini exercitus via, qua venerat, reversus est Tyrum. Ubi transa- 2
cto aliquo tempore, consilio sive præcepto Principum conversa est tota expeditio ad castrum nomine Chorutum, quod quidem non longè erat, sed quasi itinere unius diei à Tyro distabat. Illuc itaq; venientes, maxima obsidione vallaverunt ipsum castrum. Et quia locus ille præruptus erat nimis, & quasi inaccessibilis, novum genus expugnandi, hostibus vero omnino incognitum, sunt aggressi. Fuerunt sanè ibi nonnulli de Saxonia, quibus erat notum, qua arte excavatur mons (a) argentarius, qui apud Goslariā multis est cognitus. Multo igitur labore expensaq; plurima opus illud aggressum est, præfectis quidem operis vigilantius insistentibus, cooperatoribus verò castrorum ingyrum reciproca vice sese alternantibus. Cumq; tali arte montē cavarent, 3
appositoq; igne, prout libuit, muros cadere facerent, hostes exterriti, nesciebant, quid agerent, dum castrum subrui quasi sine tormento murorum viderent. Ipsi tamen simili arte fodere cœperunt, sed laborantes nihil profecerunt.

runt. Cumq; per menſem opus inſtanter urgeretur, hoſtibus verò nulla ars
evadendi inveniretur, conſternati mutuo dicebant: Viri fratres, quid facie-
mus? hoc genus mortis qualiter effugiemus? Taliter fratres & conſanguinei
noſtri in Accon perierunt, quando ſub oculis noſtris una die quatuor millia
ſententiam decollationis acceperunt. Provideamus igitur nobis & parvulis
noſtris. Nam genus eſt hominum hoc nimis pertinax & iracundum & noſtri
ſanguinis avidiſſimum. Conſultum igitur nobis videtur, ut dextras petamus,
ſi aliqua conditione vitæ noſtræ proſpicere valeamus. Cumq; turbati in con-
ſilijs ſuis ſæpius iſta revoluerent, uno dierum ſtantes in muro loquebantur
his, qui excubias ſervabant: Rogamus, ut ſub pacis conditione copiam no-
bis detis loquendi vobiſcum. Quod cùm factum fuiſſet, dixerunt: Obſecra-
mus, ut nobis dicatis, quæ ſine ſimulatione quærimus. Quisnam eſt Dominus
veſter aut cujus ſunt caſtra, quæ oppoſita habemus. Qui reſponderunt: Ca-
ſtra, quæ videtis, ſunt Henrici Palatini de Rheno, filij Henrici Ducis, nomina-
tiſſimi principis, & nos ſervi illius. Ad hæc illi: Vellemus, ajunt, ſi fieri poſ-
ſet, loqui Domino veſtro. Quid, inquiunt, cum Domino noſtro loqui velle-
tis, cùm pacis diſturbatores ſitis, & circumventores veritatis. At illi: De ve-
ritate quidem loqui volumus, & de pacis unione. Quid plura? ad petitionem
4 illorum Palatinus venit, dextras dedit & accepit. Ad quem illi: Coarcta-
mur nimis in hac obſidione, ideoq; rogamus te, princeps glorioſe, ut tuo con-
ductu in cœtum Principum veniamus, ut de caſtri deditione & de noſtra ſa-
lute cum eis diſponamus. Illis reſponſum paucis ita reddidit heros: Præſu-
mimus quidem de gratia Principum, quod ſine livore ductu noſtro ad præ-
ſentiam ipſorum venire poſſitis: ſed quia ſapientis eſt, omnia conſultè facere,
communicato eis hoc verbo, quantocyus ad vos revertar. His dictis abit, &
æquivoco ſuo, Duci videlicet Brabantiæ, qui ab omnibus princeps ſuper e-
5 xercitum ordinatus fuerat, voluntatem illorum aperuit. Cùm ergo cogno-
viſſent illorum propoſitum, & eis conſtaret, quòd de caſtri deditione agere
vellent, data fide, principes ipſius caſtri ſeptem ſecum in caſtra deduxerunt,
convocatisq; Principibus, hi ut pro ſe loquerentur, copiam eis fecerunt. Ro-
gamus, ajunt, clementiam veſtram, ut patientiam in nos habeatis, & Chriſti-
anæ religionis memores, quæ, ut dicitis, omnem exercet pietatem, ipſam, ut
decet religioſos, in nobis quoq; manifeſtetis. Nos enim, licet Chriſtiani non
ſimus, non tamen ſine religione vivimus: nam ut ſperamus, Abrahei ſumus,
ideoq; à Sara uxore ipſius Sarraceni dicimur. Si verò credendum eſt, quòd
Chriſtus veſter verus Deus & homo in cruce vos liberaverit, ideoq; formam
crucis vos habere glorie mini, ipſam quoq; in nobis advertere poteſtis. Un-
de con-

de constat, etsi dispar sit religio, unum nos habere factorem, unum patrem, ideoque constat nos fratres esse, non professione, sed humanitate. Qua propter patrem attendite, fratribus parcite: omnia nostra sunt vestra, dummodo vivendi vobiscum sit copia nobis. Iam nihil est, quod nobis arrogare possimus: de statu tamen nostro, qualis huc usque fuerit, vobis hoc aperimus: In castro, quod videtis, principatum habemus: quia inter nostros de meliore prosapia sumus. Unde placeat vobis, ut captivi vestri simus: quia pro nostra liberatione non jam thesauros plurimos, sed & Christianos infinitos recipere potestis captivos. De his autem qui in castro sunt, si placet, talis fiat conditio, ut relictis omnibus suis egrediantur, nihil præter simplicem vestitum, & ipsum tenuissimum, secum portantes. Quòd si inventus fuerit quisquam aurum vel gemmas aut vestem preciosam vel aliud quid ferens, præter id quod determinatum est, sine omni mora capite plectatur. Hæc vobis gratanter offerimus: quia nihil nisi vivere quærimus. Istius castri vestra sit possessio, dummodo nobis sola contingat evasio. Placuit Principibus talis oblatio, hoc apud se tractantes, quòd in unius castri deditione duo quoque collateralia facilius obtinere possent, quorum unum Baufort Gallicè, Latinè bella fortitudo, aliud verò (c). Firmataque est pax inter ipsos & castrum, ut res cœpta meliorem haberet processum. Missum tamen fuit ad Dn. Cancellarium, ut suo complacito firmaretur hæc ordinatio. Ille tamen propter corporis debilitatem excusatum se haberi petijt. Et nec minus pacis indictio rata permansit. Fuerunt tamē qui huic dispensationi contradicerent, & hostes vi obtinere proponerent, Si istos, inquientes, violenter expugnaverimus, nullos de cætero adversarios habebimus: quia firmissimi castri dejectio, maximi timoris erit incussio, ita ut tinniant aures omnium nobis resistere volentium. Sic quidam dicebant. Plures tamen de bono pacis exultabant. Laborabat tamen pacis unitas, quia in omnibus non regnabat caritas. Inter hæc autem Comes Adol- 6
fus terrere volens animos adversariorum, ipsos, qui hæc inter principes loquebantur, ad fossata deducebat, ut plenariè perspicerent, quæ parata eis supplicia imminerent. Cùm hæc fierent, & sic ab invicem dissentirent, fuerunt 8
qui ad arma convolarent, & balistis & machinis castellanos impeterent. Qui se lædi videntes, nihilominus & ipsi jactis lapidibus & sagittis quosdam vulneraverunt, alios verò necaverunt. Sic alijs pugnantibus, alijs verò paci vacantibus, isti flebant cum flentibus & illi gaudebant cum gaudentibus. Rur- 9
sus tamen pax invaluit, & sæva commotio quieuit. Cumque per aliquot dies hæc tractarentur, firmata est pacis conditio, hoc dispensante Cancellario, ut obsides darent, quo usque promissa persoluerent, & ad sua remearent.

mons. a) dictus Rammesberg, *H. Korner. Chr. MS.*

Henrici. b) Erat hic Henricus II. Henrici Leonis filius, quem Henricus VI. Imperator, exoratus à Conrado, Palatino Rheni, cujus filiam Agnesen duxerat, primò consiliarium belli, & summum exercitus faceri Ducem fecerat; deinde Conrado defuncto Electorem, & Palatinum Rheni constituit. *Georg. Fabr. ad ann. 1193.* supra *l. IV. c. 20. n. 2.*

aliud verò. c) deest hîc aliquid in contextu; quod nec in *MSS.* reperitur.

CAPUT V.

1. *Obsessi à conditionibus, quas inierant, recedunt, & castellum tutantur.*
2. *Christiani dissidijs, & alijs vitijs hostium ferociam & potentiam augent.*
3. *Emittunt, qui Tyro commeatum advehant.*
4. *Panico terrore correpti, soluta obsidione, Tyrum redeunt.*
5. *Pars exercitus domum navigat.* 1198
6. *Archiep. Moguntinus Regem Armeniæ nomine Romani Imperatoris coronat.*
7. *Regem Armeniæ & Principem Antiochiæ inter se conciliat.*

1 His ita dispositis, cùm illi suis hanc seriem exponerent, displicuit talis conditio. Et gravis facta est inter eos altercatio. Alij dicebant, ista se persoluere non posse, alij verò alios animabant, dicentes: Nonne castrum firmissimum tenemus, munitum viris fortibus & armis? stemus simul ut vim vi repellere possimus. Scientes etiam discordiam, quæ versabatur inter Principes, non parum sunt roborati, ut promissa immutarent, nec promissæ pactioni starent. Evacuata igitur pace, arma corripiunt, nec ad persoluendum sed ad
2 dimicandum se erigunt. Econtra nostrates ad resistendum se præparant, ad machinas cæteraque bellica instrumenta convolantes. Castellani verò neglectis obsidibus ex illo die, omni se virtute defendere nitebantur. Nostrates verò minus prospere agebant, hostes verò magis ac magis contra eos invalescebant. Nimia enim pollentes astutia, ipsum fossatum, de quo plurimum confidebant, destruxerunt, & plures in eo aut succenderunt, aut gladio necaverunt. Quosdam etiam vivos extrahentes, ablatis capitibus, de muro præcipitaverunt. En quo discordia cives perduxit miseros? Illi enim unanimes perseverabant, isti autem diffidentes partim pugnabant, partim diversis negotijs vacabant. Et quia caritate refrigescente, mente reversi sunt in Ægyptum, ideo Ægyptios, id est, tenebrarũ filios, contra se sentiebant erectos. Nam propositum, secundum quod vocati sunt sancti, plures reliquerant, ideoque vitijs insidiantibus enerviter jacebant. Quanti enim fuerunt, qui pro Christo legitimas suas reliquerant, qui ibi meretriculis adhærebant? Has enim ad sua ministeria sub specie religionis quasi ex necessitate admit-

admittebant. Postea Moabitas sentiebant, quæ olim peccare fecerunt Israel, quando irato Domino coram hostibus cadebant. Quanti illic specie recti decipiebantur, qui navium suarum precio ditati, plus avaritiæ quàm Christi militiæ studebant? Quid de talibus dixerim? qui arrogantiæ dediti, suis consimilibus in vana gloria se præferebant, & quos domi consortes habuerant, eis pacificari in peregrinatione nolebant. Et cùm Dominus dicat: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, quomodo per tales vincere posset, qui spiritum timoris non habentes, spiritu superbiæ pleni, plus se hostibus Christi quàm suo condiscipulatui conformarent? Sed veniam peto: non enim, ut quenquam confundam, hæc scribo, sed dilectos in Christo moneo.
Nunc ordinem persequamur. Deficiebant inter ista populo Dei cibaria, 3
& necesse habebant Tyrum mittere pro victualibus comparandis. Propter timorem tamen hostium, non paucorum fuit ista legatio, sed plurimorum. Dimidiabant ergo exercitum, cùm alij irent, qui caruani dicebantur, alij verò in excubijs remanerent. Tunc itaque temporis exierant, nec erat parva expectatio de illorum reditu: quia alii cibis indigebant, alij verò de periculo eorum metuebant. Auditum sanè fuerat in castris, Saphatinum eis imminere cum infinita multitudine de Persia & Media & Damasco, ut ipsos destrueret, & castrum liberaret. Inter has autem fluctuationes personuerunt buccinæ in castris Cancellarij, nunciantes venisse caruanos.
Tum verò gaudebant omnes, excipientes suos cum gaudio. Scientes ergo 4
Principes imminere sibi hostes, consilio habito in vigilia purificationis B. Virginis, enunciari fecerunt in castris, ut omnes mane parati essent confligere cum hostibus. Fit igitur omnibus commune gaudium, commune tripudium, mutuis sermonibus se exhortantium, pro Christo aut vinci aut vincere volentium. Cumque omnes crastinam salutem sperarent, & ad certandum se devotè præpararent, subitò sermo exivit inter fratres, quòd tota familia Cancellarij & aliorum Principum, omnibus rebus suis jumentis impositis, versus Tyrum iter arriperet. Qua novitate omnes exterriti, cœperunt & ipsi properanter sua colligere, jumentis imponere, certatim post ipsos equitando vel peditando properare. Fiunt igitur tumultuationes fugientium, de tali mutatione mœrentium, & rerum suarum distractione dolentium. Quanti illic relicti sunt ægroti? quanti vulnerati? qui hostibus ludibrio facti cœlestibus sunt adunati. Nec minus tamen istorum fuga exterriti, fugiebant & ipsi. Utrobique timor & pusillanimitas: hi spiritum fortitudinis perdiderant, illi verò sua cæcitate per devia trahebantur. Istis fugientibus Dominus parcere volebat, illos verò ipsius indignatio exagitabat. Nec inter ista defuit spiri-

tus

tus procellæ, tonitruis & coruscationibus & pluviarum inundationibus &
5 grandine de cœlo fugientes infestando. Cùm ergo soluta obsidione apud
Tyrum & Accon se recepissent, propter rumores, qui eos de morte Impera-
toris terruerant, cœperunt de reditu disponere, & de statu eorum, qui rema-
nere disponebant, ordinare, & victualia vel arma, quæ sibi superabundabant,
indigentibus erogare. Igitur adveniente Martio, ascensis navibus, favente
Zephyro, omnes ferè principes cum melioribus populi ad sua redierunt. Re-
mansit tamen Dominus Moguntinus(a) & Dominus Verdensis & quidam de
nobilioribus cum populo Dei, misericordiam ipsius & consolationem expe-
6 ctantes. Moguntinus tamen tunc aberat, in Armenia constitutus pro coro-
nando rege ejusdem terræ, ad quod tamen negotium Cancellarius deputatus
fuerat, qui ut dictum est, in Cypro similia perpetraverat. Sed cùm esset apud
Baruth, visum est principibus, ut remanente Cancellario, Moguntinus vicem
ejus suppleret, & ipsum regem diademate imposito ad titulum Romani im-
perij coronaret. Ipse enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtu-
tis populi Dei, & quia Dominus ad ipsorum introitum omnes inimicos eorum
terruisset, & quia gloriosè multa loca munita obtinuissent, missis nuncijs ho-
noratis cum muneribus non paucis, ipsos Principes devotè salutavit, & quan-
to desiderio ipsorum adventum expectaverit, per scripta simul & verba am-
plissima intimavit: paratissimum se dicens Romano subdi imperio, si coro-
nam diu desideratam ab ipsius(b) mereretur suscipere nuncio. Glorietur ec-
clesia Romana, quæ non solùm in spiritualibus, sed etiam favente Christo di-
latatur in temporalibus, ut etiam reges transmarini hoc titulo affectent insi-
gniri. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem
7 quàm Romani orbis attendunt dilatationem. Moguntinus igitur, ut diximus,
gloriosè expleto hoc negotio, ipsum regem Armeniæ & Principem Antio-
chiæ ad pacis concordiam reformavit, quorum dissensione non modicum ec-
clesia Dei in partibus illis diu turbata fuerat.

Moguntinus. a) Hic fuit Conradus, Comes de Wittelsbach, Palatinꝰ Rheni, frater illius Ottonis Palatini, qui Philippum Imperatorem Bambergæ interimebat. Rex ab illo coronatus, Leo fuit, *Bruschius Episcop. Mogunt. XLVIII. Mersfæus, XXXII.*

ab ipsius. b) Contextum hîc ab aliquo Novatore corruptum esse suspicatur *Baronius, ad ann. 1197. n. XI.* cùm procul dubio *Arnoldus* scripserit: *ipsius Romani Pontificis.* Et paulò pòst pro *Romanæ ecclesiæ* rescriptum esse *Romani orbis.* Verùm in antiquis MSS, codicibus, ex quibus jam Auctorem recensuimus, quiq; multò antè exarati sunt, quàm ullus Lutheranus Romano Pontifici potestatem in conferendis vel eripiendis regnis dubiam reddidit, eadem ijsdem prorsus verbis leguntur, quæ antea edita fuerunt.

ARNOL-

ARNOLDI, ABBATIS LUBECENSIS,

CHRONIC. SLAVORUM LIBER VI.

CAPUT I.

1. Otto, Henrici L. filius, Coloniæ à quibusdam Principibus Rex Romanus eligitur. - - - - - 1198.
2. Aquisgranum, ubi cives Philippi partes sequebantur, capit. 1198.
3. Ab Adolpho, Archiep. Coloniensi, inauguratur.
4. Innocentius III. electionem approbat & confirmat.

IN omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 1
Denique Principibus de peregrinatione reversis, Sion quidem, peccatis nostris præpedientibus, captiva remanebat, nec minus ecclesia in occiduis partibus bellis intestinis laborabat. Deficiente (a) sanè Imperatore glorioso Henrico, per quem Deus terminos Imperij, ut dictum est, multum dilataverat, neglecta fide, sive electione in filium ipsius facta, duo soles, id est, reges exorti sunt, qui radijs invicem discordantibus Romani Imperij fines non modicè perturbabant, Siquidem Colonia Agrippinæ in regnis inclyta, colloquio celebrato cum regni primatibus, de electione novi regis tractare cœpit. Huic colloquio interrerat Adolfus (b), Coloniensis Archiepiscopus, Conradus Moguntinus, qui tamen præsentialiter aberat, transmarinis negotijs, ut prædictum est, occupatus, cujus vicem in omnibus negotijs ordinandis ipse Coloniensis tenebat, nec minus Dominus Trevirensis talibus se negotijs non absentabat. Intererat quoq; Palatinus de Rheno, Henricus (c), cum multis nobilibus, qui omnes unanimi consensu Othonem (d), Henrici, nobiliss. Principis & Ducis, filium, in Pictavio adhuc constitutum, in regem & Romani Imperij principem elegerunt, missisq; legatis, eum cum summo honore Coloniam usque perduxerunt. Nec defuit inter ista benevolentia avunculi sui Richardi, regis Angliæ, cum maximis copijs thesaurorum ad tantam vocationem eum amplissimè promovendo. Confirmataq; electione regis Othonis, 2
ipse collecto robore militum, aspirantibus suis electoribus, obsidione maxi-

ma Aquisgranum vallavit, quæ contra eum, fidem adhuc servans Imperatori mortuo, sive ipsius fratri Philippo, nimis obstinata erat. Quam tamen non sine difficultate & expensis plurimis, septuaginta (e) videlicet marcarum mil-
3 libus, violenter obtinuit, unctusq; (f) in Regem ab Adolfo memorato Archiepiscopo, in sedem Imperij est sublimatus, & Romanorum Augustus salutatus.
4 Talis igitur electio, sive regis ordinatio, per legatos honoratos à Dn. Coloniensi, sive ab alijs Archiepiscopis & Principibus primoribus, Dn. Innocentio, Romanæ sedis summo Pontifici, insinuata est, omnibus obnixè postulantibus, ut electionem sive ordinationem regis Othonis approbaret, ipsamq; sua auctoritate confirmaret. Qui nimis gavisus est, & non solùm ipsius electionem approbavit, sed ipsum Othonem imperio dignissimum judicavit, eumq; filium suum dilectum declaravit, missisq; epistolis, omnibus Prælatis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, regalia tenentibus, obtentu obœdientiæ, ut regi electo servirent, mandavit.

Deficiente. a) III. Kal. Octob. anno 1197. *Supra l. V. c. 3. n. 9.*

Adolphus. b) Vide *Petrum Merssæum in Archiep. Colon. XLVII.*

Henricus. c) Hic Henricus, & Otho sunt filij Leonis. Vide *supra Not. ad l. IV. c. 24.*

Othonem. d) Electionem Othonis anno 1198. factam esse ex *Alberto Stad.* constat. Adolphus, Antistes Coloniens. qui electionem ejus præ cæteris adjuvabat, Argentinensis & cæteri nonnulli, ex instinctu Papæ Othonem coronabant. Nitebantur præterea Othonis fautores auctoritate & consilio Richardi, Regis Angliæ, qui Othonis avunculus erat.

septuaginta. e) Si marca argenti pro ratione istius ævi æstimetur octo nummis uncialibus, ista summa efficiet nostræ monetæ Joachimicorũ quingenta & sexaginta millia: marcarum autem hodierno valore 168000.

unctusq;. f) Innocentius Papa Ottonem in regem Romanorum Aquisgrani coronari præcepit, per Adolphum Archiepiscopum Coloniensem. *H. Kornerus Chr. MR. anno 1200.* Romanos Imperatores Aquisgrani coronatos recenset *Johannes Noppius Chron. Aquisgran. l. I. c. 10.*

CAPUT II.

1. Philippus, Henrici VI. frater, Moguntiæ à majori parte Imperij Rex Romanus renunciatur, & ab Archiep. Tarentino consecratur. 1198.

2. Premislaum, Ducem Bohemiæ, Regem, & Ensiferum Imperij facit. - - - - - - 1199.

3. Ex Ottonis & Philippi dissidio magnæ in regno & ecclesia turbæ natæ.

4. Ad Mosellam confligunt, utrinq; clade acceptâ. - - - - 1199

Inter

INter hæc Philippus, qui imperialia tenebat, fratri succedere aspirabat, quẽ multorum copia juvabat Saxonum, Francorum, Suevorum, Bavarorum, utpote qui omnia loca munita, civitates, castra, tenebat: & cùm sola Colonia & pars quædam Westfaliæ Othoni faveret, totum robur Imperij Philippo adhærebat. Coadunata igitur multitudine Prælatorum & Principum de Francónia, Saxonia, Suevia, Bavaria, Turingia apud Moguntiam, consensu & favore omnium in regem est electus, & à Dn. Tarentino Archiepisc. consensu cleri & conniventia Capituli majoris sine præjudicio Dn. Moguntini Conradi, qui, ut sæpe dictum est, tunc aberat, cum magna solennitate Rex consecratur, & Romanorum Augustus salutatur. Ibi quoq; Regina regio diademate non tamen coronata, sed circulata (a) processit, quæ de Græcia oriunda Philippo nupserat, & ejus dignitatem non modicè in suis partibus auxerat. Bojemo (b) etiam major dignitas accessit, ut cùm antea Ducatum teneret, titulò regio à Philippo sublimatus, ibi & ipse procederet coronatus, & gladij regij bajulus. His regibus non conregnantibus, sed discordantibus, turbatur Ecclesia, oriuntur schismata, dissensiones, partes adulantium, hinc inde placere volentium. Apostolicus (c) Othonem constanter firmabat, Prælatos auctoritate sua ei subdebat, Archiepiscoporum nullum pallio pontificali induebat, nisi Othonem omni fidelitate devotionis honoraret. Sicq; fit, ut clerus ex magna parte pastoris timens sententiam, Othoni faveret. Philippus autem fastu seculari sublimatus, in temporalibus magis prævalebat: Quamvis nonnulli Pontificum, neglecto mandato Apostolici, quibusdam tergiversationibus servire Othoni dissimularent: quidam verò palàm ei contradicentes, usq; in finem vitæ inobœdientes perseverare non timerent. Philippus igitur accepta benedictione, cum ijsdem copijs, Bojemo comitante, per devexa Rheni & Mosellæ partibus Coloniæ appropiare cœpit. Cui Otho cum suis animosus obvius erat. Qui quoniam potens erat viribus, audax animo, rugiens, ut catulus leonis, suscitatus ad prædam, ad bella paratus, aut vincere aut vinci affectabat. Philippus verò, cui plus roboris erat, astutia magis quàm congressionibus vincere studebat. Cùm ergo exercitus Philippi regis Mosellam transire pararet, qui de parte Othonis erant, ei violenter resistebant, & facta strage, ex utraq; parte non pauci cecidere. Sicq; Philippo redeunte, Bojemus ad sua reversus est.

(margin: 1 beside line 1; 2 beside "Bo-/jemo"; 3 beside "turbatur Ec-/clesia"; 4 beside "acce-/pta")

circulata. a) Regina circulata Auctori est, quæ loco coronæ circulum, ab una aure ad alteram circumductum, gestat, quo radiata incedit. Henricus IV. cum anno 1086. Uratislaum Bohemiæ Regem designaret, in Comitijs Wormatiensibus sua

ſua manu capiti illius regalem circulum imponebat: Engilbertus autem, Archiepiſcopus Trevirenſis Pragæ illum ungebat, & diademate regio ornabat. *Cosmas Pragenſ. anno 1086.* Ita *Matthæus Paris* Henricum III. Angliæ Regem, per circulum aureum coronatum eſſe ſcribit, *ad ann. 1216. Krantzius*, quid ſit Regina circulata, dubitat, *Sax. l. VII. c. 15.*

Bojemo. b) is erat Premislaus, Uladislai filius, qui à Philippo incitatus prædabundum militem in Saxoniam miſerat, & Othonis terras igni & ferro fœdaverat. Hunc Philippus de omnium, qui aderant, ſententia Regem Bojemiæ creat, impoſita ei ſua manu corona regia. Exin tandem interregnum in Bojemia finitum, regibus ſibi deinceps continua ſerie ſuccedentibus. *Joann. Dubravius l. XV.*

Apoſtolicus. c) Ita Germania civilibus armis, Pont. Max. claſſicum canente, attrita eſt, *Avent. Ann. Boj. l. VII. p. 658.* Is enim extrema omnia tentanda ſibi potius putabat, quàm concederet, ut ex Suevis de Stauffen aliquis ad imperij decus perveniret, ut etiam dixerit, aut ſe Philippo diadema regium, aut ipſum ſibi infulam Pontificiam ablaturum; uti referunt *Conradus à Lichtenaw in Philippo*, & *Felix Faber Hiſtor. Suev. l. I.* Quo ſenſu uſurpat Cæſ. Caligula apud *Senecam l. I. de Ira c. 16.* illud Homericum:

Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ.

Quanquam alia paulò ſententiâ illud pronunciat Ajax ad Ulyſſem apud *Homerum Iliad. ψ. v. 724.* Innocentius Friderici execrati olim principis oderat ſtirpem, inquit *Dionyſ. Petavius part. I. l. 9.* Extat hac de re illa decretalis *C. Venerabilem. 34. Extr. de Electione*; in qua Innocentius III. ſtudium ſuum erga Othonem, & animum à Philippo averſum prolixe teſtatur.

CAPUT III.

1. Conradus, Archiep. Moguntinus moritur. - - - - - 1200
1. Eccleſia Moguntina propter ἀντιεπισκόπους *duos electos ſchiſmate laborat.*

1 Circa dies illos Moguntinus Conradus vita exceſſit (a), & ſtatim in tam nobili ſede ſchiſma non defuit. Fautores (b) ſiquidem Lippoldum eccleſiæ Moguntinæ præficiunt, eccleſiaſtici verò viri ſententiam Apoſtolici timentes ad tantam dignitatem Sifridum elegerunt. Ille imperialia à Philippo tenens, civitatibus & caſtris militari manu longè lateq; prævalabat: iſte ſpiritualibus confirmatus, ſibi ſubditos quiete regebat.

exceſſit. a) Conradus ex ſacra expeditione reverſus, (de qua *l. V. c. 5 n. 5. 6.*) cùm ex longi itineris moleſtijs morbum contraxiſſet, ad ſepulchrum S. Erminoldi profectus, oravit, ut aut repente à diutino morbo curaretur, aut cita morte doloribus liberaretur. Ergo in itinere, antequam Moguntiam rediret, mortuus eſt, ut ſcribit *Monach. Pruferingenſ. de S. Erminoldo part. II. c. 3.* Paulò aliter *Bruſchius*; qui narrat, ipſum ab Impe-

ratore in Hungariam, ad conciliandos atq; in gratiam reducendos reges Hungariæ, fratres, missum, in reditu Patavij in Bavaria obijsse. Decessit autem anno 1200, secundum *Joann. Trithemium Chron. Hirsaug.* Non autem anno 1205, uti putat *Bruschius.*

Fautores, b) Sigefridus II. Baro ab Epenstein electus est ab una parte Capituli. Contra hunc ab Imper. Philippo & altera Senatus Canonicorum parte Lupoldus, Episcopus Wormatiensis, Archiepiscopus designatus est. *Brusch. Episcop. Mogunt. L. Merssæus XXXIV.*

CAPUT IV.

1. *Ludolphus, Archiep. Magdeb. moritur: succedit Albertus.*
2. *Philippus Brunsuicum obsidione cingit. - - - - - 1199.*
3. *Henricus, Ottonis frater, hostem repellit.*
4. *Hostes cœnobium Ægidianum, quod tunc extra muros civitatis situm erat, diripiunt. - - 1199.*
5. *B. Ægidius miraculis claret.*
6. *Desperata expugnatione obsidio solvitur.*
7. *S. Auctor Brunsuico urbi præsidio esse creditur.*

Tunc temporis Ludolphus, Magdeburgensis Archiepiscopus, vita excessit, & Dn. Albertus, ejusdem ecclesiæ major præpositus, in sedem sublimatus est. Qui quoniam in electione sua quosdam æmulos habuit, per semet ipsum ad Dn. Apostolicum excedens, sicut in Præpositura ita & in Episcopatu ab ipso confirmatus cum honore ad sua reversus est, ita ut Othoni regi faueret, & ejus principatui non contradiceret. Exinde Philippus de multis copijs præsumens, Othonem iterato impetijt, & contracto exercitu veniens Brunschwig, civitatem arctare cœpit. Tunc temporis Otho rex defuit: sed frater ejus Henricus Palatinus civitatem constanter tenuit. Adversarij tamen ipsam civitatem circa monasterium B. Ægidij intrantes, & pontem occupantes, ipsam ferè civitatem irruperant. Quod cognoscentes, qui intus erant in alio latere civitatis occupati, ubi cum majore robore Philippus rex esse videbatur, subitò ad resistendum conversi, hostes in fugam convertunt, ipsosq; balistarum jaculis repellunt. Interea quidam latrunculi domum B. Ægidij, quæ contigua erat, irrumpunt, & quadam barbarica ferocitate Monachos invadunt, vestibus exuunt, officinas claustrales, dormitorium, culinam utensilibus suis privaverunt, ita ut ipsi oratorio non parcentes, securibusq; ostia succidentes, ornamenta ecclesiæ diripere conarentur. Quæ tamen tutante Deo quorundam Monachorum industria conservata sunt, qui ostium sacrarij quibusdam instrumentis astutè celaverunt, ita ut paries solidus vide-

1 (margin, beside line 1) · 2 (beside "uerer, & ejus principatui...") · 3 (beside "Brunschwig, civitatem...") · 4 (beside "psosq; balistarum...")

 retur.

retur. Et sic, ut in diebus Rachelis, solicitudo quærentis delusa est. Cancel-
larius tamen Conradus audita direptione ecclesiæ cum multitudine superve-
nit, & seditione sedata, raptores injustos procul abegit. Nec defuit vindicta
Dei. Nam sequenti die unus illorum, qui præ cæteris violentior fuerat, in a-
5 mentiam raptus, coram omnibus miserè vitam finivit. Nec mirum. Quan-
tæ enim virtutes ab antiquis diebus in eadem domo per misericordiam Dei
orationibus B. Ægidij celebratæ sunt? quanti dæmones ab obsessis corpori-
bus fugati, cæci illuminati, claudi, paralytici curati, & de diversis laqueis &
compedibus sive carceribus diversis in locis afflicti, liberati? qui ad ipsam
domum B. Ægidij cum hymnis & laudibus Dei confluentes, liberationis suæ
memorias, ut nunc videri potest, cum gaudio ibi reliquerunt. Non tamen a-
liquibus in scandalum veniat, si fortè peccatis latentibus, ipsa domus tanta-
rum virtutum à filijs Belial, Deo permittente, ad tempus afflicta est: cùm ipse
Dominus virtutum & rex gloriæ in nostra redemtione positus à manibus im-
6 piorum se teneri & crucifigi passus sit. Crevit tamen civitatis obsidio per ali-
quot dies, sed qui intus erant, confortabantur, exteriores verò affligebantur.
Interiores ciborum affluentijs fruebantur, exteriores verò fame & inedia
torquebantur. Othonis sanè homines, qui exteriores excubias servabant, in
rupibus & vallibus & sylvis latitantes plaustra cum victualibus, de diversis
locis & civitatibus venientia, impetu valido præpedientes, hominibus occi-
sis, quibusdam verò captivatis, rebus & equis ablatis, ipsa victualia in disper-
sionem dederunt. Videres illic fluctuantes rivos cerevisiæ seu vini, qui de-
structis vasis cum inundatione vehementi terram irrigabant. Taliter hostes
afflicti, magis abesse quàm adesse volebant. Conditione tamen quadam pa-
cis interposita, obsidio soluta est, & illi sine honore discesserunt, nec ultra ci-
7 vitatem impetere adjecerunt. Est enim non parva spes civitati illi de suffra-
gijs B. Auctoris(a), Archiepisc. Trevirensis, cujus corpus ibi requiescit, quod
Gertrudis Marchionissa, Ecberti Marchionis conjux(b), cùm tempore vidui-
tatis suæ ipsum monasterium fundasset, à Trevirensibus multis supplicationi-
bus obtinuit, & in eodem monasterio cum alijs corporibus Thebeorum marty-
rum, ut nunc cernitur, in sarcophago honorificè collocavit. Et quia idem
Pontifex, cùm terra sua ab Hunnis vastaretur, qui sanctas virgines Coloniæ
trucidaverunt, civitatem Trevirorum, quam tunc regebat, orationibus suis
illæsam protegebat, ipsam adhuc virtutem apud Dominum habere creditur,
ut civitatem, in qua nunc requiescit, suis orationibus ab hostium incursu pro-
tegat & defendat. Unde mos inolevit Brunsuicensibus, ut cùm timore obsi-
dionis arctantur, reliquias memoratas circa ambitum suæ civitatis cum litanijs
& Dei

& Dei laudibus & eleemosynarum largitionibus devotè circumferant, & infra ipsum ambitum nullos hostium incursus perferant. Res est probata, & in liberatione eorum sæpius experta.

Auctoris, a) S. Auctor II. ex Episcopo Metensi, Archiepiscopus Trevirensis constitutus, ibi in templo D. Maximini tumulatus est. Inde translatus post aliquot annos in Thabenam supra Sarram repositus est. Reliquiæ ejus per Gertrudim, socrum Lotharij, Saxoniæ Ducis, Treviri translatæ sunt Brunsuicum, & monasterio D. Ægidij, quod ipsa condidit, illatæ, *Petr. Merssæus in Archiep. Trevir. XXXV.* qui addit, in hac urbis oppugnatione exemto gladio in muris ad tutandum cives suos visum esse.

conjux, b) Marchionis sororem fuisse scribit *Krantzius Sax. l. VII. c. 16.*

CAPUT V.

1. Philippus Bohemiæ Regi, propter divortium cum uxore factum regnum adimit, Theobaldo substituto. - - - - - - - 1200.
2. Bohemus cum Ottone, & Hermanno Landgravio contra Philippum exercitum educit. - - 1201.
3. Philippus contrà Thuringiam invadit.
4. Thuringia ab utroq; exercitu fœdè direpta est.
5. Inprimis sacris virginibus vis illata.
6. Bohemus Misniam vastat.
7. Otto castrum Herlingsbergam ædificat. - - - - - 1201.
8. Goslarienses ex Herlingsberga & Lichtenberga affliguntur.
9. Lichtenbergam capit Comes de Hartsburg.

SEquenti anno Odackerus Bojemus legitimam suam repudians (a), aliam de Ungaria duxit uxorem. Unde commotus frater repudiatæ, Theodoricus, Marchio Mysnensis, unà cum Duce Bernhardo, qui Philippi regis familiares fuerunt, hoc apud ipsum obtinuerunt, ut regnum sive Ducatum Bojemiæ Odackero adultero auferret, & ad Theobaldum puerum, qui tunc Magdeburgi studebat, Theobaldi filium, transferret. Quod & factum est. Unde 2 commotus Bojemus, à Philippo alienatus, Lantgrafio Thuringiæ Hermanno confœderatus est, qui contra Philippum sentientes, multa contra eum machinari cœperunt. Hermannus (b) ergo, qui filius sororis Friderici Imperatoris fuerat, immemor consanguinitatis & jurisiurandi, ad Othonem regem se transtulit, ita ut Northen & Mulenhausen ab ipso in beneficio susciperet, & cum eo, adjuncto Bojemo, exercitum contra Philippum produceret, & propri-

3 am terram hac occasione irrecuperabiliter vastaret. Philippus enim cum
manu gravi, Lippoldo Moguntino auxilium ferente, & alijs multis copijs Tu-
ringiam intravit, & Erpisfordiæ consistens, totam terram in circuitu vasta-
4 bat. Nec minus, qui de foris erant, provinciam vastabant. Sunt enim Boje-
mi natura pravi, actu scelerati, & nunquam expeditionem suscipere volunt,
nisi liberam habeant potestatem vastandi sancta cum non sanctis. Nec de-
fuit ibi illud perditissimum hominum genus, qui Value (c) dicuntur, crudeli-
tates suas & nequitias exercentes, de quibus loqui non est ædificatio, sed mise-
ria. Cùm igitur adversarij cum Philippo congredi timerent, ut dictum est, o-
mnia pervagantes, rebus multis Thuringiam spoliaverunt. Sedecim sanè ec-
clesiæ conventuales religiosorum tam virorum quàm mulierum, cum paro-
chijs CCCL. à Bojemis destructæ sunt, & cum cæteris mobilibus ipsa orna-
menta ecclesiarum à sceleratis inquinata sunt. Videres illic pessimum quenque,
quod dictu nefas est, pro camisia (d) indutum alba, accinctum stola, alium pro
tunica uti Dalmatica, tertium pro chlamyde amictum casula. Alterius cu-
5 iuslibet scelerati equus palla altaris discurrebat opertus. Et quod sine la-
chrymis & gemitu dici vix potest, religiosas & nobiles Deo dicatas fœminas,
ad strepas equorum ligatas, quasi captivas trahebant, templa Dei non manu
facta libidinosè polluebant. Inter quas nonnullæ hoc genere tormenti ad
mortem usque vexatæ sunt. Quid istas nisi inter martyres deputare possumus?
Absit enim à Christi fidelibus, ut eas sponte à tam turpibus, ut ita dicam, ca-
nibus credant voluisse inquinari. Cùm igitur caro vim sit passa, hoc volumus
& procul dubio speramus, quòd spiritu reluctante anima Deo dicata perman-
serit inviolata. Nonne in primitiva ecclesia, quando persecutio instabat mar-
tyrum, hoc genus mortis sanctis & nominatis virginibus, ut in passionibus ea-
rum legimus, ab impijs judicibus sive tortoribus sæpius intentatum est? Sed
si à pio sponso earum, Iesu Christo, qui idololatras illos in his prævalere no-
lebat, ab omnibus misericorditer & miraculosè sunt liberatæ, non minus istas
in consortio illarum sperandas credimus, quæ tempore ecclesiæ à fidei pro-
fessoribus non cultoribus talia sustinuerunt, in castitatis professione perseve-
rantes. Nonne huic simile invenitur de sancta virgine & matre Irene? quæ
pessimo judici scortum sibi minanti sic respondit: Non reputo quàm crudeli
quàm turpi mortis genere corpus deficiat, dum spiritus tormentis non ce-
dens, nec carnis illecebris consentiens, intactus & illibatus Deo permaneat.
Nunquid polluti sunt martyres de sacrificiis idolorum, quibus tu sanguinem
dæmonibus immolatum violenter ore aperto infundi jussisti? Non sunt pol-
luti, imo pro his & aliis irrogatis sibi pœnis & injuriis æternaliter sunt coro-
nati.

nati. His & alijs exemplis instructi, credimus & has coronatas, quæ castita-
tē veraciter professæ, nolentes non consentientes hoc genere mortis defece-
runt. Boiemus autem vsq; Halam procedens, enormia perpetrans, per terram 6
Marchionis, vt de eo vindictam expeteret, ad sua reversus est non sine graui
iactura suorum, qui stragem non paruam diuersis in locis perpessi sunt,
Deo eis reddente secundum nequitias operum suorum. Rex autem Otho re- 7
uersus ad sua, nondum dimisso exercitu, ædificauit castrum firmissimum Har-
lungenberg (e). Vnde Goslarienses nimis afflicti sunt, ita vt multis de ciui- 8
tate exeuntibus, ipsa ciuitas ex magna parte desolata videretur. Siquidem
ipsa civitas inedia & fame laborabat, in oriente quidem oppositum habens
castrum nouum, in occidente verò castrum Lichtenberg. Nec permitteban-
tur intrare ciuitatem plaustra seu vehicula, quæ ciuibus inclusis necessaria
afferrent. Medio tamen tempore Lichtenberg ab Hermanno, Comite de 9
Hartesburg, insidiosè capta est, & ciuitas de tanta obsidione partim soluta
est. Postea tamen occasione eiusdem castri Goslaria desolata est.

---

repudians, a) Intellexerat Otho, Premislaum jam animo abalienatum à Philippo, idq; factum operâ Arnolphi cujusdam Episcopi. Ideo Hermannum Thuringiæ Principem ad illum mittit, eumq; muneribus & ingentibus promissis totum ad suas partes trahit. Rex cum Theodorico, Misniæ Marchione, qui Philippi adhærebat factioni, affinitatem diremit, facto cum sorore illius divortio sub sterilitatis prætextu, eâq; in Misniam remissa, ut novis nuptijs domum vacuam faceret, quas paulò post cum Constantia, Belæ Regis Pannoniæ filia, contraxit, idq; Romani Pontificis assensu, quem per Othonem obtinuit, & tantopere studuit Othonis partes juvare, ut, cum Saxones Premislaum laudantes identidem sua voce repeterent, Othischgar, i. e. Othoni totus deditus, Bojemi illud non intelligentes, putarent novum Premislao à Germanis indi vocabulum, vocariq; Othocarum, nec aliter deinde quàm Othocarum vel Othogarum cognominarent. Tunc Othocarus igne, cæde, vastitate imperio Philippi subjectos oppressit. Versabatur per id tempus Magdeburgi studiorum gratia Theobaldus, stirpis Bojemiæ principum juvenis. Hunc Philippus, à Theodorico Marchione adductum, Principem Bojemiæ declarat, armis & viris instruit. *Joann. Dubrav. l. XV.* Ab hoc Othocaro plures deinceps Bojemiæ Reges Othocari appellati sunt.

Hermannus. b) Hermannus erat Palatinus Saxoniæ, & Ludovici V. Landgravij frater. Ludovicus cum ex filia Lupoldi VII. Austriæ Ducis, nullam masculam prolem suscepisset, Hermannus Hassiæ & Thuringiæ Landgravius factus est. Qui ex duabus conjugibus, Sophia Palatina Rheni, & altera Sophia, Saxoniæ Principe, Ludovicum VI. Thuringiæ, & Hermannum Hassiæ, Landgravium genuit. Atq; ex hoc tempore Hassiæ provincia à Thuringia separata est, & distinctus Landgraviatus esse cœpit. *Anonym. de Landgr.*

Thuring.c.29 Wolffg. Lazius de gent. migrat.l. III. Vide *supra l. II. Arnoldi c.30.n.1.*

Value.c) *Codex MS.R.* vocat eos Wasluvven. *Krantzius Sax.l.VII.c.16.* Valnos. Walones intelligere videtur.

Camisia,d) τὰ καμίσια, linea tunica. οἱ ἀναγνῶσται κατὰ πρόσωπον τοῦ βασιλέως φοροῦντες καὶ καμίσια ἐπάνω τῶν ἱματίων, *Curopalates de offic. Constant.* Hinc ejusdem vox ὑποκάμισα, *p.141.* In camisia in foveam descendit, *Raimond. de Agiles Histor Hierosol.* Camisias, caligas & calceos mihi suggerit, *Ekkehard. de Casib. monast. c.10.* In camisia discinctu, *Legg. Salic. Tit. LXI.* Camisiam cilicinā inter vestes Caroli M. recenset *Chronicon Sangallense l.I.c.36.* Lineis camisijs usos seniores Monachos sui cœnobij scribit *Arnolfus de S.Emmerano, l. II.* Matrona camisias aurifrigio ornari fecit, *Anonym. de S. Ottone l.II.c.17.*

Harlungenberg, e) Herlingsberg, castrum in edito monte contra arces Widelagam & Fineburgum, situm fuit. Id anno 1201. ab Ottone ad affligendos Goslarienses, qui Philippum sequebantur, conditum fuit, ut narrant *H. Kornerus Chr. MS. h. a.* & *Fridericus Langius*, in Poemate de Saxonia, his versibus:

De Brunsuic natus fuerat Rex Otto vocatus,
Servivit Christo mundo dum vixit in isto,
Iste coronatus in Brunsuic est tumulatus,
Castrum fundabat Herlingsberg quod nominabat.

Vide de Herlingsberga *Henrici Roslæ* poemation, & Notas in illud *J.H. Meibomij*, viri in re literaria magni, & amici mei, dum vivebat, integerrimi.

CAPUT VI.

1. *Philippus iterum contra Ottonem movet.* - - - - - 1202.
2. *Otto cum suis Brunsuicensibus, & Henrico fratre, illi occurrit.*
3. *Philippus Henrico minatur, se ipsi Palatinatum ablaturum, ni à fratre recedat.*
4. *Hic ergo, relicto fratre, ad Philippum transit.* - - - - 1202
5. *Brunsuicenses Goslariensibus damna inferunt.*

1 Aliquantulum temporis fluxerat, & rursus Philippus cum militum manu
2 partibus Othonis appropiabat. Qui cùm Brunschwig consisteret, collecta militum multitudine vel etiam civium, qui propter continuas bellorum exercitationes gladijs & sagittis & lanceis non parum prævalent, obviam ei processit prope Goslariam castra metanti. In comitatu ejus erat frater ejus Palatinus cum copiis non parvis, quas de Aldenburg & de Stadio & ministerialium
3 suorum numero contraxerat. Cumque fratres vallati tantis exercitibus prope villam, quæ Borchtorp dicitur, consisterent, repentè quædam inopinata discordia emersit, quæ semper suos cives miseros facit juxta illud Poetæ: En quò discordia cives perduxit miseros, &c. Et illa congregatio in stuporem & mœ-

mœrorem versa,infecto negotio soluta est. Palatinus sanè,qui partes fratris instanter iuvabat,continuas minas à Philippo audiebat,quòd dignitatem Palatij,quam circa Rhenum habebat,perderet,nisi à fratre recederet. Dicebat enim se nolle tolerare,quod rebusPalatii gravaretur(a),quas ipse & non alius dispensare videretur. Durum igitur visum est Palatino,utrobiq; dispendium pati,in fratris servitio sua expendere,& neglectoPhilippo,Palatij dignitatem perdere.In ipso igitur congressionis articulo,frater regis ita locutus est clanculò:Frater,ego quidem tibi servire dupliciter teneor,& jure consanguinitatis&fide regiæ majestatis.Ut igitur plenariè tibi possim assistere,æquum est, ut aliquid emolumenti debeam à te accipere. Dimittas ergo mihi civitatem Brunschwig & castrumLichtenberg(b),ut his munitionibus roboratus,omnibus adversarijs tuis circumquaq; resistere sim paratus. His auditis frater Rex non sine indignatione respondit: Non sic, frater mi; magis expedit, me primum regni gubernacula potenter possidere, & sic omnia quæ volumus unà mecum æqualiter tenere. Nolo ,ut quadam formidine territus,aliqua modò facere videar,quæ fortè in posterum quasi pœnitens mutare compellar.Quid 4
plura?sive deliberatione,sive necessitate,Palatinus,relicto fratre, multis mirantibus,vel etiam lachrymantibus,ad Philippum transijt, & Otho in Brunschvvig redijt. Inter hæc tamen Goslarienses à Brunsuicensibus continuas 5
oppressiones seu dilapidationes tolerabant:quia eos frequenter foris negotiantes vel captivabant,vel casulis argentarijs destructis supra modum damnificabant.

gravaretur.a)scil.ipse Philippus.*Krantzius* hoc ita effert:*non diutius passurū, ut suis ab illo viribus oppugnetur,Sax. l.VII.c.17.*

Lichtenberg.b)Expugnanda etiam antè Ottoni Lichtenberga erat, quàm fratri tradere illam posset Ista enim adhuc ab hostibus Ottonis tenebatur, ut statim *cap.seq.n.1.*narratur.

CAPUT VII.

1. *Guncelinus Lichtenbergam frustra obsidet.* - - - - - 1202.
2. *Goslariæ exercitum admovet; quā captam diripit.*
3. *Ædificijs & templis parcitum est.*

POst hæcGuncelinus,dapifer regisOthonis,ipso rege inColonia morante, 1
cùm castrum Lichtenberg requirere vellet,quiaBrunsuicenses de eodem castro multas infestationes patiebantur,convocatis amicis, castrum obsedit. Sed quia nimis erat munitum,casso labore in obsidione defecerunt. Consilio 2
ergo habito , Goslariam se convertunt, & impetu valido ipsam impugnare

 cœperunt.

cœperunt. Et quia ut dictum est, ex magna parte desolata erat, nec militum manu munita, subitò ab hostibus capitur, & direptionem maximam patitur. Præsidio tamen erat Hermannus cum paucis de Hartesburg: qui quoniam resistere non valebat, irruentibus hostibus, fugiens cum suis evasit. Depopulata est igitur civitas opulenta valde, ita ut captivatis civibus, & plaustris innumeris de diversis locis adductis, per octo dies spolia deferrentur civitatis. Inter quæ erat tanta copia piperis & aromatum, ut modijs ea & acervis maxi-
3 mis dividerent. Et quia ipsa civitas diu contra Othonem steterat, alij ipsam igne supposito succendere volebant, alij ecclesias destruere parabant. Quidam etiam ecclesiam B. Matthiæ armati intrantes, coronas aureas & cætera ornamenta innumera, à regibus largè collata, deferre parabant. Sed divinitus hac voluntate mutata, obsides civium accipiunt, & civitatem usque ad adventum regis relinquunt. Placuit hoc regi, & cùm eam securius possedisset, quædam ablata civibus reddidit, & ipsam de cætero subjectam tenuit.

CAPUT VIII.

1. *Philippus nova expeditione in Thuringiam suscepta obsidet Weissensee.* - - - - - - 1204.
2. *Bohemus Hermanno Landgravio auxilio venit.*
3. *Metuens Philippi arma, per Conradum, March. reconciliari illi cupit.*
4. *Fugâ se subducit.*
5. *Landgravius à Philippo in gratiam recipitur.* - - - - - 1204
6. *Bohemius dimidia parte regni mulctatur.*

1 Post hæc (a) Philippus rex expeditionem secundam in Turingiam ordinavit, & obsidione maxima civitatem Weissensee, quæ in medio terræ Lantgrafii sita erat, vallavit. Cumque per aliquod tempus crevisset obsidio, Her-
2 mannus Landgrafius nimis afflictus erat, qui regi resistere non valebat. Ve-
3 nit tamen confœderatus suus Bojemus, auxilium amico laturus. Qui cùm esset circa Orlemunde, intelligens virtutem Philippi expavit, & qualiter evaderet, animo tractare cœpit. Contulit tamen dolosè cum Conrado, Marchione Landespergensi, qualiter ad gratiam regis, ipso mediante, venire posset.
4 Cumque Marchio id se agere fideliter spopondisset, dicebat Bojemus, quia tunc tempus instabat prandii: Vos ad castra revertamini: sciatis tamen me finaliter ad gratiam Philippi regis velle venire, & nullo modo hinc recedam (b), nisi per vos faciem ejus videam. Cùm igitur Marggrafius ad castra remeasset,

ser, ilicò Bojemus, relictis omnibus suis cum castris, excepta ferula, qua Bojemi uti solent, ascensis caballis fugam inijt. Quem cum quadringentis viris Otho, Palatinus de Wittelsbach, persecutus est usq; ad sylvam, quæ Behemerwald dicitur. Quod videns Landgrafius magis timuit, & nullum videns subterfugium, nulla prorsus conditione interposita, ad pedes Philippi supplex venit. Qui cùm diutius in terra jaceret, & eum Rex de perfidia & stultitia nimis argueret, tandem circumstantium alloquiis admonitus, eum à terra levavit, & in osculo recepit. Odackerus autem à Philippo in tantum est humiliatus, ut dimidietatem Ducatus vix obtineret, reliquam partem Theobaldus suprà dictus possideret. Nunc his omissis ad nostra revertamur.

Post hæc.a) Factum anno 1204. mense Julio, *Godefrid. Monachus, Siffrid. Presbyter.*

recedam.b) Rectè & prudenter Dux consilium fugæ milites suos celat, uti docet *Flav. Vegetius l. III. c.22.* modò tamen non solus fugiat, militibus discrimini expositis, (quod hîc Bojemus facit) sed etiam ipsorum militum saluti consulat, exemplo Adolphi Comitis, retrocedentis anno 1148. *supra l. I. c. 67. n. 9.* Alia, quæ in fuga observanda, exemplis monstrat *Jul. Frontinus Strateg. l. II. c. 13*

CAPUT IX.

1. Otto Marchio Kanutum bello lacessit. - - - - - - 1195.
2. Kanutus navali exercitu per Oderam contra eum adscendit.
3. Rügiani, Polabi & Obotriti Regis partes juvant.
4. In prælio utrinq; multi cadunt.
5. Petrus Cancellarius, Episcopus Roschildensis, copiarum Dux, capitur.
6. Morbo simulato indiligentiùs asservatus elabitur.

INterea(a) non defuerunt nova in Dania & Nordalbingia. Siquidem Otho, 1
Marggrafius de Brandeburg, infestabat Canutum regem, subjiciens sibi
quosdam Slavos, quos Rex suæ ditionis esse dicebat. Unde commotus Rex 2
expeditionem contra eum ordinavit, & classe terram suam intravit per aquam, quæ Odera dicitur, quæ in mari descensum habet. Cui occurrerunt 3
Rugiani, seu Rani, cum Polabis & Obotritis. Rex tamen in insula Möne
consistebat, Petro(b) Cancellario exercitum ducente. Cumq; eis Marchio oc- 4
currisset in multitudine militum & Slavorum, ex utraq; parte vulnerati ceciderunt. Inter alios frater Episcopi Durbernus cecidit, & Cancellarius vulne- 5
ratus in captivitatem ivit. Sicq; expeditio illa soluta est. Episcopus autem in

gravi custodia ab Othone tenebatur, sperante se per eum multos captivos recipere, vel multam partem Slaviç possidere. Aliquantulum temporis fluxerat,
6 & episcopus in custodia tenebatur. Cumq; de vulnere accepto ægrotaret, ipse callidus & astutus majorem infirmitatem de se simulabat, ut quasi seipsum desperaret. Marchio igitur quadam humanitate ductus, timens etiam infamiam, ne Episcopus in custodia nimis dura deficeret, eum indulgentius habere cœpit, deputato sibi custode quodam Ludolfo nomine. Episcopus igitur nactus opportunitatem, cum suo custode de sua liberatione tractare cœpit. Et quid plura? Custode consciente & cooperante Episcopus de custodia eripitur, & ad sua revertitur, & Ludolfus non parva mercede remuneratur.

Interea. a) Ad annum 1195. bellum hoc referunt *Krantzius Wand. l. VI. c. 37.* & *Engelius de reb. Marchic.* Ad annũ 1198. *Pontanus l. VI. in Canuto.* In fluvio, per quem classis regia, trajecto mari, subvecta sit, libri etiã non conveniunt. *MSS. L. & B.* Oderã habent; quam & *Reineccius* expressit. At *Codex MS. R. Krantzius, Pontanus* & *Joann. Meursius* Regis copias per Wernoviam, seu Varnum, adscendisse ajunt.

Petro. b) Quod Abſalon jam ætate gravis, etiam morbo impeditus, Ducis munere, uti solebat, fungi non posset, illud Petro, Roschildensi Episcopo & Regis Cancellario, ac Torberno Knarderupio, fratri ejus demandatum fuit. *Joann. Meursius Continuat. Histor. Dan. l. I.*

CAPUT X.

1. *Otho, Adolpho Comite assumto, denuo Slaviam vastat.* - - 1195.
2. *Adolphus gravem Kanuti iram in se provocat.*

1 PRoxima verò hyeme, quæ fluvios & paludes durius constrinxerat, Otho Marchio coadunato exercitu, Adolfo Comite auxilium ferente, totam Slaviam vastavit, nec terræ Ieromari, quæ Tribuses dicitur, pepercit, ita ut ipsam
2 Rugiam vastasset, si glacies stagni, quod terras dividit, soluta non fuisset. Unde Adolfus gravem Regis indignationem pertulit, & de cætero gratiæ illius alienus extitit. Sæpius enim regem offenderat, tum quia Slavos sæpius impetebat, tum quia cum Waldemaro Episcopo contra eum quandoq; senserat.

CAPUT XI.

1. *Kanutus Holsatiam invadens Reinoldesburgum usq; pervenit.* 1196
2. *Adolphus ipsi cum socijs, quos conduxerat, occurrit.*
3. *Re infecta discessum est.*

1 INstante igitur æstate, Canutus Rex contra Adolfum exercitum perduxit ad
2 Egdoram in loco qui Reinoldesburg dicitur. Cui Comes occurrit cum innumera

mera militum multitudine, auxilium ferente Othone Marchione cum armatorum multitudine. Aderat ibi Simon, Comes de Teckenburg, Bernhardus de Wilipia(a), Mauricius de Aldenburg, & alij multi. Dominus quoq; Hartuicus, Bremensis Archiepiscopus, huic collegio non defuit. Hos omnes Comes de suis sumtibus copiosè procuravit diebus non paucis, non sine admiratione multorum, quòd tantis expensis Comes sufficere potuisset. Cùm igitur aqua 3
eos ab invicem divideret, & Rex ad istos transire dissimularet, nec isti eum impetere audebant: Rex tandem castra movens, ad sua reversus est. Et ita expeditio illa sine pacis conditione soluta est.

de Wilipia, a) Fuit Bernhardus de VVelpe. *Krantz. Sax. l. VII. c. 18.*

CAPUT XII.

1. Comes Reinoldesburgum munit. 1196
2. Kanuto redeunti castellū illud tradere coactus est. 1197
3. Comes Lauenburgum obsidet.
4. Obsessi cum Canuto de arce illi tradenda occultè agunt.
5. Adolpho se dedere coguntur.
6. Adolphus Henrico Palatino reconciliatur.

TRansacta hyeme, statim Adolfus Comes castrum Reinoldesburg antiquum reædificare cœpit, sperans se hac munitione impetum Regis evadere. Sed rex non immemor suarum injuriarum, adveniente Majo, coadunato exercitu cum multitudine gravi ad Egdoram venit: nec minus Comes cum suis affuit. Qui cùm impetum Regis ferre non valeret, conditione pacis interposita, sic ad regis gratiam venit, ut ipsum castrum regi cederet, & Comes sua quietius possideret. Rex autem ipsum castrum ampliando firmiter ædificavit, collocatis illic viris & armis plurimis pontemq; latissimum super Egdoram sterni fecit, & exinde liberum exitum & introitum in terram Comitis habuit, sicq; paulatim simultates & occasiones contra Comitem exortæ sunt. Comes 3
tamen unà cum æquivoco suo Adolfo, Comite de Dasle, Lauenburg obsidere cœpit, ædificato castro Hardenburg, per quod ipsum castrum nimis arctabat, ita ut castellani nec introitum, nec exitum habere posset. Crevit igitur obsidio: quia Comes copiam navium de Hammenburg adduxerat, quas viris & armis & machinis optimè munierat. Cumq; castrum & per aquas & per terras arctaretur, & Dux Henricus, qui & Palatinus, illud liberare non posset, deficientibus jam victualibus, viri castellani de deditione castri agere cœperunt. Missis 4
igitur clanculo legatis ad Canutum regem, ei castrum offerunt resignandū.

Qui

Qui gavisus est, & gratias agens castellanis, misit ad eos Rudolfum quendam virum illustrem de Holsatia, ut ipsi castrum loco suo resignarent, & vexillo regio sibi illud intitularent, promittens se brevi venturum, & castrum de ho-
5 stibus redemturum. Quod intelligentes nepotes, ipsum castrum arctius impugnare cæperunt. Et quia victualia defecerant, ipsum sibi citius potenter subjugaverunt. Hoc audiens Rex, & callidè dissimulans, ipsos Comites am-
6 plius exosos habere cœpit. Postea tamen mediantibus amicis, Comes Adolfus ad gratiam Palatini venit, & facti sunt amicissimi, ita ut Dux patrimonio suo, quod circa fluvium, qui Gamme dicitur, habebat, eum inbeneficiaret, & Comes septingentas marcas ei persolueret.

CAPUT XIII.

1. Kanutus Rex Boruinum & Niclotum contra Comitem de Dassel emittit.
2. Niclotus in prælio cadit.
3. Slavi irritati magnam stragem in exercitu Comitis edunt.
4, Comes inde suorum odium incurrit.
5. Adolphus, Holsſ. Comes non minus propter injurias suis illatas insidijs petitur.
6. A Comite ejecti ad Kanutum, & Waldemarum Ducem confugerunt.
7. Cives Lubecenses in Sconia à Rege detinentur.
8. Waldemarus valida manu circa medium fere Septembrem Holsatiam invadit. - - - 1201.
9. Prælio Adolphum superat.
10. Itzehoam capit: Sigebergum & Travemundam obsidet: Plöna potitur.
11. Secunda expeditione circa finem Octobris Hamburgum cum copijs venit. - - - - - - 1201
12. Raceburgum deditione capit.
13. Lauenburgum expugnare non potest.
14. Etiam Witteburgum & Gadebuschum ei deduntur.
15. Lubecenses necessitate compulsi se illi permittunt.
16. Loca occupata, & adhuc occupanda Præfectis assignat.

1 INter hæc Henricus, qui & Boruinus, & Nicolaus, nepos ipsius, qui & Niclotus, de voluntate regis Canuti expeditionem in terram Comitis Adolfi de Dasle ordinaverunt., quibus idem Comes cum suis occurrit ad locum, qui Warskowe dicitur. Cumq; acies ordinassent, Nicolaus prior insultum in ho-
2 stes faciens, interfectus est, vir bonus & prudens, cujus ruina tota Slavia in mœro-

mœrorem eſt verſa, ita ut in ultionem ipſius multi perirent. Nam cognito 3
caſu tanti viri, hoſtes armis inſiſtunt, & innumera ſtrage Teutonicos proſter-
nunt, ut vix Comite cum quibusdam militibus evadente, exceptis captivis ſe-
ptingenti viri gladio interirent. Heu heu quot viduæ gemitus lachrymaſq́;
dedere. Deficientibus ſanè viris terra ſpatioſa quaſi inculta manebat, & ſpi-
nas & tribulos germinans, nec aratra nec juga boum ſentiebat. Exinde au- 4
tem Comes prædictus minus gratus terræ ſuæ fuit, utpote qui tantæ ruinæ au-
ctor extitit. Ipſe enim cum nepote ſuo Adolfo Thetmarciam, quæ regi ſub-
dita videbatur, intraverat, quam ſpoliatam non parva cæde affecerat. Non 5
minus autem Comes Adolfus inſidias ſuorum tolerabat, propter quoſdam,
quos pecunia mulctaverat, videlicet Henricum cognomine Buſche, quem et-
iam captivatum in vincula conjecerat, Eggonem quoque de Sturgia, Bruno-
nem de Tralovve. His congaudentes illi erant, quos Comes de terra ejece-
rat, & apud Ducem Waldemarum in Iutia exulabant, videlicet Scacco & fra- 6
tres ejus, Widdagus & Radulfus, Ubbo, Timo cum fratre Marquardo, omnes
conſanguinei Marcradi præfecti, qui à Comite præfato de terra ejectus, ibi-
dem exilio cum uxore, Ida nomine, defecerat. Hi cotidie per ſeipſos & per
internuncios continuè zizania diſcordiæ in terra Comitis præfati ſeminare
non ceſſabant, ita ut jam inſtante guerra, quoſdam in ſuam partem allicere
tentarent, videlicet Emmeconem de Viſcow & Vergotum de Sibrandeſdorp.
Qui ad æmulos Comitis tranſeuntes, manifeſtas inimicitias adverſus Comi-
tem Adolfum jam tunc exercere niſi ſunt. Quidam etiam promiſſionibus be-
neficiorum in partem Regis & fratris ſui Waldemari ſunt inclinati, quidam
etiam pecuniarum muneribus ſunt invitati. Cùm igitur omnes meliores in 7
partem Regis & fratris Ducis inclinati fuiſſent, circa tempus piſcationis, quæ
in Scania fieri ſolet, quas cives noſtri frequentant, ubi etiam ipſo tempore
cum navibus ſuis & rebus ſunt detenti, ita etiam ut quidam eorum in captivi-
tatem irent circa exaltationem S. Crucis, Waldemarus Dux cum expeditio- 8
ne gravi terram Comitis intravit. Cui Comes cum ſuis occurrit ad locum, 9
qui Stilnowe dicitur. Congreſſione autem facta, pars Comitis infirmata eſt, i-
ta ut multi gladijs perirent, alij verò captivitatem ſubirent. Comes autem fu-
ga elapſus in Hammenburg ſe recepit. Ipſo tempore Dux Etzeho obtinuit, 10
Sigeberg & Travenemunde obſideri fecit, Plune quoq́;, quod magnum præ-
ſidium videbatur, à ſuis hominibus capta eſt. Videns autem Dux, quòd for- 11
tuna favente introitus ſibi terræ pateret, circa feſtum Simonis & Iudæ rurſum
inſtaurato exercitu, unà cum Petro, Roſchildenſi Epiſcopo, prudente & ma-
gni conſilij viro, terram intravit. Et quia prædictus Comes jam terram exi-

erat, venit Hammenburg. Ubi occurrentibus provincialibus, honorifice susceptus est à clero & ab omni populo. Sequente verò die castra movens, venit Bergerstorp, & altera die processit Lawenburg. Comes autem de Dasle cognita virtute Ducis, timens traditionem, propter causas suprà dictas, nec mi-
12 nus & ipse terram exierat. Qui autem remanserant, timentes impetum Ducis, accepto consilio, Duci apud Lauenburg obviam venerunt, & ei castrum Ra-
13 ceburg & introitum terræ obtulerunt. Dux autem videns, quòd Lauenburg capere non posset, reædificato Haddenburg(a), relictis ibi militibus & armis
14 cum victualibus plurimis, processit Raceburg. Sicq; potito hoc castro de Wit-
15 tenburg & Godebusch(b) & ipsi dextras dederunt. Dux igitur prosperè agens, applicuit ad civitatem Lubeke famosam, sciens nomen suum dilatari, si tantæ civitati dominaretur. Cives autem propter captivos suos suprà dictos, & propter naves in Scania detentas, animadvertentes quoq; , quòd ex omni parte tota terra in conspectu Ducis parata esset, ita ut nullum introitum vel exitum nec per terram nec per mare habere possent, necessitate compulsi, consilio habito, nominatiores Duci, cùm apud Bredenvelde esset, occurrerunt, & civitatem ei dediderunt, sicq; suos captivos cum navibus & omnibus ablatis receperunt. Dux igitur acceptis obsidibus tam de hac civitate quàm de alijs civitatibus & castris, ad sua cum gaudio reversus est, præficiens castro Sigebergensi Advocatum Timonem, quod tamen per ipsum adhuc in obsidione laborabat. Fratrem quoq; ejus deputavit Travenemunde, quod adhuc homines Comitis tenebant. Scacconem etiam Comitem Thetmarciæ declaravit, & fratrem ejus Widdagum Plune præfecit. Radulfum quoq; in Hammenburg locavit: ut qui propter ipsum exulaverant, per eum majora reciperent.

Haddenburg. a) Capite superiori, *n. 4.* vocatur *Hardenburg.* Et iterum *Haddenburg*, infra *c. 15. n. 4.*

Godebusch. b) Witteburgum & Gadebuschum occupavit, quia Comes Suerinensis arma cum Adolpho conjunxerat.

CAPUT XIIII.

1. *Adolphus Com. Hamburgum circa exitum Novembr. occupat.* 1221.
2. *Quòd Lauenburgum &c. adhuc teneret, cætera loca amissa se recuperaturum sperat.*
3. *Waldemarus tertia expeditione in Holsatiam Adolphum Hamburgi obsidione cingit.*
4. *Adolphus in deditionem Lauenburgi consentit.*
5. *Ditmarsi Adolphum obtruncare volunt.*
6. *Cùm præsidiarij Lauenburgum tradere nollent, Comes captus in Daniam abductus est.*
7. *Illi ex arce excursiones faciunt.*

Post

POst hæc Comes Adolfus de Schawenburg dolens de perditione terræ suę, circa festum B. Andreæ contractis navibus & copijs de Stadio, quod adhuc tenebat, occupavit Hammenburg. Unde territi homines Regis sive Ducis cum Radulfo Advocato fugam inierunt. Comes verò sperans se prosperè agere 2
propter castra, Lauenburg videlicet, & Sigeberg & Travemunde, quæ adhuc cum ipso sentiebant, & propter quosdam provinciales, qui spem bonam, in dolo tamen, ei faciebant, in ipsa civitate usq; ad nativitatem Domini, sinistro tamen omine, perduravit. Siquidem Waldemarus Dux, audito introitu Adolfi 3
Comitis, impiger ad expeditionem se præparans, evocatis omnibus amicis de Nordalbingia, Slavia, Thetmarcia, ad obsidionem ejusdem civitatis properavit. Nec defuit Comes Guncelinus cum Henrico Boruino, auxilium devotè ferentes. Comes autem seductus à referentibus, qui eum fraudulenter certum fecerunt, nullatenus Ducem venturum propter festum Nativitatis, quod Dani festivis potationibus honorare solent, hac inquam fiducia seductus, repentè circa virgiliam Nativitatis Ducem cum infinitis sensit adesse. Sed tunc effu- 4
gium non patebat: quia horrore hyemis tota Albia & Halstera constricta erat. Comes igitur in arcto positus, quid faceret, quo se verteret, ignorabat: quia ex omni parte inimicorum rabies eum urgebat. Tractabat cum suis, si fortè nocturno tempore, alijs quiescentibus, ad arma convolans, violenter exire posset. Sed nec hæc stare poterant, propter maximas copias, quæ undiq; per circuitum ordinatæ erant. Cumq; dies B. Stephani advenisset, sic ordinatum erat, ut Comes Lauenburg Duci redderet, & ipse cum suis liberè abiret. Ad hoc negotium deputatus est Guncelinus, Comes de Suerin, qui Comitem sub pacis conditione Lauenburg conduceret, ut promissum Comes fideliter persolveret. Cùm autem cognovissent Thetmarci, Comitem de civitate egres- 5
sum in castris Guncelini consistere, sive ex deliberatione propria, sive instinctu aliorum in unum conglobati, rupto pacis fœdere, Comitem occidere conati sunt. Facto igitur tumultu, Guncelinus cum suis fortiter resistebat. Sicq; 6
supervenientes principes Ducis, Adolfum Comitem de occisione liberaverunt, qui tamen arctius custobiebatur. Dux igitur castra movens, cum Adolfo venit Lauenburg, ut promissum persolueret. Qui cùm castellanis suppliciter satis loqueretur, ut sui miserentes, castrum pro sua liberatione redderent, illi nulla ratione acquieverunt. Et exinde Comes compedibus & vinculis constrictus est. Sicq; non sine contumelia per omnia loca, quibus antea domina- 7
batur, deductus, Daniam captivus intravit. Dani autem cognita captivitate sui inimici, in omnibus civitatibus & vicis, ut tempore Saul Philistæi fecerunt, omnibus ad plausum & exultationem hoc nunciaverunt. Inter hæc Lauenburgenses sæpius erumpentes, terram satis inquietabant,

CAPUT XV.

1. Kanutus sororem Wilhelmo, Leonis filio, nuptum dat.
2. Lubecam magno apparatu ingreditur. - - - - - - 1202.
3. Travæmünda & Molna ipsi deduntur.
4. Dux Lauenburgum frustra oppugnat.

1 NOn autem oblivifcendum, quòd Dn. Canutus Rex, in beneplacito fratris Waldemari, sororem suam Helenam cum magna solennitate Dn. Wilhelmo, filio Ducis Henrici, sociavit. Unde lætati sunt omnes amici Ducis, & omnis terra Holsatorum Sturmariorum, sperantes eum cum sorore Dn. Regis totam terram habiturum. Sed fefellit opinio. Ipse tamen gener Regis sæpius à rege & fratre Duce in multis honoratus, dignitatem sui nominis multis
2 præferebat. Proxima æstate Dn. Canutus Rex venit Lubeke, & gloriosè
3 susceptus est à clero & ab omni populo. Ad cujus introitum deditum est castrum Travemunde, quod Regi non parvam fecit lætitiam. Provinciales quoq; accurrentes, omni alacritate obsequio regis se exhibuerunt. Rex igitur procedens Mulne, & acceptis obsidibus prius neglectis, ad sua revertitur,
4 fratre Duce procedente Lawenburg. Quod cùm capere non posset, reædificato castro Haddenburg, quod Lawenburgenses destruxerant, firmatisq; præsidijs, ad propria revertitur.

CAPUT XVI.

1. Dux ipse ad obsidionem Segebergi accedit. - - - - - - 1202.
2. Obsessi æquis conditionibus dimissi.
3. Dux nuncio de Kanuti morte accepto domum properat, & regno potitur. - - - - - - 1202.

1 HIs ita gestis, Dux videns, quòd sui in obsidione Sigebergensi deficerent, eo quòd castellani propter munitionem loci sæpius villanis porcos vel boves vel quælibet alia, quæ ad victũ pertinent, violenter auferrent, nonnullos etiam resistentes graviter sæpius vulnerarent, ipse per semet ipsum impatiens otij castrum vallavit, & omni eruptione ablata, graviter inarctavit. Cumq; pro diutina obsidione victualia castellanis deessent, nimis arctati, sperantes liberationem, longa famis inedia castrum viriliter tenebant. Et cùm (a) nihil esurientibus superesset, ipsi tamen non minus instrumentis ferreis mo-
2 lares cædebant, ut crederent adversarij, farina & panibus eos abundare. Tamen pertæsi tanti laboris & obsidentes & esurientes, castrum deditum est ea con-

conditione, ut castellani patrimonia sua, seu beneficia, ut antè, possiderent, &
cum omni pace omnem supellectilem, vel quicquid in castro possiderent,
liberè deferrent. Cumq; Dux castrum suis locasset, & ad sua cum gaudio re- 3
mearet, repentè sinistrum accepit nuncium, videlicet fratrem regem mor-
tuum(b). Unde exterritus, velocius accelerat reditum, utpote fratris acce-
pturus regnum. Cumq; multa concordia regnum adeptus fuisset, in natiui-
tate Domini percepta benedictione regali à venerabili Lundensi Archiepi-
scopo Andrea in ipsa ciuitate in regni sedem gloriosè sublimatus est.

Et cùm. a) Hujusmodi consilio haut rarò obsidentes elusi. Romani, cùm à Gallis Capitolium obsideretur, in extrema jam fame ad speciem fiduciæ, panes ab arce jaculati sunt, consecutiq;, ut abundare commeatu viderentur, obsidionem, donec Camillus subveniret, toleraverunt. *Florus l. I. c. 13.* Hinc apud *Ovid. Fastor. l. VI.*

- - - - jaciunt Cerealia dona
Jacta super galeas scutaq; longa sonant.
Posse fama vinci spes excidit: hoste repulso,
Candida pistori ponitur arca Jovi.

Argumentum hoc, *quomodo efficiatur, ut quæ deerunt, abundare videantur,* tractat *Jul. Frontinus Strateg l. III. c. 15. toto.* Narrat simile exemplum *Polyænus Strategem. l. VII. in Mygdonio.*

mortuum. b) Anno 1202. III. Id Decembris, vel II. Id. Nov. ut habet *Erici Regis Chronicon.* Adde *Pontanum l. VI. h. anno.*

CAPUT XVII.

1. *Waldemarus Lubecæ Rex Slavorum, & Nordalbingiæ Dominus proclamatur.* - 1 - - 1203
2. *Lauenburgum magna vi, sed iterũ frustra tentat.*
3. *Obsessi in eam conditionem arcem dedunt, ut Adolphus Com. liberetur.* - - - - - - 1203.
4. *Adolphus datis obsidibus dimittitur.*
5. *Schawenburgum commigrat.*

HIs ordinatis, circa Augustum rex Wlademarus cum magna gloria & in- 1
finita multitudine venit Lubecam, ibiq; cum multa iucunditate Rex
Danorum & Slauorum, & Nordalbingiæ Dominus salutatur. Sicq; prose- 2
quente Archiepisc. Lundensi, & fratre ipsius Petro Roschildensi, cum cæte-
ris Episcopis, Præpositis, primoribus Nordalbingis, Thetmarcis, Slauis,
Rugianis, maxima virtute vallat castrum Lawenburg. Cumq; castra meta-
tus fuisset, erexit machinas multas siue alia castrorum tormenta. Viri quoq;
balistarij continuè castellanos inquietabant, & vicissim vulnera dabant &

3 accipiebant: nec deerant inter has alternationes funera morientium. Cumque diutius hæc fierent, & Rex castro dominari non posset, eò quòd castellani viri bellatores essent, & castrum nimis munitum fuisset, tandem conditione pacis interposita, colloquium regis castellani exposcebant, in quo de liberatione Comitis tractatum est. Et sic mediante Archiepiscopo, & fratre ejus Cancellario, cæterisque Episcopis & primoribus, definitum est, ut castellani castrum
4 dederent, & Comes datis obsidibus à captivitate solueretur. Dedit igitur Comes duos filios suos, & filium cognati sui, Ludolfi(a) de Dasle, & filium Comitis Henrici de Dannenberg, præterea octo pueros ministerialium suorum. Et jurejurando firmatum est, ut obsides post decem annos liberi essent. Si verò Rex intra hos annos vita excederet, obsides redderentur: si autem Comes
5 deficeret, non minus hoc fieret. Sic castrum redditur, & Comes gaudens Schawenburg revertitur.

Ludolphi. a) *Adolphi* rescribendum est; Id enim nomen Comiti de Dassel fuit; & retinet illud *Krantzius Sax. l. VII. c. 21.*

CAPUT XVIII.

1. Waldemarus, Episcopus, etiam liber dimittitur, ea lege, ut apud Papam degat. - - - - - - - - - - - - - - *1206.*
2. Postea ad Philippum, Regem Rom. se contulit.

1 INterea(a) tamen concaptivus ejus Waldemarus Episcopus in vinculis perdurabat. Sed pietate Dn. Andreæ Archiepiscopi & aliorum, qui pro ipso movebantur, à captivitate tandem hoc modo liberatus est. Quia enim idem Waldemarus vir nobilis erat, regis Canuti filius, magni patrimonij hæres, & contra Canutum regem & fratrem Waldemarum tunc Ducem, nunc autem Regem, tenserat, suspecta multis ejus videbatur liberatio. Unde consilio habito, ipsum negotium communicatum est Dn. Apostolico. Ipso ergo per suos nuncios mediante, Dn. Waldemarus tali modo liberatus est, ut nunquam in tali vicinia esset, ubi regi Waldemaro cognato & æquivoco, importunus existeret. Et hoc ab ipso Waldemaro Episcopo sacramentaliter firmatum est. Rex igitur datis expensis, ad Dn. Papam eum misit, ut apud ipsum con-
2 sisteret, quousque eum episcopio excellenti sublimaret. Waldemarus tamen hoc ex parte non persoluit, & medio tempore Philippo regi se conjunxit, & injuriatum se à Waldemaro rege conquestus est. Unde quidam eum pejerasse contendunt.

Interea, a)

Interea,a) Captus fuerat Waldemarus anno 1192. *supra lib. IV. cap. 17. n. 3.* Primùm in arce Burlund, non longè à pago Heldevvad, in carcerem conjectus est, ut in *Notis* ibidem ex *Cypræo lib. I. c. 28.* narravimus. Juxta *Joh. Meursium Contin. Histor. Dan. l. I. ann. 1192.* primùm Norburgum, Alsiæ arcem, abductus est. Ubi postquam annos quinq; exegisset, in Selandiam traductus, arci Sæburgensi inclusus, annos novem in ea detentus est. Nunc anno 1206. liberatur, *Erici Chronicon* & *Meursius*. Intersunt anni quatuordecim, quos in custodia fuit. Non rectè ergo annos captivitatis supputat *Cypræus. l. II. c. 2.* cùm septem annos illum in custodia hæsisse scribit. Intercedebant pro ipso Regina, Episcopi Daniæ, & inprimis Andreas, Archiepiscopus Lundensis, alijq; è Proceribus; quin Romanus etiam Pontifex per Fidentium Cardinalem, literasq; scriptas regem solicitabat. In has ergo conditiones dimittitur: ut regno statim excederet: nec in id rediret unquam, aut perniciosum quicquam moliretur, ageretve ijs locis, ubi meritò Rex suspectum habere posset. In quæ verba jurejurando obstrictus, Romam abijt, tantisper ibi commoraturus, dum de alio Episcopatu à Pontifice ipsi prospectum esset.

Dum VValdemarus Bononiæ degebat, moritur Hartvvicus II. Archiepisc. Bremensis. Canonici plerìq; VValdemarum eligebant, quòd sperarent se hac ratione jus Episcopæ in Regna Septentrionalia, quod amiserant, recuperaturos. Opponebat se Burchardus Præpositus, qui ipse Episcopatum affectabat. VValdemarus cum decreto Electionis Romam profectus, ab Innocentio III. confirmationem petebat. Eam antequam impetraret, advenere Hamburgenses, & cum his Regis Orator Petrus Præpositus Roschildensis, confirmationem illius impedituri. Illi quidem electioni intercedebant in gratiam VValdemari Regis, sub cujus imperio tunc erant: caussam tamen hanc afferebant, quòd contra antiquum jus ecclesiæ suæ in eligendo Episcopo essent præteriti, cùm ecclesia Hamburgensis mater ecclesiæ Bremensis sit, & antiqua consuetudine receptum, ut antistitem sibi utraq; æquo jure ac consensu constituat. Petrus autem VValdemarum graviter accusabat, quòd juratam pridem fidem non servasset. Nullum enim locum Bremâ majori jure suspectum esse, Cimbriæve infestandæ magis opportunum. Pontifex his auditis VValdemarum abstinere Episcopatu Bremensi jussit. Ille Pontifice insalutato se ex Italia proripiens aliâ via rem aggrediendam ratus, ad Philippum Imperatorem accessit, quòd sciret, hunc non tantùm Pontifici Romano, à quo sacris ei interdictum erat, infensum, sed etiam in Regem Daniæ infesto esse animo, ob contractam cum Othone, itidem nunc Imperatore & hoste suo, affinitatem, nec non ob submissa eidem quadringentorum equitum auxilia. Philippus VValdemarum comiter exceptum, statim addita armata manu Bremam ad occupandum Archiepiscopatum misit. Bremenses, qui elegerant, ultro illum receperunt. Pontifex Rom. graviter hac re offensus VValdemarum anathematis sententia damnavit. Vide infra *l. VII. c. 12.*

CAPUT

CAPUT XIX.

1. *Auctor pollicetur, se res à Christianis in Syria gestas enarraturum.*
Epistola I. Balduini, Comitis Flandriæ.
2. *Balduinus fœdere facto cum Alexio Angelo juniore, exule, exercitum Constantinopoli 6. Julij admovet.* - - - - - - - - 1203.
3. *Cives tuentur Alexium Comnenum.*
4. *Balduinus urbem expugnat, octavo obsidionis die.* - - - - 1203.
5. *Alexius Comnenus fugit.*
6. *Alexius junior imperium recipit.*
7. *Isaacius, pater ejus, è carcere extrahitur.*
8. *Alexius Balduino & Venetis promissa partim solvit, partim se soluturum pollicetur.*
9. *Balduinus & Veneti Constantinopoli hybernant.*
10. *Balduinus Soldano Babyloniæ bellum denunciat.*

1 NUnc(a) his omnibus omissis ad Græciã transire cogimur, ut nova & mirabilia, quæ illic Domino operante, sive permittente, facta sunt, & præsentibus & posteris, pro ut nobis de veritate constat, insinuemus. Magna quidem & præclara & relatu digna ibi à Latinis gesta sunt. Sed utrum Dei facta sint an hominum, necdum dignus finis declarat. Ideoq; Deo permittente præmissum est: quia sæpe videntur aliqua fieri in ecclesia magis ex Dei permissione quàm operatione, licet ipsa Dei permissio rectè ipsius intelligi possit operatio. Ipse enim Sathana expetente Iob affligi permisit, licet ipsius afflictio Sathanæ fuerit dejectio, & viri sancti glorificatio. Operante enim Deo, quasi ipsius permissione tentatus est Iob, ut virtus patientiæ Deo soli cognita electis proficeret in morum doctrina. Quod bene intelligens vir sanctus, post damna rerum, post occisionem pignorum, sic ait: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Diabolus enim ex quo veritatem deseruit, & à Deo & angelorum consortio, quibus prælatus erat, se elongavit, sicut nihil habet proprietatis præter malitiam propriam, ita per se nihil habet potestatis. Cùm igitur aliqua permissus facit, ipse quidem agit quasi vastator, Deus autem quasi miserator, cujus voluntati dum quasi ex malitia subditur, ipso nolente quod Deus vult, perpetratur. Nos tamen hac serie postposita, veniamus ad promissa. Circa tempora dierum illorum talis epistola de partibus Græciæ Dn. Othoni Regi fuit directa.

Excellentissimo Dn. Othoni, Dei gratia Romanorum Regi & semper Augusto, Balduinus (b), Flandrensis & Henneg. Ludovicus, Blezensis & Clar. & Henricus S. Pauli Comites, cæteriq; Barones & milites exercitus signatorum in Stolio Venetorum cum amoris plenitudine & honoris, paratum semper obsequium.

QUanta (c) fecerit nobis Dominus, imò non nobis sed nomini suo quantā 2
gloriam dederit his diebus, quanta possumus brevitate perstringamus, ipso prænotantes initio, quòd ex quo urbem transgressionis exivimus (sic enim Iaderam nominamus, cujus excidium vidimus, dolentes quidem & necessitate compulsi) nihil inter nos ordinatum esse meminimus, quod communiter ad utilitatem pertineret exercitus, quin illud in melius providentia divina mutaverit: sibiq; totum vendicans, stultam fecerit sapientiam nostram. Hinc est, quòd eorum, quæ facta sunt apud nos gloriosè, omnem à nobis gloriam jure repellimus: quippe qui operis adhibuimus parum, consilij nihil. Unde necesse est, ut, si quis ex nobis voluerit gloriari, in domino glorietur, non in se vel in altero. Fœdere igitur Iaderæ confirmato cum illustri Constantinopolitano quondam Imp. Isaaci filio, Alexio, cùm victualibus (d) omnibus & rebus egentes, terræ sanctæ videremur gravamen potius allaturi, sicut alij ex nobis, qui nos præcesserant, quàm levamen aliquod allaturi, nec terræ Sarracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare posse, verisimilibus quidem omnino rumoribus & argumentis inducti, quòd dicti Alexij suspiraret adventum regiæ civitatis pars potior & pondus Imperij, quem electione concordi cum solennitate debita imperiali diademate sublimasset contra consuetum ordinem temporis, aura favente, obœdientibus Domino ventis & mari, ad urbem regiam præter omnem spem prosperè applicuimus, & in brevi. Sed nec adventavimus improvisi, qui usq; ad sexaginta millia equitum, præter pedites in urbe reperimus. Et transilientes loca tutissima, pontes, turres & flumina sine damno nostrorum, terra mariq; obsedimus civitatem, & Tyrannum pariter, qui commisso in fratrem parricidio, fasces imperj diutina incubatione polluerat. Contra omnium ergo opinionem, universorum civium men- 3
tes contra nos invenimus obfirmatas, nec aliter contra Dominum suum civitatem muris & machinis obseratam, quàm si adventasset populus infidelis, qui loca sancta polluere, & religionem Christianam inexorabiliter evellere proponeret. Imperij siquidem crudelissimus incubator, Domini & fratris sui proditor & orbator, quiq; eundem carcere perpetuo sine crimine condemnasset,

idem filio ejus illustri Alexio facturus, si non eundem à manibus ejus felix eripuisset exilium, præhabita in populo detestabili concione, potentes simul & plebem sermonibus adeò infecerat venenatis, ut ad subversionem libertatis antiquæ Latinos assereret adventare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere, & Latinorum legibus Imperium subjugare properarent. Hæc profectò res sic omnes contra nos animavit pariter & armavit, ut contra nos & exulem nostrum viderentur omnes pariter conjurasse. Sæpius ergo per nuncios, imò per ipsum exulem nostrum & Barones nostros, seu etiam nosmet ipsos, à civibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam nec petitionis modum explicare potuimus, sed quoties terra vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, toties retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quòd præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, ut statim necesse haberemus aut perire aut vincere, cùm obsidionem ipsá nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium omnium incredibilis urgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed inspirata quadam securitate divinitus suspirare cœpimus ad bella promtissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere. Ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinati, inæstimabilem multitudinem fuga igno-
4 miniosa in urbem conclusimus. Aptatis igitur interim terra mariq; bellicis instrumentis, die obsidionis (e) octava violenter civitas introitur, grassatur incendium, disponit in campo contra nos aciem Imperator, & paratis nobis ex-
5 cipere venientes, constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiosè frena reflectit, & in urbem retrogressus ardentem, ipsa nocte fugam cum pau-
6 cis aggreditur, suamq; in urbe reliquit uxorem & parvulam prolem. Ea re comperta, Græcorum proceres in palatio congregantur, & exulis nostri solennis celebratur electio, seu potius restitutio declaratur, insperatamq; lætiti-
7 am copiosa in palatio luminaria protestantur. Mane facto, procedit in castra inermis Græcorum procerum multitudo, suumq; cum gaudio quærit electum, restitutam civitati asserit libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperij cum gaudio inæstimabili sublevatum de carcere caput patris Isaaci, quondam Imperatoris, ostendunt. Præordinatis itaq; quæ necessaria videbantur, ad ecclesiam S. Sophiæ (f) novus Imperator cum solenni processione deducitur, & exuli nostro sine contradictione imperiale restituitur diadema cum
8 plenitudine potestatis. His peractis (g) ad solutionem promissorum prosilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia servitio Domini profutura nobis omnibus præbet in annum, ducenta marcarum millia nobis soluere pergit, & Venetis, suisq; sumtibus stolium (h) nobis in annum: seq; juramento obstringit,

ſtringit, quòd exire nobiſcum debeat regale vexillum, & in paſſagio(i) Mar-
tij nobiſcum ad ſervitium Domini proficiſci cum quantis potuerit millibus ar-
matorum: & ſub eadem promiſſione concludit, quòd eam reverentiam præ-
ſtare debeat Romano Pontifici, quam anteceſſores ſui Imperatores catholi-
ci prædeceſſoribus ſuis pontificibus quidem impendiſſe noſcuntur, & eccleſi-
am orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare. Tantis igitur utilitatibus 9
provocati, ne ſalutem, quam dederat Dominus in manibus noſtris, ſpernere
videremur, & vertere in opprobrium ſempiternum, quod ad honorem nobis
incomparabilem ceſſiſſe videbatur, promta devotione conſenſimus, & ibi-
dem hyemem, Deo dante, facturi, ad partes Ægypti proximo paſſagio tranſ-
meare tam certo propoſito quàm irrevocabili, quantum in nobis eſt, prom-
ta voluntate ſumus aſtricti. Et nunc ſi quid ex his, quæ acta ſunt vel agenda,
meriti vel gratiæ vel etiam gloriæ præſtolamur, ſerenitatem veſtram in Do-
mino deſideramus eſſe participem, imò principem. Nos interim Soldano 10
Babyloniæ, terræ ſanctæ impio detentori, præmiſimus nuncios noſtros, qui
ex parte regis ſummi Ieſu Chriſti Nazareni, & ſervorum ejus, dicti videlicet
Imperatoris, & noſtra regaliter debeant intimare, quod devotionem populi
Chriſtiani, incredulę genti ſuæ, Deo donante, in proximo proponamus oſten-
dere, & ad contritionem infidelitatis de cœlo nos expectare virtutem. Hæc
autem fecimus de veſtra potius ſub Domino, & aliorum Chriſtiani nominis
zelatorum, quàm de noſtra virtute confiſi, qui conſervos noſtros eo devotius
ac vehementius nobis deſideramus adjungi, quo meliores & plures regis no-
ſtri miniſtros nobiſcum viderimus decertare; ne Iudæis pridem traditus, ſed
jam aſſumtus in gloria, illudendus de cætero gentibus relinquatur.

Nunc. a) Cùm Galliæ & Angliæ Reges relictâ Syria domum rediiſſent, Fulco ſacerdos in Gallia denuo crucem ſuſcipiendam multis ad Principes & populum orationibus habitis ſuaſit. Multi cruce ſignati. Novæ hujus expeditionis Hieroſolymitanæ præcipuè auctores & duces fuere Bonifacius Monferratenſis, Balduinus Flandriæ, Henricusq; Pauli Comites. Hi diverſis itineribus anno 1202. viam ingreſſi, Venetijs in inſula S. Nicolai conveniunt. Ibi commeatu deſtituti, à Venetis pecunias mutuas ſumpſerunt, & ob eam rem illis obnoxij, operam ſuam illis in caſtiganda Iſtria, & Jadera, quæ Venetum imperium adſpernata, ad Belam, Ungarorum Regem, defecerat, pollicentur. Ergo Veneti Henrico Dandulo Duce cum his ſuis ſocijs, ducentarum & quadraginta navium claſſe inſtructi, Iſtriam & Dalmatiam adoriuntur. Iſtriâ ad officium redactâ, repente Jaderæ claſſis admota. Eam Emericus, Ungariæ Rex, Belæ filius, ex paterno inſtituto, fortiſſimo præſidio inſtruxerat. Urbs gravi obſidione preſſa, & utrinq; atrociter pugnatum eſt. Donec obſeſſi, & præcipuè defectionis auctores, deſperatis rebus ac venia dilapſi hoſti occupandæ urbis poteſtatem fecere.

Ooo 2 Ita

Ita Veneti Jadera potiti, sæviente hyeme, captæ urbis amore, cum socijs apud Jaderam hybernant. Dum in Dalmatia tot populorum hæret exercitus, ecce puer Alexius, Isaaci filius, cujus soror Philippo Germaniæ Regi nupserat, quiq; patrui sceleratas manus effugerat, cum Philippi, Affinis sui literis commendatitijs ad Gallos Duces & Venetos venit, supplexq; illorum opem implorat, contendens, ut Constantinopolin expugnent, & Alexio, qui regnum per summam injuriam atq; tyrannidem invaserat, ejecto, se in paternum regnum reducant. Quod ut facilius impetraret, stoli, i. e. expeditionis istius impensas & ampla præmia promittebat. De toto hoc bello diserte & fusissime *Nicet. Choniata à lib. III. de Alexio Comnen. c. 9.* usq; ad finem historiæ suæ. *Georg. Phranza l. I. c. 37. Mar. Sanut. l. III. part. II. c. 1. Anton. Sabellic. Dec. I. lib. 8. Petrus Bizarus Histor. Genuens. l. II. anno 1203.* Idem *l. I. de bello Veneto. Anton. Bonfin. rer. Ungaric. Dec. II. lib. 7. Petrus Marcellus de Ducib. Venetis in Henr. Dandulo.*

Balduinus, b) Balduinus & Henricus fratres, Flandriæ & Hannoniæ Comites fuerunt. Kanutus S. Rex Daniæ, ducta in matrimonium Adala, Roberti Flandriæ Comitis filia, genuit Carolum. Qui patre à Danis interfecto, cum matre in Flandriam se contulit, eamq; regendam anno 1118. suscepit. Hoc etiam sine liberis à suis interfecto, Comitatus Guilielmo Normanno anno 1127. datus est. Postquam & hic in prælio cecidisset, Comitatus ad Theodoricum Alsatium pervenit, qui Suanildem, Caroli Dani viduam, duxerat. Ex hoc conjugio nati Philippus, qui in Syria ad Ptolemaidem peste interijt, & Margareta. Hæc cùm Balduino, Hannoniæ Comiti, nupsisset, filios Balduinum & Henricum, Flandriæ & Hannoniæ Comites, reliquit, qui postea Imperatores Constantinopolitani facti sunt. *Anonymus scriptor Regum aliquot Daniæ, c. 8. Jacob. Marchantius de Principib. Flandriæ, Elias Reusnerus Operis genealog. Auctario.*

Quanta, c) Duæ hîc Balduini sequuntur epistolæ. Prior ad Othonem Imperatorem perscripta est, quâ Balduinus priorem urbis Constantinopolis expugnationem exponit: Posterior est ejusdem Balduini, jam Imperatoris Constantinopolitani, ad universos in Occidente sacri & politici ordinis viros, quâ quid anno sequenti inter Constantinopolitanos & Latinos gestum, & quomodo altera vice Constantinopolis expugnata sit, enarrat. In utraq; epistola, inprimis tamen in posteriori, mendæ insunt. Sed est, unde utriq; mederi queamus. Insertæ sunt à *Godefrido Monacho* duæ epistolæ Annalibus, ad ann. 1203. quarum prior est Henrici Comitis de S. Paulo, in qua ille argumentum prioris epistolæ Balduini totum etiam ad Ducem Brabantiæ perscribit. Posterior est ipsius Balduini ad Adolphum, Antistitem Coloniensem, quæ pene eadem est cum illa, quam idem ad universos scripserat. Hæc cum correctior apud Godefridum exstet, multum ad supplendos defectus & tollendas mendas epistolæ nostræ, quæ *cap. XX.* sequitur, juvabit.

victualibus. d) ægre admodum militibus sacræ expeditionis à Ducibus persuasum est, ut declinato itinere Constantinopolim progrederentur, nec ullo argumento Duces movere illos potuere, quàm quòd inopiam commeatus ipsis objicerent, *Henricus Comes in lit. p. 269.*

die obsid, e)

die obsid. e) Fuit dies Jovis. Et tunc fuerunt octo dies completi à civitatis obsidione, inquit *Idem p. 271.*

Sophiæ. f) Imperator enim ἄγεται εἰς τὸν τῆς ἁγίας σοφίας ναὸν, ὅπου δεῖ αὐτὸν στεφθήσεσθαι, *I. Curopalates de coronat. Imperatoris, p. 181.* Sic apud Arnoldum *Cap. seq. n. 7.* populus Constantinopolitanus Nicolaum quendam apud S. Sophiã Imperatorem proclamat. Est hoc templũ primùm â Constantino M. inchoatũ, & à Constantio, filio ipsius, absolutum, atq; S. Sophiæ, i.e. æterno Dei filio dedicatum, *Nicephorus Callist. l. VII. c. 49. l. IX. c. 9. l. XVII. c. 10.* Conflagravit hoc templum anno quinto Justiniani Imperatoris, qui est annus CH. IↃXXXI. in gravissima populi seditione. Annum hujus incendij perspicuè *Georgius Cedrenus de Imp. Justin. p. 303.* exprimit, cum ait: Τῷ ε ἔτει γέγονεν ἡ ἀνταρσία τοῦ λεγομένου, Νίκα. καὶ ἔστεψαν οἱ τῶν δήμων βασιλέα, Ὑπάτιον τὸν συγγενῆ Ἀναστασίου τοῦ βασιλέως. ἐκάυθη δὲ πολὺ μέρος τῆς πόλεως, ἤτε μεγάλη ἐκκλησία. Eundem notat *Job. Zonaras Annal. Tom. III. p. 50.* ubi de incendio ita: κατὰ δὲ τὸ πέμπτον ἔτος τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ἀστέρος ὤφθη φαῦσις κομήτου. & post pauca: οἱ δὲ μανίᾳ ληφθέντες, πῦρ ἐνιᾶσι τοῖς οἴκοις. πνεύματος δὲ σφοδροῦ πνέοντος τηνικαῦτα, ἡ φλὸξ ἤρτο ταχέως ἀέριος, καὶ πολλὰς μεγίστας τε καὶ καλλίστας οἰκοδομὰς κατηθάλωσε &c. καὶ αὐτὸ τὸ θεῖον τέμενος τοῦ μεγάλου ναοῦ, ὃν ὁ βασιλεὺς κωνστάντιος ἐδομήσατο. Adde *Procopium. l. I. de bell. Pers.* Anno autem secundo post incendium (is fuit Imperatoris septimus, CH. IↃXXXIII.) fundamenta templi denuo jacta sunt. *Cedrenus ita:* Τούτου τῷ β ἔτει, ἀνεκαίνισεν ἐκ θεμελίων Ἰουστινιανὸς τὴν τοῦ θεοῦ μεγάλην ἐκκλησίαν εἰς κάλλος καὶ μέγεθος ὑπὲρ τὸ πρότερον. Item *Zonaras:* ἐν δὲ τῇ στάσει ταύτῃ ὡς εἴρηται, τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καυθείσης, ἧς δομήτωρ ἦν ὁ αὐτοκράτωρ κωνστάντιος, ἑτέραν πολλῷ μείζω καὶ περιφανεστέραν ὁ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς ἐπήρξατο καινουργεῖν, τῆς οἰκοδομῆς αὐτῆς ἀρχθείσης κατὰ τὸ ἑξακισχιλιοστὸν τεσσαρακοστὸν ἔτος. Egregia & prolixa totius ædificij extat descriptio apud *Procopium* in περὶ τῶν τοῦ Ἰουστινιανοῦ κτισμάτων, *Orat. I.* qui quum conderetur, adfuit. Ita autem ille: Ἄνδρες ἀγελαῖοι ποτὲ καὶ ὁ συρφετὸς ὄχλος ἐμπρῆσαι τὴν τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίαν ἐτόλμησε. σοφίαν καλοῦσιν οἱ βυζάντιοι τὸν νεὼν, ἐπὶ τὰ καιριώτατα τῷ θεῷ τὴν ἐπωνυμίαν ἀπειργασάμενοι. ἐπεχώρει αὐτοῖς ὁ θεὸς διαπράξασθαι τὸ ἀσέβημα, προειδὼς εἰς ὅσον κάλλος τοῦτο τὸ ἱερὸν μεταστήσεσθαι ἔμελλεν. ἡ μὲν ἐκκλησία ἐξηνθρακωμένη, τότε ξύμπασα ἔκειτο. Ἰουστινιανὸς δὲ τοιαύτην ἀποτετόρευται πολλῷ ὕστερον, ὥστε εἰ πρό-

τερόν τις ἐπύθετο δείξας τί τῶν νῦν φαινομένων ἐκλύπωμα, εὔξασθαι ἂν διολωλέναι ταύτην, ὅπως ἐς τὸ παρὸν μεταβεβλημένην σχῆμα θεάσαιτο. τοῦτο γὰρ τεχνίτας ὁ βασιλεὺς ἐκ πάσης γῆς ἤγειρεν ἅπαντας, ἀνθέμιον τραλλειανὸν ἐπὶ σοφία τῇ καλουμένῃ μηχανικῇ μηχανώτατον οὐ τῶν καθ' ἑαυτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν αὐτοῦ προγεγενημένων σπουδῇ τοῖς τεκταινομένοις τὰ ἔργα ῥυθμίζειν, τῶν τε γενησομένων προδιασκευάζειν ἰνδάλματα, ἰσίδωρόν τε τὸν μιλήσιον μηχανοποιόν. Θέαμα τοίνυν ἡ ἐκκλησία κεκαλλιστευμένον γεγένηται, τοῖς μὲν ὁρῶσιν ὑπερφυές, τοῖς δὲ ἀκούουσι παντελῶς ἄπιστον. ἐπῆρται μὲν γὰρ εἰς ὕψος οὐράνιον ὅσον. Et paulò pòst: Εὖρος δὲ αὐτὴ καὶ μῆκος οὕτως ἐν ἐπιτηδίῳ ἀποτετόρευται, ὥστε ἡ περιμήκης, καὶ ὅλως εὐρεῖα οὐκ ἀπὸ τρόπου εἰρήσεται. κάλλει δὲ ἀμυθήτῳ ἀποσεμνύνεται, τῷ τε γὰρ ὄγκῳ κεκόμψευται, καὶ τῇ ἁρμονίᾳ τοῦ μέτρου, οὔτε τι ὑπεράγαν, οὔτε τι ἐνδεῶς ἔχουσα. ἐπεὶ καὶ τοῦ ξυνειθισμοῦ κομπωδεστέρα, καὶ τοῦ ἀμέτρου κοσμιωτέρα ἐπιεικῶς ἐστί. Φωτὶ δὲ καὶ ἡλίου μαρμαρυγαῖς ὑπερφυῶς πλήθει. φαίης οὐκ ἂν οὐκ ἔξωθεν καταλάμπεσθαι ἡλίῳ τὸν χῶρον, ἀλλὰ τὴν αἴγλην ἐν αὐτῷ φύεσθαι. τοσαύτη τίς φωτὸς περιουσία ἐς τοῦτο δὲ τὸ ἱερὸν διακέχυται. καὶ τὸ μὲν τοῦ νεὼ πρόσωπον, Elegantiſſima partium hujus templi ſtructura eâdem diligentiâ deſcripta legatur apud ipſum Auctorem. Repetijt eam & totam operi ſuo hiſtorico inſeruit *Nicephorus Calliſtus lib. XVII. cap. 20.* Ejusdem templi elegantiam *Conſtantinus Manaſſes* verſibus ſuis politicis deſcribit:

Οὗτος ναὸν ἐδείματο τὸν φεραυγῆ τὸν μέγαν,
τὸ τοῦ θεοῦ μου τέμενος, τὸν οὐρανὸν τὸν κάτω,
ὃν οἶμαι καὶ τὰ Σεραφὶμ αἰδούμενα θαυμάζει.
Ἂν ὁ θεὸς καταξιοῖ μένειν ἐν χειροκμήτοις,
ἐν τούτῳ πάντως κατοικεῖ, καὶ ποῦ γὰρ ἀλλαχόθι.

Et poſt pauca:

οὐ περιεκλάμπει γὰρ φαιδρῶς, ὡς ἐν μικροῖς ἀστέροις,
τοῖς ἱεροῖς τεμένεσιν ἄλλος ἥλιος γίγας,
ὁ θεοδόμητος ναός, τὸ κάλλος γῆς ἁπάσης.

Magnifica templi apud alios veteres & novitios ſoccurrunt encomia. *Socrates* κατ' ἐξοχὴν vocat ἐκκλησίαν *Hiſtor. eccleſ. l. VII. c. 37. Evagrius* poſtquam templũ hoc appellaſſet μέγα τι καὶ παρά-

εἰσβληθὲν χρῆμα ἐκ ἰσορηθὲν πώποτε, τὸν μέγιςον τῆς ἐκκλησίας ναὸν, εὐπρεπῆ τε καὶ ἔξοχον καὶ λόγε δύναμιν ἐκβαίνοντα, diligenter longitudinem & cæteras ejus dimensiones describit *l. IV. Hist. eccles. c. 30.* Hoc templum cogitationem mentis excellens & immensum opus, incredibilis forma, sempiternæ aulæ imago, commune hominum, dicam etiam angelorum delectamentum & spectaculum, τὸ τῆς τε θεε σοφίας θεῖον ὄντως ἀνάκτορον, inquit *Nicephorus Call. dedicatione operis sui historici.* Addatur *Agathias de bell. Goth. lib. V.* & *Michael Glycas Annal. part. IV.* Μέγα τῆς θρησκείας τέμενος, τὸ ὑπὸ Ἰεςινιανε ᾠκοδομημένον τε αὐτοκράτορος, ἐς προσηγορίαν δὲ τῆς τε θεε σοφίας τὸ ἱερὸν ἀνατέθειται, *Theophylactus Simocatta lib. V. cap. 16.* Idem vocat τὸ τε θεε μέγιςον ἀνὰ τὴν πόλιν τέμενος, *lib. VI. cap. 8.* Item τὸ μέγα τῆς πόλεως ἱερὸν, τὸ ὑπὸ Ἰεςινιανε τε ἀνακράτορος λίαν φιλοτίμως καὶ πολυτελῶς ἱδρύμενον· τετο καλεσιν ἐκκλησίαν μεγάλην οἱ Βυζάντιοι *lib. IIX. cap. 8.* Vide etiam *lib. IIX, cap. 10.* In *Novellis* Græcorum Imperatorum frequentissimè appellatur ἡ μεγάλη ἐκκλησία, ut in *Aurea Bulla Justiniani, lib. II. Juris Græco-Romani* & passim in istis Novellis, Nonnunquam ἁγιωτάτη μεγάλη ἐκκλησία, ut *Novella II. & III. Heraclij, In Meditat. Balsam. lib. VII.* & *Novella II. & VI Manuelis Comneni.* Idem vocat μητέρα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, νέαν Σιὼν, τὸ τῆς τε θεε σοφίας ἐνδιαίτημα, *Novella I.* Idem Imperator Auream Bullam huic ecclesiæ dedit, in qua magnificè de illa loquitur, eidemq; immunitatem ab omnibus exactionibus bonorum ejus immobilium concedit. Dicitur eidem ἱερὸν καὶ παμμέγιςον τέμενος, τὸ ἐπ' ὀνόματι τῆς τε θεε σοφίας φιλοτίμως ὄντως ἐνιδρύμενον, καὶ τῷ ὄντι βασιλικῶς νέα Σιὼν, ἡ τε ἁγιάσματος κιβωτὸς, ἡ τε σωτῆρος ἡμῶν ἐκκλησία, *Novella II.* Constantinus Porphyrogenitus vocat πανθαύμαςον τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ναὸν, *Novella II.* Edidit & Justinianus Auream Bullam, in qua de illis sanxit, qui in eam confugissent, *lib. II. Juris Græco-Romani.* Hujus Bullæ interpretationem & limitationem postea publicavit Constantinus Porphyrogenitus, *Novella II.* Heraclius numerum certum clericorum hujus ecclesiæ, & illius, quæ in Blachernis, constituit, *Novella II.* In Epitome S. Canonum adducitur etiam Canon XII. Synodi ad Sanctam Sophiam habitæ *Tit. IV. libro I. Juris Græco-Rom.* ὅς (νεὼς) ἀπὸ τῆς θείας καὶ ἀῤῥήτε σοφίας ὠνόμαςαι, *Nicet. Chon. libro VI. de Manuele Comn. cap. I.* Idem vocat ναὸν κάλλιςον καὶ θεῖον, ὅνπερ ἀτεχνῶς

Θεε

νῶς Θεοῦ χεῖρες ἠρχιτεκτόνησαν, καὶ ὕδαστον καὶ πρῶτον ἐκαλλιτέχνησαν ἔργον ἀμίμητον, καὶ ἄντικρυς ἐπὶ γῆς οὐράνιον σφαίρωμα, *l. de Alexio c. 8.* Alibi in hunc modum templum illud alloquitur: παμμέγιστε ναὲ καὶ θειότατε, οὐρανὲ ἐπίγειε, θρόνε δόξης Θεοῦ, χερουβικὸν ὄχημα, στερέωμα δεύτερον ἀγγέλλον τὴν τῶν χειρῶν Θεοῦ ποίησιν, θέαμα καὶ ἔργον ἐναδικὸν καὶ ἔυελζον πάσης τῆς γῆς ἀγαλλίαμα, *lib. de reb. poſt expugnat. urbem, c. 4.* Eidem ſæpe κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur μέγας νεὼς ut *lib. II. de Andron. c. 10.* Item τὸ τοῦ Θεοῦ λόγου μέγιστον τέμενος *cap. 11.* Magnificentiam templi deſcribit etiam *Corippus lib. IV. c. 4.* De eodem *Paulus Warnefridus* ita: Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit, ut in totis terrarum ſpatijs huic ſimile non poſſit inveniri, *l. I. c. 25.*

Agmen claudant alij hujus templi αὐτόπται, aliquanto recentiores; in quibus *Georg. Phranza* ita ſcribit: Longè ampliſſimum illud ac diviniſſimum Dei ſapientiæ templum, cœlum terreſtre, thronus gloriæ Dei, Cherubicum vehiculum, & alterum firmamentum, factura manuum Dei, ſpectaculum & opus eximium, totius mundi exultatio, illud elegans templum, & elegantibus elegantius, *l. III. c. 17.* À *Theodoſio Zygomala* appellatur ὁ ἐπίγειος οὐρανὸς, ἡ νέα σιὼν, τὸ καύχημα πάσης τῆς οἰκουμένης, τὸ ἄγαλμα τῶν ἐκκλησιῶν, ἡ ὑπερέχουσα πάντων τῶν τῆς γῆς κτισμάτων, *Turcogræc. l. I. p. 12.* Adde *Mart. Cruſ. l. II. p. 210. & l. VII. p. 493.* Admirandum templum fuiſſe, quodq; Salomonis templum precioſitate ſua ſuperaverit, ſcribit *Godefridus Langus* de capta Conſtantinopoli anno 1453. Putatur, quod à conditione mundi non ſit tale opus ita complete factum, ait *Wernerus Rolewinck ætat. 6.* Portas habuit centum ex ære Corinthio fuſas. Ambitus ejus, ſi connexas ſacerdotum ædes complectaris, mille paſſus confecit, ut ſcribit αὐτόπτης *Nicolaus Nicolai Itinerar. Turcico lib. II. c. 20. Stephanus Gerlachius* in literis anno 1575. è Conſtantinopoli ad *Cruſium* ſcriptis hæc narrat: Templum S. Sophiæ ſepto Regio viciniſſimum eſt, via duntaxat intermedia, altiſſimum & ampliſſimum, columnis de omni genere marmoris & incredibilis magnitudinis magnificentiſſimum, portæ æreæ altiſſimæ & plurimæ, elegantisſimi operis, parietes omnes anteriores, porticus templi aularum ſuperiorum, infinita varietate præſtantisſimi marmoris veſtiti: omnes cameræ, calculis & teſſellis vitreis inauratis tectæ, imagines Sanctorum repræſentantibus, ſed ſingularum facies à Turcis eraſæ. Opus planè & ædificium incomparabile. Summum hodie templum Turcarum eſt, in quo quotidie unus ex Doctoribus Turcicis in magna frequentia auditorum docet. Cujus audiendi gratia, cum XIV. Maij præſentis anni, cùm alijs nonnullis ingreſſus eſſem, tanquam profanatores templi à Sarraceno quodam, & duobus Papanis (nomen Græcorum & Turcicorum ſacerdotum) expulſi ſumus. Addatur *Salom Schweigger. Itinerario Turcico lib. II. c. 29. & Sebaſt. Schroterus Cap. IX. de Græcia.*

His

His peractis, g) Alexius ista promissa fecit apud insulam Corfaut, i.e. Corcyrã. Promisit autem primò toti exercitui commeatum in annum, deinde copias auxiliares X. millium militum in annum ad S. terram recuperandam, item quoad viveret, quingentos milites, suis stipendijs alendos ad Palæstinam contra Saracenos tutandam: præterea Duci Veneto C. millia marc. argenti solvenda, & tandem totidem cæteris Ducibus *Henr. Comes in lit.* Alij narrant, in eam conditionem illum consensisse, ut pro damnis, quæ Manuel olim Imperator Gallis & Venetis intulerat, quindecies mille auri pondo exsolueret, & Venetis pro naulo satisfaceret, ut *Antonius Bonfinius rer. Ungar. Dec. II. l. 7.*

stolium. h) stolus & stolium sunt à στόλος, quod Græcis expeditionem militarem significat, frequentius navalem. Ut in isto *Thucydidis l. VI.* οὗτος δὲ ὁ στόλος ὡς χρόνιός τε ἐσόμενος. Et paulò pòst in Hermocratis oratione: ὀλίγοι γὰρ δὴ στόλοι μεγάλοι, ἢ ἑλλήνων ἢ βαρβάρων. Ita *Eutropius:* Στόλον ἐγκατέστησε κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, *l. VIII.* ὁ δὲ στόλος καλεῖται καὶ ἀπόστολος, *Jul. Pollux l. I. c. 9.* ὁ ἀμηράλιος ἡγεῖται τοῦ στόλου παντὸς, *Joann. Curopal. p. 75.* ὁ μέγας δρουγγάριος τοῦ στόλου, *Idem p. 15.* Nonnunquam etiam de pedestri expeditione sumitur, ut docet *Suidas* in στόλος. Adde *Gulielm. Budæum comm. de ling. Græca, Henr. Stephan. in Lex. & Lazarum Bayfium de re navali, p. 152.* Cum magno stolo terram Ægypti invadere, *Mar. Sanut. l. III. p. XI. c. 1.* Victoriosum stolium galearum, *Chron. August. p. 370.*

passagio. i) Passagium significat primùm iter seu transitum: deinde tributum quod à viatoribus exigitur, præterea vernum tempus navigationi idoneum, deniq; κατ' ἐξοχὴν, expeditionem sacram in Syriam, *Haythono in Histor. Orient. cap. 57. Vincentio Beluacensi Spec. Hist. lib. XXXI. c. 79. Jacobo de Vitr. l. III. anno 1217. Marino Sanuto lib. III. part. XI. cap. 7. Henrico de Knygthon, p. 2464.* Sed scripsit ante decennium de Passagijs doctissimè *Jo. Henr. Bœclerus*; ad quem lectorem remitto.

CAPUT XX.

Epistola II. Balduini.

1. *Balduinus priorem epistolam se continuaturum spondet.*
2. *Castra sua extra urbem locavit.*
3. *Alexius reductus ex amico fit hostis Latinorum.*
4. *Græci alium Regem eligunt.*
5. *Alexius Ducas ab Alexio Imperatore ad Balduinum missus, est proditor Domini sui.*
6. *Imperator proclamatur, XXV. Januar.* - - - - - - - *1204.*
7. *Alexium & Nicolaum in carcerem compingit.*

8. *Byzantium contra Latinos munit.*
9. *Terra mariq; eos incursat.*
10. *Pabulatores aggressus vincitur.*
11. *Navibus incendiarijs frustra classem hostilem exurere conatur.*
12. *Latini acie instructa nequicquam illum ad prælium evocant.*
13. *Admissus in colloquium Ducis Veneti, contumaciter respondet.*
14. *Alexium juniorem laqueo suffocat.*
15. *Latini urbem frustra oppugnant, IX. April.* - - - - - - 1204.
16. *Altera vice expugnant, XII. April.*
17. *Ducas Alexius fugit.*
18. *Græcos ad alium Regem eligendum côngressos Latini turbant, & urbem diripiunt.*
19. *Latini Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum designant.*
20. *Constantinopolitani antea extremè Romanam ecclesiam oderant.*
21. *Byzantinum solum omnium rerum copiâ abundat.*
22. *Balduinus Christianos ex Occidente ad incolendum agrum Byzantinum invitat.*

HÆc de primo introitu Latinorum in Græciam cognovimus per epistolã, quam audistis regi directam. Nunc de acquisitione terræ & principatu Balduini, Imperatoris Constantinopolitani, quàm potenter sibi terram subjecerit, & thesauros absconditos & arcana secretorum, quæ Deus illi ostenderat, quanta largitate distribuerit, per subjectam epistolam cognoscere potestis.

Balduinus, Dei gratia fidelissimus Imperator Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romanus moderator (a) & semper Augustus, Flandrensis & Hennegoviensis Comes: Universis Christi fidelibus, Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, cæterisq; ecclesiarum Prælatis, ecclesiasticisq; personis: Baronibus, militibus, Sarziantis, omniq; populo Christiano, ad quos præsens pagina pervenerit, in vero salutari gratiam & salutem.

AUdite, qui longè estis, & qui propè admiramini, & laudate Dominũ, quoniam magnificè fecit, qui antiqua miracula nostris dignatus est renovare temporibus, & non nobis quidem, sed nomini suo dedit gloriam, omnibus seculis admirandam. Nam mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succe-

succedunt, ut etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil à nobis speratum aut provisum antè contigerit, sed tunc demum nova nobis dominus procuravit auxilia, cùm nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem, si bene meminimus, per litteras, universitati vestræ transmissas, nostri progressus & status narrationem eo usq; deduximus, ut urbe populosa capta violenter à paucis, Tyranno fugato, & Alexio coronato, mora nostra promissa fuerit, & ordinata per hyemem, ut potenter obtinerentur, si qui resistere valerent Alexio. Sed 2
nos, ne discordiæ inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris adversa barbaries, de civitate exeuntes, ex adverso civitatis, interiacente Ponto, ad preces Imperatoris castra posuimus. Verùm sicut non hominum o- 3
pera fuerunt, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum, sed dæmonum, quæ cum Imperatore novo Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Imperator siquidem ex insperato Græcorum seductus perfidia, à nobis recessit animo, cui tanta beneficia contuleramus, & in omnibus cum patre Patriarcha & mole nobilium nobis promissis perjurus & mendax tot incurrit periuria, quot nobis præstitit sacramenta. Unde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur in cassum, & navigij, quod ipsum adduxerat & sublimaverat ad coronam, procurat incendia. Sed voto tam crudeli fraudatur, Domino nos protegente. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia & rapinæ. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur. Æmulum (b) ei elevant Græci Imperatorem, ea 4
occasione captata, quia ad auxilium nostrum tunc nullum sanguine sibi propinquum possit habere refugium. Cumq; evadendi spes unica restaret in no- 5
bis, juratum sibi quendam Murzuflum nomine, de quo super alios omnes pro impensis ei beneficijs confidebat, mittit ad exercitum nostrum: imperiale palatium, Blachernæ (c) dictum, nobis sub Imperatoris & suo juramento promittit in obsidium, donec cuncta nobis promissa reddantur. Accedit ad accipiendum palatium nobis Marchio Montisferrati cum militibus nostris. Sed Græci nostris illudunt, &, quos super hoc promisso jam nobis dederant, sumtis obsidibus, consueta periuria non verentur. Nocte insecuta Murzuflus, Domino suo & nobis periurus, reddendi nobis palatij revelat arcana, & ex hoc perpetuam ipsis eripi libertatem, & contra hoc (d) veniendum modis omnibus esse, declarat, si deijciatur Alexius. Hujus itaque pro- 6
ditionis merito Imperator à Græcis attollitur (e). In Dominum (f) ergo suum 7
dormientem, & rei nescium, sacrilegas mittit manus, & in carcerem unà cum Nicolao quodã, quem inscium, apud sanctam Sophiam populus in Imperatorem erexerat, proditione traditum simul dejecit, sibiq; coronam Imperialem

uſurpavit. Modicumq; poſt hæc Dn. Iſaacius, pater Alexij, diem clauſit ex-
tremum, qui animum filij ſui à nobis præ omnibus, ut dicebatur, averterat.
8 Græcis autem ſanguinem noſtrum tantùm ſitientibus, acclamante præcipuè
clero & populo univerſo, ut de terra in brevi tolleremur, prælia contra nos
proditor jam dictus inſtaurat, urbem machinis in propugnaculis munit, quo-
rum ſimilia nemo vidit unquam. Cumq; murus miræ latitudinis in altum val-
de conſurgens turres haberet ampliſſimas, pedibus circiter quinquagenis
paulo plus minúſve (g) diſtantes, inter quaslibet duas ex parte maris, qua no-
ſter timebatur aſſultus, turris lignea (h) erigitur, ſuper murum ſtationibus
tribus aut quatuor, multitudinem continens armatorum Nihilo minus (i)
inter duas turres quaslibet ſeu petraria ſeu magnellus (k) erigitur. Turribus
autem ſupererigentur ligneæ turres altiſſimæ ſtationum ſex, ſuperq; ſupre-
mam ſtationem adverſum nos porriguntur ſcalę, appoditiones ex utraq; par-
te & propugnacula continentes, paulo minus excelſis ſcalarum capitibus,
quantum jacere poſſit in altum arcus à terra. Murum etiam ipſum murus
circumcingit inferior, duplexq; (l) foſſatum (m), ne muris ulla applicare poſ-
9 ſent ingenia (n), ſub quibus poſſint latitare foſſores. Interim terra mariq; nos
tentat perfidus Imperator, ſemper nos Domino protegente, ſuosq; fruſtrante
10 conatus. Nam præter ordinationem noſtram ad prædam victualium procul
exeuntibus noſtris uſq; ad mille animas pugnatorum, Imperator occurrit in
multitudine gravi. Sed primo congreſſu diſſipatur omnino, cæſis captisq;
non paucis ſine damno noſtrorum: & fuga ignominioſa conſulens ſibi, clype-
um abijcit, arma deponit, & vexillum imperiale dimittit, ſimulq; nobilem,
quam ſibi præferri faciebat, iconem, quam Ciſtercienſium ordini dedicavere
11 victores. Poſt hæc naves noſtras flammis aggreditur, intempeſtæq; noctis
ſilentio quindecim naves ſuas incenſis velis ſuis in altum colligatis, & inferi-
us ad proram, flante fortiter auſtro noſtras mittit in naves. Sed Domino fa-
ciente, cum multo labore noſtrorum cuſtodimur indemnes, & ardentibus na-
vibus clavis infixis, catenas habentibus, noſtrorum remigio trahuntur in pe-
12 lagus, & ſic ab imminentis mortis periculo à Domino liberamur. Nos quoq;
terreſtrem eum provocamus ad pugnam, & ponte atq; amne tranſmiſſo, qui
exercitum noſtrum ſeparabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diu ſte-
timus regiæ civitatis, præcedente cruce vivifica, in nomine Domini agmi-
num Iſrael parati ad prælium Græcos excipere, ſi eis placuiſſet exire. Sed u-
nus (o) tantùm nobilis quispiam pro militiæ exercitio egreſſus eſt, quem no-
ſtri pedites membratim dilaniaverunt, ſicq; in caſtra reverſi ſunt. Terra ma-
riq; ſæpius provocamur: ſed dante Domino ſemper triumphaliter obtine-
mus.

mus. Mittit ergo ad nos pacis fictæ legatos perfidus occupator (p) Imperij, postulat & obtinet cum Duce Venetorum colloquium. Cumq; eidem Dux objecisset, quòd nulla cum eo possit esse pacis securitas(q), qui Dominum suum carcere conclusisset, postposita jurisiurandi religione & fidei ac fœderis, inter quemlibet & inter fideles firmiter obtinentis, & ipsi præripuisset Imperium: & bona fide consuleret, ut Dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet, nostras etiam pro se mittens preces, & quòd cum eodem Domino suo misericordiam agere, si vellet, deberemus, & quicquid egerat contra nos venenosè, si rediret ad animum, imputare vellemus ætati lapsuive consilij: Ille vana verba subintulit: quia quæ responderet rationabiliter, non habuit. Obœdientiam Romani Pontificis & subventionem terræ sanctæ, quam juramento & scripto confirmarat Alexius imperiali, adeo refutat, ut vitam amittere præeligeret, Græciamq; subverti, quàm quòd Latinis Pontificibus orientalis ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti Dominum suum latenter suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumserat. Inde & clava ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casuque vitã, quam laqueo extorserat, confingit exemtam, ac imperiali sepultura concessa(r), propalatũ omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sic nobis hyems tota perficitur, donec manibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in navibus, V. Idus April. hoc est, sexta feria ante passionem Domini, unanimiter pro honore S. Romanæ ecclesiæ, & sub veneratione (t) terræ sanctæ, navali prælio invadimus civitatem. Et eo die, sine multo tamen nostrorum sanguine, sumus tanta perpessi, ut inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum eo die pars fuit per cuncta deterior (u), adeò ut tracta in terram bellica nostra machinamenta Græcis compelleremur relinquere, & infecto negotio ad ripam cogeremur redire adversam, ea die, ut videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimum & contriti, & demum in Domino corroborati, definito consilio rursum instauramur ad pugnam, & quarto die, prid. Id. April. (x) hoc est, secunda feria post passionem Domini, flante Borea, rursum applicamur ad muros, scalis navium scalis turrium applicatis, cum multo labore nostrorum, & permultum resistentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, belli durat anceps eventus. Duæ siquidem naves colligatæ, quæ pariter nostros Episcopos, Suessionensem ac Trecensem deferebant, quarum erant insignia paradisus & peregrina, primæ scalis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrinos pro paradiso certantes hostibus admoverunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisq; secreto-

13 (beside line 1) · 14 (beside "bus orientalis ecclesia subderetur. Nocte igitur…") · 15 (beside "simulat. Sic nobis hyems…") · 16 (beside "Conturbati ergo plurimum…")

rum cœlestium prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur no-
stris, Domino jubente, cedit multitudo infinita perpaucis, & propugnacula
17 relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum
cùm Imperator, qui non procul à muris in tentorijs stabat armatus, conspica-
retur ingressum, statim tentoria dereliquit & fugit. Nostri cædibus occupan-
tur, capitur (y) civitas populosa, recipiuntur in palatijs imperialib9, qui nostro-
rum enses effugerunt, multaq; cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt,
advesperascente jam die, arma fessi deponunt. De assultu crastino tractatu-
rus suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens, quòd
nostros in potestate nunc habeat, intra murorum septa conclusos. Sed noctu
18 latenter dat terga devictus. Quo comperto, Græcorum plebs attonita de sub-
stituendo Imperatore pertractat. Et dum mane facto ad denominationem
cujusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatio-
ne majorum, ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & mu-
nitissima relinquuntur palatia, totaq; in momento civitas obtinetur, diripitur
equorum innumera multitudo, auri, argenti, sericarum preciosarumq; vesti-
um atq; gemmarum, & omnium eorum quæ ab hominibus inter divitias com-
putantur, tam inæstimabilis abundantia reperitur, ut tantùm tota Latinitas
(z) non videretur possidere. Et qui pauca antè negaverant, cuncta nobis di-
vino judicio reliquerunt: Ut securè dicamus, quòd majora his mirabilia circa
bellorum casus nulla unquam narret historia: ut impleta prophetia manife-
stè videatur in nobis, quæ dicit: Persequetur unus ex vobis centum alienos.
Quia si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores
quàm centum obsedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam usurpamus:
quia super omnia mirabilia salvati sumus dextera Domini, & brachium virtu-
tis ejus revelatum est in nobis. A Domino factum est istud, & est mirabile in o-
19 culis nostris. Ordinatis igitur diligenter, quæ disponendarum rerum posce-
bat eventus, ad electionem Imperatoris unanimiter & devotè procedimus, &
omni ambitione seclusa, cum sex Baronibus Venetorum venerabiles (α) vi-
ros, Episcopos nostros, Suessionensem, Halberstadensem, Dominum quoq;
Bethlemitanum, qui à partibus transmarinis auctoritate Apostolica nobis fu-
erat delegatus, Acconensem electum, Abbatemq; Lucedij, Imperatoris no-
stri sub Domino (β) constituimus Electores. Qui oratione præmissa, ut decuit,
Dominica misericordias Domini personam nostram, quod à nostris meritis
erat procul, unanimiter ac solenniter elegerunt, divinis laudibus clero ac po-
pulo acclamãte. Sequentiq; Dominica (γ), quâ Iubilate cantatur, præcipiente
Petro Apostolo regem honorificari, eiq; obœdire, & Euangelio nunciante,
quod

gaudium veſtrum nemo tollet à vobis,cum ingenti honore atq; tripudio,mo-
re etiam ſuo applaudentibus Græcis ad honorem Dei ſanctæq; Romanæ ec-
cleſiæ,glorioſè(δ) ad Imperij faſtigia & coronã, Deo & hominibus amabiles
Patres,memorati pontifices,cum univerſorũ applauſu & pijs lachrymis,ſub-
limarunt(ε).Aderant incolæ terræ ſanctæ,eccleſiaſticæ militareſq; perſonæ,
quorum prę omnibus inęſtimabilis erat & gratulabunda lętitia. Exhibitumq; 20
Deo gratius officium aſſerebant,quàm ſi civitas ſancta Chriſtianis cultibus eſ-
ſet reſtituta:cùm ad confuſionem perpetuam inimicorum crucis,S.Romanę
eccleſiæ,terræq; ſanctæ,Hieroſolymitanæ(ζ) ſeſe regia civitas devoveret,
quę tam diu,tam potenter,adverſaria ſtetit,& contradixit utriq;.Hæc eſt quę
ſpurciſſima gentilium pro fraterna ſocietate alternis ebibitis,cum infidelibus
eſt auſa ſæpius amicitias firmare ferales,& eaſdem mamã diu lactavit uberri-
ma,& extulit in ſuperbiam ſeculorum,arma, naves & victualia miniſtrando:
quæ econtrario fecerunt peregrinis,magis edocere ſufficiunt in omni Latino-
rum gente exempla quàm verba. Hæc eſt enim quæ in odium ſumi Pontificis
Apoſtolorum principis nomen audire vix poterat,nec unam eidem inter tot
Gręcas eccleſiam concedebat,qui omniũ eccleſiarum accepit ab ipſo Domino
principatum: &,ſicut eorum memoria recens recolit qui viderunt, legatum
Apoſtolicũ morte tam turpiſſima condemnavit,ut nec inter martyres legatur
ulla conſimilis,licet pœnas eorũ incredibiles invenerit ingenioſa crudelitas.
Hęc eſt,quæ Chriſtum didicerat ſolis honorare picturis,& inter ritus nefandos
quos ſibi,ſpreta ſcripturarum auctoritate,confinxerat,etiàm lavacri ſalutaris
plerunq; facere præſumebat iterando jacturam. Hæc eſt,quæ Latinos omnes
non hominum nomine dignabatur ſed canum , quorum ſanguinem effunde-
re penè inter merita reputabatur: nec ulla pœnitentiæ ſatisfactione ſatisfaci-
ebant laici Monachi,penes quos,ſacerdotibus ſummotis,tota ligandi atq; ſol-
uendi conſiſtebat auctoritas. Hæc & hujuſcemodi deliramenta, quæ epi- 21
ſtolaris non valet explicare anguſtia,impletis iniquitatibus eorum,qui Chri-
ſtum Dominum ad nauſeam provocabant, divina juſtitia noſtro miniſterio
digna ultione percuſſit,& expulſis hominibus Deum odientibus , nobis ſeſe
amantibus terram dedit omnium bonorum copijs affluentem,frumento , vi-
no & oleo ſtabilitam,fructibus opulentam,nemoribus,aquis & paſcuis ſpatio-
ſam,ad manendum ſpecioſam,& cui ſimilem non continet orbis,aere tempe-
ratam Sed nec in his deſideria noſtra ſubſiſtunt,nec ab humeris ſuſtinebimus
vexillum regale deponi,donec terra incolatu ſtabilita noſtrorum , partes in-
viſerimus transmarinas,& Deo donante propoſitum peregrinationis explea-
mus.Speramus enim in Domino Ieſu,qui quod cœpit in nobis opus bonum,
ad lau-

ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum videlicet crucis depressionem
22 perpetuam, perficiet, confirmabit solidabitque. Universitatem igitur vestram propensius oramus in Domino, ut gloriæ hujus atque victoriæ & spei præoptatæ (η), cujus ostium nobis magnum apertum est, dignemini esse participes: quia absq; ulla dubitatione vobis continget, si nobiles & ignobiles cujuslibet conditionis aut sexus eisdem desiderijs accensi, ad veras immensasque divitias capessendas, temporales pariter & æternas unanimiter acquiratis. Universis enim, Deo donante, sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit: universos volumus simul & possumus, secundum status suos, varietatemque natalium, & augere divitijs, & honoribus ampliare. Spiritualiter autem Deo amabiles ecclesiasticos viros, cujusque religionis aut ritus, in Domino postulamus, ut ad idem populum suum potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, catervatimque & ipsi venire festinent, in locis amœnissimis & uberrimis non jam in sanguine, sed cum multa libertate & pace, omniumque bonorum affluentia, ecclesiam plantaturi, salva semper, ut decet, obœdientia Prælatorum.

Romanus. a) Romaniæ moderator. *Literæ Balduini ad Adolphum Archiepiscop.*

Æmulum. b) Is est Nicolaus; de quo paulò pòst *n. 7.*

Blachernæ. c) Blachernæ erant suburbana regio ad Constantinopolin, in angulo sinus Ceratini, *Niceph. Call. l. XIV. c. 24.* In ea magnificum templum, & regium palatium fuere, quorum utrumq; etiam Blachernæ dictum. Utriusq; sæpe meminit *Curopalates. p. 81. 166. 218.* Conditorem templi *Theophylactus Simocatta lib. IIX. c. 8.* Cyrum nominat: ὃ ἱερὸν τέμενος τῆς θεομήτρος κῦρον, τὸν ἐπὶ θεοδοσίου τοῦ αὐτοκράτορος γεγονότα δείμασθαι λόγος καθέστηκεν ἀψευδής. Ad Pulcheriam Augustam refert *Nicephorus l. XIV. c. 2.* cum scribit: Opus est ejus sacrum Dei genitricis templum, quod Blachernæ dicitur, dignum illa ipsa Verbi matre, quod inhabitaret, judicatum domicilium: sicuti filio ejus, quod Sapientiæ vocatur. Idem magna religione illud templum Byzantios colere testatur *l. XIIX. c. 38.* Alio etiam nomine appellatum *Simocatta. l. V. c. 16.* his verbis prodidit: ὁ νεὼς πρὸς τῇ πηγῇ καταλέγεται, ædes ad Pegem, i. e. ad fontem vocatur. De veneratione templi idem *l. IIX. c. 5.* ὁ τῆς θεομήτρος νεὼς, ὃν βλακέρνας ἀποκαλοῦσι τιμῶντες Βυζάντιοι. τὸ δὲ τέμενος τοῦτο τῶν σεβασμένων λίαν καθέστηκε, θρησκεύεταί τε ὑπὸ τοῦ ἄστεος ἐς τὰ μάλιστα. Heraclius Imperator *Novella. II.* vocat templum σεπτὸν ναὸν τῆς

ἁγί-

ἁγίας ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ἐν βλαχέρναις. In eadem *Novella* Imperator certum numerum Clericorum, sacris in illo templo operantium, definit. *Nadabus Agmonius in Notis ad Curopal.* putat, Βλαχερνὰ παλλάτια esse, quæ in plagis exteris, & non in urbe sint, cùm βλαχερνὸς ex lingua Orientali compositum sit. Pelac charan enim esse plagam exteram. *Nicetas* hoc palatium vocat τὰ ἐν Βλαχέρναις ἀνάκτορα, *l. de Marzuflo cap. 2.* & paulò pòst τὰ ἐν Βλαχέρναις ἀρχεῖα, *c. 2.* Idem τὸ ἐν Βλαχέρναις βασίλειον, *in Alexio, c. 18.* Inde apud eundem est ὁ ἐν Βλαχέρναις ἠϊὼν, *l. II. de Andron. c. 2.* & ὁ τῶν Βλαχερνῶν βουνὸς, *in Alexio Comn. l. III. c. 10.* Adde *Martin. Cruſ. Turcogræc. l. II. p. 190.*

& contra hoc. d) & ad hoc modis omnibus veniendum esse declarat, nisi deijciatur Alexius. *Lit ad Adolph.*

attollitur. e) Sic in *MSS. L. B.* & *R.* & in *lit. ad Adolph.* Editum erat, *acclamatur.*

In Dominum. f) Locus mendosus erat, fatente ipso editore *Reineccio.* Ita enim in *MS. L.* & in ipsius editione legebatur: In Dominum ergo suum dormientem & rei nescium, sacrilegas mittit manus, & in carcerem unà cum Nicolao quodam, quem inscium, proditione Imperatorem traditum, vi populus apud S. Sophiam, simul[dejecit, sibiq; &c. In *MS. R.* legitur, uti jam edimus. Huic lectioni non parum lucis accedit ex *lit. ad Adolphum*, in quibus locus iste his verbis exprimitur: In Dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus, eum carcere tetro includens, tertium Nicolaum quendam, qui apud S. Sophiam imperiales infulas noviter usurparat, traditum sibi à Græcis, qui eum creaverant, proditione rursus incarceravit. Disertè rem exponit *Nicetas* in hunc modum: Μόλις δὲ καὶ τρίτης ἡμέρας παραππευσάσης, νεανίσκον τινὰ λαβόντες (Βυζάντιοι) Νικόλαον τὴν κλῆσιν, Καναβὸν τὴν ἐπίκλησιν, εἰς βασιλέα χρίουσιν ἄκοντα. Murzuflus, qui regnum affectabat, intempesta nocte illum adit, & per speciem amicitiæ monet, adesse præ foribus, qui eum ob initam cum Latinis amicitiam discerpant. Territum quasi liberaturus primum in tentorium, quod in palatio habebat, perducit. Ex illo postea Nicolaus in templum concessit. Murzuflus statim insignia sumit: Nicolaum custodiæ tradit: Alexio bis venenum propinat; quod cùm adolescens tum ætatis robore, tum antidotis, quibus clam utebatur, vicisset, laqueo illum suffocavit, *L. de Isaacio Angelo & Alex. F. cap. 5.*

plus minusve. g) ita *MSS. L. B. R.* & *lit. ad Adolph.*

turris lignea. h) Turris ligneæ frequens & magnus apud veteres usus fuit. Occurrit & supra exemplum *l. III. c. 36. n. 9.* Machina erat ad ædificij speciem ex trabibus & tabulis, pluribus tabulatis seu contignationibus exstructa. A materia turris lignea dicta. Duorum generum fuit, alia fixa, mobilis altera. Fixa ag-

 geri

geri imponebatur, ut ex alto pugnaretur. Altera illa, quæ *Livio & Curtio* turris mobilis, *Hirtio, Vitruvio & Vegetio* ambulatoria, Græcis ὑπότροχος dicitur, rotis subjectis agi, atq; ad muros propiùs adduci solita est, ut cominus ex ea pugnaretur. Nam intus suspensus hærebat aries, quem milites in locum, qui oppugnabatur, impellebant. E summa turri contra murorum propugnatores dimicabatur. Ex eadem pons in murum hostilem demittebatur, quo in propugnacula procurrebant. Etiam scalis inde in muros irrumpebant. Antiquum sanè inventum. Nam ad Dionysij senioris tempora refertur. *Athenæus* enim, & ex illo *Vitruvius*, postquam narrassent, â Carthaginensibus in Gaditanorum muro deijciendo testudinem arietariam inventam, deinde turres à Dionysio, & postea à Philippo Regibus additas esse scribunt. *Athenæus* ita: ἐπίδοσιν δὲ ἔλαβεν ἡ τοιαύτη μηχανοποιΐα ἅπασα κατὰ τὴν διονυσίου τοῦ Σικελιώτου τυραννίδα, κατά τε τὴν Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου βασιλείαν, ὅτε ἐπολιόρκει Βυζαντίους Φίλιππος. εὐημέρει δὲ τῇ τοιαύτῃ τέχνῃ Πολύειδος ὁ Θεσσαλὸς· οὗ οἱ μαθηταὶ συνεστρατεύοντο Ἀλεξάνδρῳ, Διάδης καὶ Χαιρέας. Διάδης μὲν οὖν αὐτός φησιν ἐν τῷ μηχανικῷ αὐτοῦ συγγράμματι, εὑρηκέναι τούς τε φορητοὺς πύργους, καὶ τὸ λεγόμενον τρύπανον, καὶ τὸν κόρακα, καὶ τὴν ἐπιβάθραν. ἐχρήσατο δὲ καὶ τῷ ὑποτρόχῳ κριῷ, apud *Adrian. Turnebum Adversar. lib. XXIII. cap. 31.* Hæc *Vitruvius lib. X. cap. 19.* hunc in modum παραφράζει: His tunc primis gradibus positis ad id genus machinationis, postea cum Philippus Amyntæ filius Byzantium oppugnàret, Polydus (Polyidus) Thessalus pluribus generibus & facilioribus explicavit, à quo receperunt doctrinam Diades & Chereas, qui cum Alexandro militaverunt. Itaq; Diades scriptis suis ostendit se invenisse turres ambulatorias, quas etiam dissolutas in exercitu circumferre solebat: præterea terebram, & ascendentem machinam, qua ad murum plano pede transitus esse posset, & etiam corvum demolitorem, quem nonnulli gruem appellant. Non minus utebatur ariete subrotato.

De Dionysij turribus, quas ille in Motyæ oppugnatione adhibuit, *Diodorus Sic. lib. XIV.* Προσήγαγε δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν τροχῶν πύργους τοῖς τείχεσι, ἑξαφόρους ὄντας, οὓς κατεσκεύασε πρὸς τὸ τῶν οἰκιῶν ὕψος. Captis autem istius urbis mœnibus ad primas domos, ex quibus obsessi pugnabant, ligneis turribus admotis, scalas ad transcensum illico paratas habebant. Et quia tecta domorum fabricæ turrium exæquabant, cominus deinceps pugnabatur. *Ibid.*

Eâdem, aut non multum dissimili machina, Helepoli dicta, in urbibus expugnandis utebatur Demetrius, Antigoni filius, qui cùm in comminiscendo supra modum ingeniosus esset, & præter architectorum industriam & artem, multa inveniret, Poliorcetæ cognomentum inde reportavit. Is ad Salaminem

in

in Cypro expugnandam συνέπηξε μηχανὴν τὴν ὀνομαζομένην ἑλέπολιν, in IX. contignationes distinctam, quæ IV. rotis ageretur. In tabulata illius inferiora varias intulit petrarias &c. *Diodor. lib. XX.* Omnium a. instructissima & maxima erat Helepolis, (ὑπεράιρουσα πολὺ τῷ μεγέθει τῶν πρὸ αὐτῆς γενομένων) quâ ille ad Rhodum oppugnandam usus est; quæ prolixè à *Diodoro l. XX.* descripta. Nam tanta ea erat, ut IIX. grandibus rotis suffultam, ter mille quadringenti excellentes robore viri promoverent. De artifice hujus machinæ *Vitruvius lib. X. cap. 21.* Demetrius, inquit, contra Rhodum bellum comparando, Epimachum Atheniensem, nobilem Architectum, secum adduxit. Is autem comparavit Helepolim sumtibus immanibus, industria laboreq; summo. Eandem machinam *Plutarchus in Demetrio* adducit: Προσῆγε (in expugnandis Thebis) τὴν λεγομένην ἑλέπολιν, πολυπόνως καὶ κατὰ μικρὸν ὑπὸ βρίθους καὶ μεγέθους μοχλευομένην, ὡς μόλις ἐν δυσὶ μησὶ δύο σαδίους προελθεῖν. Inter cæteras Veterum machinas bellicas, etiam Helepolin Demetrij diligenter describit *Ammianus Marcell. lib. XXII.* Post Demetrium etiam Mithridatem Helepoli usum legimus. Nam ad oppugnandum Cyzicum χώματά τε πολλὰ ἤγειρε, καὶ μηχανὰς ἐπήγνυτο, πύργους, καὶ χελώνας κριοφόρους. ἑλέπολιν ἑκατὸν πήχεων &c. *Appianus de bell. Mithrid.* Eandem machinam *Plutarchus in Lucullo* ξύλινον πύργον, ἑκατὸν πηχῶν ὕψος ὄντα appellat.

In urbibus oppugnandis præcipuum machinæ usum fuisse, ex ijs, quæ dicta sunt, liquet. Vehemens ex ea & periculosa obsessis erat urbium oppugnatio, vel, ut *Flavius Vegetius* loquitur, præsens periculum civitatis erat, si ad murum fuisset turris admota. Quare plerumq;, quando cætera oppugnationis instrumenta frustra consumta erant, aut alijs armis expugnari urbs propter locorum difficultatem non posset, ad hanc ultimò confugerunt. Postquam Annibal octo menses Saguntum obsedisset, tandem beneficio turris mobilis, quæ omnia munimenta urbis superabat altitudine, quæq; admota catapultis balistisq; per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudabat, agmina armatorum in urbem vadebant, *Livius Dec. III. l. 1.* Bello Punico II. cùm Marcellus Syracusas, inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem (uti in obsidionis difficultate describenda vocat *Livius Dec. III. l. 5.*) obsideret, tali turri usum scribit *Silius Italicus l. XIV.* illis versibus;

Turris multiplici surgens ad sidera tecto
Exibat, tabulata decem cui crescere Grajus
Fecerat, & multas nemorum consumserat umbras,
Armatam hinc igni molem, & devolvere saxa
Certabant, calidæq; picis diffundere pestem.

Uxellodunum, in monte situm & præruptum undiq; oppidum præcipuè ad deditionem Cæsar cogit per turrim, ex qua tela tormentis jaciebantur in eos, qui

qui aquatum venissent, *Hirtius bello Gall. lib. IIX.* Jugurtha, cum propter naturam loci Cirtham urbem armis expugnare non posset, turres exstruit, easq; præsidijs firmat, *Sallust. bell. Jugurt. cap. 23.* Metellus Thalam, operibus & locorum asperitate munitam videns, vallo, fossaq; mœnia circumvenit, vineas egit, aggerem jecit, & huic turres imposuit, *Idem cap. 76.* Jotapatenos Vespasianus tribus turribus quinquagenum pedum gravissimè affligit, *Joseph. bell. Jud. l. III. cap. 20.* Judæos à Tito obsessos πρὸς τὰ λοιπὰ καρτερῶς ἀντέχοντας, ἐκάκωσαν οἱ πύργοι. Inprimis ariete magno, quem Judæi Nicona vocabant, (ita enim appellabant maximam Romanorum Helepolin) primùm extimum murum perrupit, *Joseph. bell. Jud. lib. VI. cap. 8.* Septem menses Fridericus I. anno 1160. Cremam obsederat, cum tandem omnibus frustra tentatis, turribus oppugnationem urbis aggreditur, & ad deditionem cogit, *Radevicus l. II. cap. 58. & 59. Guntherus in Ligurino, l. X.* Magnus hinc terror hac machina hostibus sæpe injectus, non illis tantùm, qui eam antè non viderant, sed etiam, quibus nota satis erat. Indos, Mazagarum urbis incolas, præcipuè rudes talium operum terrebant mobiles turres Alexandri M. tantasq; moles nulla ope, quæ cerneretur, adductas, deorum numine agi credebant, *Curtius l. IIX. c. 10.* Aduatici Galli, ut in castris Cæsaris turrim constitui procul viderunt, primum irridere ex muro, atq; increpitare vocibus, quod tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur. Ubi verò moveri, & appropinquare moenibus viderunt, nova atq; inusitata specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt, *Cæs. bell. Gall. l. II.* Suessones Galli, celeriter vineis ad oppidum Noviodunum à Cæsare actis, aggere jacto, turribusq; constitutis, magnitudine operum quæ neq; viderant antè Galli, neq; audierant, permoti legatos ad Cæsarem de deditione mittunt, *Ibid.* Ita incolæ urbis Pyrisaboræ (Bersaboræ *Zosimo*) in Perside, conspecta Helepoli, quam Julianus jubebat fabricari, subitò vertuntur ad preces, *Ammian, l. XXIV.*

Sæpe tamen his turribus parum effectum est, cùm aut spatium, per quod admovenda machina erat, minus aptum esset, aut locus oppugnandus editior, quàm ut turres ei æquari, vel superare illum possent, aut etiam obsessi alia arte vim machinæ eluderent. Alexander M. in obsidione Gazæ turres admoveri jubebat. Sed humus admovendis inutilis turribus, desidente sabulo agilitatem rotarum morabatur, & tabulata turrium perfringebat, *Curt. l. IV. cap. 6.* Idem accidit Romanis in bello Macedonico I. COS. Flaminius in urbe Rhage oppugnanda turrim ingentis altitudinis, magnam vim armatorum multiplici tabulato portantem, promovit, Et paulò pòst: Cùm turris per aggerem parum densati soli ageretur, rota una in altiorem orbitam depressa ita turrim inclinavit, ut speciem ruentis hostibus, trepidationemq; insanam superstantibus armatis præbuerit, *Livius Dec. IV. lib. 2.* Helepolin Demetrij artifex Diognetus in urbem Rhodiorum pertraxit, *Vitruv. lib. X. cap. 22.* C. Trebonius, Cæsaris Legatus, duabus quidem ex partibus agge-

rem,

rem, vineas, turresq; ad Massiliam agebat; sed magnitudo operum, altitudo muri atq; turrium, multitudo tormentorum omnem administrationem tardabat, *Cæsar bell. civ. l. II.* Eas ipsas turres ita describit *Lucanus l. III.*

Dux tamen impatiens hæsuri ad mœnia Martis
Versus ad Hispanas acies, extremaq; mundi,
Jussit bella geri, stellatis axibus agger
Erigitur, geminasq; æquantes mœnia turres
Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum causa repsere latenti.

Cum T. Vespasianus tres turres quinquagenûm cubitorum ad urbem Hierosolymam construxisset, una earum nocte vitio aggeris sponte sua collapsa est, *Joseph. bell. Jud. lib. VI. cap. 8.* Quanquam Persæ nullo tormentorum genere vehementius Romanos in Amida urbe obsessos anno CCCLIX. affligerent, quam balistis, quæ ferreis turribus impositæ erant: tamen Romani invenere tandem, quid atroci isti exitio objectarent. Nam per scorpionum ferreas fundas lapides acti, dissolutis turrium coagmentis, balistas earumq; tortores fudere præcipites, *Ammianus Marcellinus l. XIX. & XXVI.* Vitiges, Gothorum Rex, Romam anno Ↄ XXXVII. obsidens, inter cæteras machinas etiam turres ligneas ad invadenda mœnia præparabat. Ex quibus una, eaq; maxima, cum bobus traheretur, illi consilio Belisarij à militibus jaculis confecti sunt, *Procopius bell. Gothic. l. I.* Cùm tamen idem Vitiges anno sequenti in Arimini obsidione ligneam turrim excitaret, mœnia altitudine superantem, eam, ne iterum risum pararet hostibus, non boves, sed homines intra vineas conditi trahebant, *Idem bell. Goth. l. II.*

Sed & ad defendendas urbes nonnunquam usurpabant. Alexandrini turres ambulatorias denorum tabulatorum confixerant, subjectisq; eis rotis in quamcumq; erat visum, partem movebant, *Hirtius de bell. Alexandr.* Ita hîc apud Auctorem nostrum Constantinopolitani urbem turribus ligneis, quæ partim trium & quatuor, partim sex stationum, i.e. tabulatorum fuere, muniunt.

Etiam ad castra oppugnanda turres interdum erectæ. Nervij Galli castra Romanorum turribus ad vallum actis oppugnant, *Cæsar bell. Gall. l. V.*

In castris etiam defendendis adhibitas, legimus. Cæsar enim in muniendis castris suis contra Gallorum impetum turres crebras excitari imperat, *Hirt. bell. Gall. l. IIX.* Cum castra hiberna Ciceronis à Gallis oppugnarentur, Romani vallum castrorum turribus CXX. (nisi mendum in numero latet) muniunt, *Cæsar bell. Gall. l. V.* Tandem etiam navibus imponebant turres, quibus milites in oppida maritima inferrent, aut quas ita prope ad urbem admoverent, ut jaculis & sæpe cominus cum obsessis dimicare, aut etiam in prælio navali pugnare cum hostili classe ex illis possent. Confirmat *Plinius l. XXXII. c. 1.* cùm inquit: Armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoq; pugnetur velut è muris. Pompeij filius navẽ, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres &c. *Cæsar. bell. civ. l. III.* Hæ naves inde turritæ *Virgilio* dictæ, de prælio Actiaco *Æneid. IIX. v. 691.*

pela-

- - - - - - pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Turres autem in pugna ad Actium habuisse Antonium, exsertè testantur *Dion & Florus.* Ille quidem *lib. L.* in isto: Antonius *κατεσκεύασε πολὺ τῶν ἐναντίων ὑπερέχοντα, καὶ ἐπ' αὐτὰ πύργους τε ὑψηλοὺς ἐπικατεσκεύασε.* Et deinde: Antoniani fugam spectantes, *οἱ μὲν τὰ ἱστία ἤγειρον, οἱ δὲ τοὺς τε πύργους καὶ τὰ ἔπιπλα ἐς τὴν θάλασσαν ἔρριπτον, ὅπως κουφίσαντες διαφύγωσι,* eorum partim vela pandere, partim turres ipsas cum armamentis in mare proijcere coeperunt, quò levatis navibus facile effugere liceret. Hic autem *lib. IV. cap. I.* cùm inquit: Hostium naves â senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus, atq; tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie ferebantur. Idem Antonius Murcum oppugnabat navibus longis, *ἀπεμάχετο δὲ καὶ πύργους, οὓς ἐπῆγεν ἐπὶ σχεδιῶν,* i.e. atq; etiam turribus in ratis impositis &c. *Appianus l. III. bell. civ.* Hæ turres non solùm ad proram, sed etiam ad puppim locatæ. De prælio navali Cæsaris & Pompeij *Appianus l. V. bell. civ. ἐσκευάστο δ' ἀμφοτέροις πάντα λαμπρῶς, καὶ πύργους ἐπὶ τῶν νεῶν εἶχον κατά τε πρῷραν καὶ κατὰ πρύμναν.* Erat autem utrinq; apparatus magnificus, impositis â prora puppiq; turribus. Ad Rhodum oppugnandam Cassius à mari classem admovet, non imparatam i nfestandis mœnibus. Præcogitans enim tale aliquid, *ἐπεφέρετο πύργους ἐπτυγμένους, οἳ τότε ἀνίσταντο, Idem lib. IV. bell. civ.* In oppugnanda Aquileia constructas ligneas turres, propugnaculis hostium celsiores, imposuere trigeminis navibus, valide sibi connexis: quibus insistentes armati, prohibitores dispellere collatis ex propinquo viribus nitebantur, subterq; velites è turrium cavernis aggressi, injectis ponticulis transgredi festinarunt, *Ammian. l. XXI.* Veneti & Galli in expugnanda Jadera (de quo paulò supra in Notis) castella navibus imposuere, *Ant. Bonfin. rer. Ungar. Dec. II. l. 7.* Adde *Lazar. Bayfium de re navali.*

Nihilo minus. i) ita in *MSS L. B. & R.* legitur. In *lit. ad Adolphum* sic: Nihilominus etiam inter quaslibet duas turres seu petraria seu magnellus erigitur. Vitiosè editum erat: Nec minus inter duas turres qualibet seu *paterca* seu magnellus erigitur. In *MS. L.* etiam corruptè legitur *peterca.* Petraria instrumentum bellicum erat, quo petras, seu lapides in loca obsessa jaculabantur. Petrariæ *πετροβόλοι* dicuntur *Diodoro Siculo l. XX.* Petrarius pro curru usurpatur, quo petrariæ vehebantur, apud *Godefrid. Monachum anno 1203.*

Magnellus. k) Machinas bellicas Græci etiam *Μάγγανα*, Latini Mangana & Manganica dixere. Sed subsequentibus seculis vox corrupta est, & variè flexa. Nam etiam Mangones, monangones: mangæ, mangenæ: mangonella, magnellus, mangotella mogonellus dixerunt. Mangenæ & Mangenellæ, numero multitudinis, dicuntur

Alber-

Alberto Aquensi Chron. Hierosf. Tormenta, quæ vulgo mangas vocant, inquit *Radevicus de reb. gest. Frider. l. II. c. 47.* Alios in manganis ferreis occiderunt, *Joann. Thwrocz part. II. c. 36.* Fuerunt autem machinæ, urbium & castellorum expugnationi præcipuè inservientes, quibus saxa, & alias res, ut ollas flammivomas longè projicere, & in urbes atq; arces obsessas conijcere poterant, uti constat ex *Alberto Aquens. lib. III. cap. 41. & 46. lib. VI. cap. 15. 16. 17. 19. lib. VII. cap. 2. lib. X. cap. 45.* Videatur *Lipsius Poliorcet. lib. III. dial. 3.* Plures machinæ Germanis nostris, quibus saxa in obsessorum loca proijcerent, in usu fuere. Quæ cùm ab alijs & descriptæ solicitè, & artificiosè depictæ sint, huc referre, ne Iliada post Homerum, non est animus. De blida tantùm, quæ ex petrariarum genere, cùm parum de illa tradiderint, pauca annotare operæ pretium putamus. Ea machina ita capax erat, ut non saxa modò, sed integra etiam mortuorum pecorum cadavera illâ per aërem in obsessas arces aut urbes immittere possent. Sed juvat audire ipsum *Olaum Magnum lib. XI. cap. 34.* ita structuram & usum ejus enarrantem: Est & aliud tormenti genus bellicum, longè vetustius, inter duas sublimes & elevatas trabes per modum libræ in medio suspensum: cujus altera pars humi, vel deorsum ligata, bursam habet duabus, vel tribus bovinis cutibus, & chordis, instar projectilis fundæ coriariæ adaptatam: quam putridis cadaveribus, equorum scilicet, vel canum, aut lapidibus, vel ferreis globis repletam, solutis tenaculis altera pars immensi ponderis alligati, vehementissimò impetu ad destinatum arcis, vel urbis locum in obsidione per aëra fundit. Hocq; instrumentum vulgari Gothico Blida dicitur, quasi alacritatis nomen per contrarium, omnibus incutiens terrorem & ruinam. Blid jucundus dicitur, sed minimè in hoc casu. Vetus relatio est, ante urbem Calmarnensem meridionalis Gothiæ anum quandam pausandi gratia sese in hujusmodi bursam immisisse, atq; incautè baculo tenaculum resoluisse, etiam ob id per aëra injectam fuisse &c. Hactenus *Olaus.* Henricum Leonem anno 1189. in oppugnando Bardeuico blidas in mœnia evibrasse, scribit *Henricus Meibomius in Bardeuico.* Cùm Lubecenses anno 1290. contra Hermannum Ribe, Principum Saxoniæ, qui tunc nondum adoleverant, Tutorem, bellum gererent, in obsidenda arce Raceburgensi hac usi machina sunt. **De van Lubeke makeden oc vele Pramen to wol bewiget. Darmede senden se vele Volkes vor dat Huß to Raceborgh. Dat worpen se up myt eren Bliden** *Duo Chronica Lub. MSS.* Per idem tempus, anno videlicet 1291. Duces Mechlenburgenses societatem ineunt cum Lubecensibus de arcibus nonnullis prædonum in vicinia evertendis, promittuntq; Lubecenses, se ad rem perficiendam blidã suppeditaturos. Verba Tabulæ, quæ initam societatem continent, cùm alibi obvia non sint, ex veteri membrana adscribemus: **Unde hyr to schal uns de Stad Lubeke denen myt ener Bliden unde eren to behöringhen myt twyntig gewapenen unde söuen Schutten/unde de wylle wy vor middelst unsen Mannen to den Steden unde Vestẽ voren/unde wanner wy unse Dinghe darmede ghedann hebben/ danne wille wy de ungezetighet wedder to Lubeke bringhen laten.** Blidis etiam usi sunt Lubecenses

anno

anno 1307. in bello contra Gerhardum Holsatiæ Comitem. Tunc enim in turrim, quam ille Travæmundæ ædificarat, & superiori anno munitam admodum fecerat, blidâ saxa inijciunt, *Joh. Ruff. Chron. Lub. MS.* Idem Gerhardus Comes arcem Linovv à prædonibus insessam blidis oppugnat anno 1312. *Idem.* Aut ipsa blida, aut prorsus similis illi fuit ista machina, qua Carolus de Durantio in arce Neapolitana anno 1381. expugnanda usus est. Eam *Gobelinus ætat. 6. cap. 76.* ita depingit: Ut igitur citius Karoli consilium sui laboris finalem consequeretur effectum, quoddam turpis machinationis genus hunc excogitavit in modum: Capiebantur quædam barilia, quæ stercore humano mixto cum manibus, pedibus, vel capitibus, aut alijs membris à captivorum corporibus nimia crudelitate præcisis, impleta, machinis ad aëris alta projecta, dehinc cadentia deorsum, super ipsius castri planiciem, vel ædificiorum structuras, impetuosè magno cum fragore collisa, tantum fudere fœtorem, ut intra claustrum existentes, in aëris infecti attractione continua vomere compulsi, ilicò se suffocari timuerint. Aliam hujus generis machinam habet *Nicolaus Bellermontanus Dissert. Politic. XXIX.*

dnplexq;. l) ita restituimus ex *MS.L.B.& R.* item ex *lit. ad Adolph.* in quibus hæc ita leguntur: duplexq; fossatum, ne muris ulla applicare valerent ingenia. Editum erat: *Duxitq; fossatum &c.*

fossatum. m) De fossis ante urbem faciendis *Flav. Veget. l. IV. c. 5.*

ingenia, n) Ingenia hîc sunt machinæ bellicæ, turribus & urbibus expugnandis aptæ. Cùm enim machinæ istæ inprimis ingenij beneficio & artificiosa inventione fiant, posterioribus seculis istæ ingenia dici cœperunt: & architecti earum Ingeniarij & Ingeniatores. *Asconius* de illa: Machina est, ubi non tam materiæ, quam ratio artis atq; ingenij ducitur, apud *Lipsium Poliorcet. lib. I. dial. 3.* Sic hujusmodi machinas bellicas sæpe vocat ingenia *Henricus Comes in lit. ad Ducem Brabant. apud Godefridum.* Turris lignea, affabrè atq; ingeniosè facta, in expugnanda urbe Marra adhibita castrum ingeniatum appellatur in *Gestis Francor. lib. IV. cap. 33.* Christianos Principes, cùm in occupanda urbe Hierosolymitana cum multis conflictarentur difficultatibus, animo constituisse, ingeniare civitatem, narratur *ibid. cap. 38.* De Nicea urbe: reddiderunt urbem, cùm jam ipsa vi & ingenijs coercita esset, *Fulcher. Carnotensis cap. 4.* Turci ingenia, quibus Sardonas capi posset, præparant, *Gauter. Cancell. de bell. Antioch.* Magister artis ingenia sua aptat, *Alb. Aquens. lib. II. cap. 35.* Turci faciunt ingenia ingenijs Christianorum opposita: item, ad fabricanda ingenia &c. *Mar. Sanut. lib. II. part. 5. c. 8.* Peregrini (Christiani milites) in oppugnanda Nicæa, varijs ingenijs turrim unam obruunt, *Idem, l. III. part. 4. c. 13.* Attila multa ingenia, machinas videlicet præparare fecit, *Joann. de Thwrocz. part. I. c. 13.* Hinc boni ingeniatores dicuntur *Sanuto. l. II. part. 4. c. 22.*

Sed

Sed unus. o) Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quendam nostri pedites trucidarunt. *lit. ad Adolph.*

occupator. p) incubator. *ibid.*

pacis securitas. q) *pacis* additum ex *MSS. L. B.* & *lit. ad Adolph.*

ac imperiali. r) ac imperiali sepultura concessa, additum ex *MS. R.* Hoc imperiali sepultura concessa propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat, *liter.*

scalis aptatis. s) ita ex *MSS. L. B. R.* & *lit. ad Adolph.* restitutum.

sub veneratione. t) subventione *MS. R.* & *lit. ad Adolph.*

deterior. u) superior. *ibid.*

pridie. x) Idem dies expugnationis exprimitur in *Novella Imperat.* his verbis: γέγονεν ἡ ἅλωσις τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὑπὸ τῶν λατίνων, κατὰ τὴν ιβ, τοῦ Απριλλίου μηνὸς, *Juris Græco-Romani l. II.*

capitur. y) Ab hoc tempore, qvo expugnata Constantinopolis est, nostri eam tenuerunt annos novem & quinquaginta, menses tres & dies quatuor, *Georgius Phranza lib. I. cap. 4.* Secundum calculum *Onuphrij Panvinij l. II. Roman. Princ.* sunt anni LVII. Græci Imperatores interea in Nicea & Trapezunte urbibus commorabantur, *Marq. Freherus Epist. dicat. in Jus Græco-Romanum.*

Latinitas. z) ita recte *MS. R.* & *lit.* Corrupte editum erat: *Tutò latitans.*

venerabiles. α) In his erat Thomas Maurocenus, qui statim Patriarcha Constantinopolitanus designatus est, *Nicet. de Balduino Flandro, c. 6.* Ita enim inter Proceres convenerat, ut, si Veneti nominis Imperator declaratus non esset, quem ipsi vellent, suæ gentis antistitem urbis crearent. Idem Romam ad Innocentium Pontificem profectus est, ut adeptæ dignitatis eum faceret auctorem. *Anton. Sabell. Decad. I. l. VIII. Petrus Bizarus de bello Veneto l. I.* Ad eundem extat Decretalis *Extrav. c. 8. de Major. & Obedient.* in qua agitur de ecclesijs, qvæ Constantinopolitano Episcopo subjectæ esse debeant. De hac Maurocenorum apud Venetos familia *Prosper Alpinus Præfatione sui libri ad Antonium Maurocenum*, supremum Reip. Venetæ Consiliarium, inter cætera ita: Quis verò hîc, aut alibi nunc est, qui istius familiæ claritatem, antiquitatem atq; auctoritatẽ ignoret? Quam tot Serenissimi Duces, classisq; maritimæ præfecti excellentissimi, quam Cardinales amplissimi, & Patriarchæ ex ea orti (qui plurimùm olim Christianam Rempubl. illustrarunt) quam senatores alij fere innumeri maximis honoribus, ac dignitatibus varijs temporibus in hac Civitate decorati, adeo nobilem, amplam, & Illustrem esse declarant, ut hoc ad ejus laudes maximè sufficere possit.

sub Domino. β) sub dominio nostro. *lit. ad Adolph.*

Dominica. γ) XVII. Kal. Jun. anno 1204. decem virorum suffragijs creatus, à Thoma Mauroceno, jam Patriarcha Veneto, coronatus est, *Onuph. Panvin. l. II. Roman. Princip. Petr. Bizar. ibid.*

gloriosè δ) gloriosè coronatum, *lit.*

lachrymis, sublimarunt. ε) ita ex *MSS. L. B.* & *lit.* restituimus. Editum erat: *Nos sublimarunt.*

Hierosolymitanæ. ζ) Vox additur in *MSS. L. B. R.* & *literis ad Adolph.*

præoptatæ. η) Et hæc vox in *MSS. L. B. R.* & *lit. ad Adolph.* adijcitur.

Ad universum Caput XX.

Quæ duobus his capitibus obscuriùs ab Auctore exposita sunt, clariora evadent, si conferantur cum luculenta illa narratione *Nicetæ Choniatæ*, qui urbis expugnationi atq; direptioni interfuit, quiq; ipse miserrima vidit, atq; eorum pars magna fuit. Ex hoc ergo optimæ fidei scriptore in gratiam lectoris ordinem rerum gestarum breviter excerpemus.

Isaacius Angelus, sive Comnenus, fit Imperator Constantinopolitanus anno 1185. Alexius Angelus, frater ipsius, anno 1195. illum imperio deijcit, & oculis privat.

Isaacius literis ad Irenen filiam, Philippi Romani Imperatoris conjugem, missis ad opem sibi ferendam eam instigat. Filium quoq; Alexium juniorem ad Philippum eodem consilio mittit. *Lib. III. de Alexio Comneno c. 8.*

Parabat eodem tempore bellum contra Alexium Ericus Dandulus, Venetorum Dux, idq; propter injurias quasdam Venetis à Byzantinis illatas. Cumq; per idem tempus Bonifacius, Marchio Montisferrati, Balduinus, Comes Flandriæ, Ericus (Henricus) Comes S. Pauli & alij heroes in Palæstinam tenderent, cum his Venetorum Dux societatem & foedus contra Byzantinos init. Alexius junior literis commendatitijs Papæ & Philippi Imperatoris instructus ad Venetorum & Argonautarum Christianorum classem accedit, &, ut se in patrium imperium restituant, magnifica pollicetur. Tum classis, magno apparatu instructa, Jaderâ prius ad deditionem compulsâ, Epidamnum appellit: Alexius ab Epidamnijs Imperator salutatur. Inde ad Corcyram provecti, Constantinopolin vela convertunt. Eò VI. Julij anno salutis 1203. perveniunt, *c. 9.* Urbs terra mariq; obsidetur: fiunt conflictus, in quibus Byzantini ferè semper vincuntur. Die XVII. Jul. acerrimè pugnatur, Latini igni in tecta urbis conjecto, magnam ejus partem incendio consumunt. Imperator homo ignavissimus, non exspectata urbis occupatione, noctu elapsus fugit, *c. 10.*

Altero die Byzantini excæcatum Isaacium Imperatorem iterum salutant: statim Alexio filio & Latinis Imperatoris fugam nunciant. Filius patri collega in imperio adjungitur, Latinorum Duces in urbem ingressi, multa insolenter agunt. *Libro de Isaacio Angelo & Alex. F. c. 1.* Non multò pòst pater ægrè fert, filium sibi æquari, vel potius anteponi; Unde inter eos animorum disjunctio & dissidium. Atq; uti filius ob crapulam & aleam atq; alia flagitia: ita pater ob superstitionem, uterq; ob effusas in Venetos & Latinos donationes reddebantur exosissimi, *cap. 3.*

Cum Latini rapinis, incendijs, ferro grassarentur, & neuter Imperatorum, nec pater nec filius, illorum petulantiæ obsisteret, solus autem Alexius Ducas Murzuflus sese eis opponeret, multitudo plebeia ad rebellionem spectabat, & huic

Mur

Murzuflo haut obscurè votis suis imperium destinabat. XXV. Jan. 1204. *capite* 4.

Conveniunt post triduum Byzantini, in magno templo, & adolescentem quendam Nicolaum Canabum Imperatorem inaugurant. Ad hunc submovendum Alexius (Isaacius jam animam agebat) Marchionis consilium & operam requirit. Murzuflus, cum regnum affectaret, & videret, si Alexius restituatur, se frustra niti, Nicolaum primum sub amicitiæ specie ad vitandum, uti ajebat, ab Alexio imminens periculum, è palatio in templum ducit; deinde captum carceri includit; Alexio verò guttur laqueo elidit. *cap. 5.*

Murzuflus in imperio confirmatus Latinis se opponit, urbem contra eos munit, & qui frumentatum exierant, persequitur. Cumq; Balduinus aliquando Phileæ loca finitima popularetur, & tributa exigeret, Murzuflus ei occurrit. At conflictu inito fugit, & genetricis Dei imaginem hostibus prædam relinquit, *Libro de Murzuflo, c. 1.* Conveniunt deinde Murzuflus & Venetorum Dux, ut de pace ineunda agant. Dux suo & reliquorum Principum nomine graves conditiones proponit. Quas cùm inire nollet, Latini denuo scalis ad malos navium aptatis urbis oppugnationem IX. Aprilis fortiter adgrediuntur, sed virtute defendentium repelluntur.

Postridie & sequenti die Dominico quiescunt. Inde XII. Aprilis animosiùs etiam urbem oppugnant. Usq; ad meridiem Byzantini superiores in dimicando existunt & pugna atrocior, quàm nudius tertius committitur. Dum ita acriter utrinq; pugnatur, duo viri ex scalis in turrim urbis desiliunt, & populares suos dato signo confirmant. Hi porta effracta invadunt urbem, & passim magnam stragem hominum edunt. Ducas nocte sequenti Euphrosynâ Imperatoris Alexij conjuge, & Eudocia filia ejus, quam deperibet, assumtis, fugit, cùm menses duos & dies XVI. imperasset. *c. 2. & 3.*

Post fugam Imperatoris duo juvenes bellicosissimi Ducas & Lascaris, uterq; gener Alexij Imperatoris, de imperio contendunt. Nonnulli quidem, & inprimis Patriarcha cum cæteris sacri ordinis viris, Lascarim ad regiam dignitatem evehere studebant; sed illi suo conventu Latinis ansam præbebant, urbem & templa fœdè diripiendi. *c. 3. 4.* Tandem Latini in æde S. Apostolorum de creando Imperatore acturi conveniunt. Quatuor erant candidati, qui imperium affectabant. Eligitur Balduinus, vir pius & justus, qui tum nondum secundum & trigesimum ætatis annum excesserat, *Lib. de reb. post expugnatam urbem gestis, c. 6.* Quomodo Latini imperium, & terras adhuc occupandas inter se diviserint, scribit *Nicetas ibidem* & *Nicephorus Gregoras l. I. §. 4.*

Anno statim sequenti, 1205. à Scythis tumultuario prælio captus, & annum atq; menses quatuor in vinculis habitus, tandem manibus & pedibus truncatis, in valem abjectus est; ubi tertio die miserabiliter expiravit. *Nicet. de Bald. Flandro cap. 4. & 10. Auger. Busbeq. Epist. I.*

ARNOLDI, ABBATIS LUBECENSIS,

CHRONIC. SLAVORUM LIBER VII.

CAPUT I.

1. *Wilhelmus, Comes Juliacensis. Philippo se adjungit, - - - 1204*
2. *Suasu Wilhelmi Adolphus Archiep. Coloniensis, Philippum Aquisgrani coronat, - - - - - 1205*
3. *Colonienses Archiepiscopum à Philippo retrahere student.*
4. *Innocentius III. illum Romam vocat.*

HÆc de statu Latinorum, & de subactione Græciæ, nobis comperta stu-
1. diis legentium communicamus. Sed quia de fine hujus historiæ certificare eos nondum possumus, nunc ad persequendam Regum narrationem conuertamur. Cùm igitur Otho rex Coloniam, ut dictum est, potenter obtinuisset, & amplior ei prosperitas arridere videretur, repentè inopinata adversitas contra eum exorta est. Siquidem Comes de Gulike contra eum insidias moliri cœpit, ita ut Philippo regi litteras & nuncios occultè dirigeret, hoc demandans, si ipsum divitijs & honoribus ampliare vellet, quòd non solùm omnes Principes, fautores Othonis regis, sed & ipsum Archiepisc. Coloniensem in suam partem adducere vellet. Qui gavisus est, hoc remandans, ut super hoc negotio ad locum determinatum sibi occurrere vellet. Quod & factum est. Philippus igitur eum sibi sub juramento arctius astringens, curiam quandam DC. marcas persoluentem ei in beneficio concessit, & ditatum auro & argento, vestibus preciosis & equis, ad sua remisit, omnesq; ei obsequentes bene induit. Wilhelmus (a) igitur Comes ipsum Archiepiscopum & om-
2. nes nobiliores ita præstigijs suis circumvenit, ut omnes Othoni renunciaverint, & in partem Philippi se inclinarint. Qvid plura? prævalente conspiratione, Philippus Aquisgranum potenter adducitur, ab Adolfo Archiepisc. Rex consecratur (b), & in sedem imperialem collocatur. Displicuit tamen ver-
3. bum istud Coloniensibus, qui fidem Othoni seruabant, arguentes super hoc Archiepiscopum, quòd eis inconsultis tantam novitatem præsumsisset. Multisq; supplicationibus ei insistebant, ut factum suum retractare vellet, revocantes

cantes ei ad memoriam factum Domini Papæ, qui ad ipsius petitionem regem Othonem confirmasset, & nulli nisi ipsi manum imponere decreuisset. Cumq; 4
Archiepiscopus nec animum nec factum mutare voluisset, directæ sunt literæ ad Dn. Papam tam Regis quàm Capituli majoris & civium civitatis, quod factum fuerat ei flebiliter insinuantes. Unde commotus per Apostolica scripta Archiepiscopo mandavit, ut infra sex septimanas Apostolicæ sedi se exhiberet, & de obiectis se expurgaret.

Wilhelmus. a) Quorundam opinione Adolphum quinq; millibus marcarum corruptum Ottone deserto Philippi partes secutum narrat *Levoldus à Northof Chronic. Comitum de Marka.* Adolphus Archiepiscopus, Brunonis, antecessoris sui non frater, (uti vult *Petrus Merssæus in Brunone II.*) sed ex fratre Eberhardo nepos juxta eundem *Levoldum* fuit. Genealogiam ex illo atq; ex *Herm. Korneri Chron. MS. ad ann. 1128.* concinnatam subijcimus:

Adolphus, Comes de Monte & Altena.

Adolphus. — Bruno, Archiep. Colon. tempore Lotharij.

1. Fridericus, Archiepisc. Colon. tempore Barbarossæ
2. Bruno, primum Propos. Bonnensis, deinde Archiep. Coloniensis, sed abdicat se anno 1193.
3. Eberhardus, Comes de Altena, succedit Brunoni in Archiepiscopatu anno 1193.
4. Engelbertus, Comes de Monte,

Consecratur. b) Juxta *Godefridi Monachi* narrationem initio anni 1205. consecrationem hanc factam esse oportet. Scribit enim anno 1204. post d. festum S. Martini Præsulem Coloniensem & Ducem Brabantiæ Philippo Confluentiæ juramentum fidelitatis præstitisse. Deinde Philippum in Epiphania Domini, videlicet anno seq. 1205. Aquisgrani Principibus, ipsi adhærentibus, conventum indixisse, atq; in hoc ipso conventu illum unctum esse addit. *Georg. Fabric.* ann. 1204. contigisse scribit.

CAPUT II.

1. *Henricus, Decanus Magdeb. à Gerhardo in itinere excæcatur.*
2. *Auctores sceleris præter alias multas etiam canem ferunt.*
3. *Conradus, factus Episcopus Wurtzburgensis, occiditur.*

INterim non obliuiscendum, quòd bonæ memoriæ Henricus, Decanus Magdeburgensis major, cùm pro negotijs suis Philippum regem adire voluisset,

isset, frater Burggrafij, Gerardus, suspectum eum habens, quòd contra Cancellarium Conradum, fratrem suum, aliqua moliri voluisset, insecutus est eum cum suis, & præsumtuosè manus in eum mittens, in terra supinatum exoculavit, virum bonum & pium, & ad decus suæ ecclesiæ vale nominatum. Quæ præsumtio hoc modo mulctata est, ut mille marcas argenti injuriatoq; persolueret, & de feudo suo ad centum marcas argenti ecclesiæ majori resignaret, & cum multis nobilibus hominium ei faceret, & cum quingentis militibus militarem ei pœnam persolueret, id est, ut singuli milites de loco perpetrati sceleris, usq; ad fores majoris ecclesiæ, caniculum (a) deferrent. Hoc quoq; addendum, quòd idem Cancellarius Conradus, resignato Episcopatu Hildensheimensi, cùm ad Episcopatum Herbipolensem sublimatus fuisset, quia erat vir zelator justitiæ, cùm pro ecclesia sua conflictum cum ministerialibus suis haberet, qui quadam præsumtione res ecclesiæ invaserant, conditione pacis interposita, ut ipsum negotium, mediante justitia, terminaretur, ab ipsis contradictoribus suis in ipsa civitate Herbipolensi dolosè occisus est. Unde à fidelibus in ipso loco occisionis suæ crux operosa erecta est, & in ea tale epitaphium exaratum:

Hîc procumbo solo, sceleri dum parcere nolo,
Vulnera facta dolo dent habitare polo.

Hæc est vox occisi, cum sanguine Abel justi ad Dominum clamantis. Dicunt quidam, etiam eum occisum in cilicio inventum, & eum viventem curam pauperum habuisse, & in eorum eleemosyna fertonem (b) auri omni septimana expendisse. Novit Dominus qui sint ejus. Quis virum tam delicatum, sericis ornatum, cilicio crederet indutum? Sed nonnunquam sub forma seculari latet animus spiritualis, & econverso sub forma spirituali occultatur, heu, animus carnalis.

---

caniculum. a) Occurrit hîc exemplum κυνοφορίας, poenæ militaris antiquis temporibus usurpatæ. Primum ejus exemplum *Witichindus Corbeiensis* ad posteritatē literis transmisit, Everhardus, Rheni Palatinus, Bruningo potenti in Thuringia viro bellum inferebat, Ellerum (Elueri, *Witich.*) oppidum ejus incendebat, incolis omnib9 promiscuè trucidatis. Otto I. Imperator atroci facto gravissimè commotus, Everhardo ipsi mulctam centum talentorum dicit, omnesq; principes & duces militum, quos Everhardus socios adjutoresq; ad eam rem habuerat, hac ignominia notat, ut canem ad urbem regiam Magdeburgum portarent, *Annal. lib. II.* Repetit *Georgius Fabric. orig. Saxon. anno 937. & rer. memorab. Sax. lib. I. anno eodem.* Et *Albertus Krantzius Sax. lib. III. c. 15.* Quod autem *Christophorus Lehmannus Chron. Spir. l. V. c. 4.* scribit, Everhardum ob antiqui generis splendorem, & auctoritatem in Imperio, ignominiâ ferendæ caniculæ liberatum, mulctam multorum equorum dedisse, inde est, quod ipso Witichindo auctore Imperator Everhardum conde-

condemnaverit centum talentis æstimatione equorum. Videlicet non ipsam pecuniam dare jussus est, sed tot equos, quorum precium ad istam summam pecuniæ excurreret. Idem innuit *Georgius Fabricius*, scribens, ipsum aliquot equos dare de more coactum fuisse. Boruinus, Wratislai, Bohemiæ Ducis, filius, ad hæreditatem paternam, quâ per Wladislaum pulsus erat, recuperandam, Pragam anno clↃ CX. capit. Wladislaus Henrici V. opem implorat. Is misso illuc exercitu Boruinum & socios capit, quibusdam oculos eruit, quosdam in vincula conijcit. Prætorem urbis insigni ignominia notavit, quippe in equum strigosum impositum, & post tergum illius vetulum canem alligatum, per circum jussit circumduci, lictore barbam ejus manu retinente, quam deinde cum mandibula abscidit, & columnæ in medio circi positæ affixit, extra mœnia Prætore extruso in exilium, *Joann. Dubrav. lib. X.* Ejusdem consuetudinis exemplum notavit, moremq; ipsum descripsit *Otto Frisingensis*. Cùm Imperator Fridericus I. anno clↃ CLV. in Italiam ad augustalem coronam capiendam movisset, bello inter Arnoldum Archiepiscopum Moguntinum, & Hermannum, Comitem Palatinum, orto, pax publica turbata est. Hermannus aliquot Imperij Principibus in suas partes adductis in Antistitis terras exercitum duxerat. Imperator reversus causam in Comitijs Wormatiensibus anno 1156. cognoscit, & Hermannum, cum decem Comitibus, quos facti socios habuerat, per milliare Germanicum, canes ferre coegit. Consuetudinem & exemplum his verbis enarrat: Deniq; vetus consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut si quis nobilis, ministerialis, vel colonus coram suo judice pro hujusmodi excessibus reus inventus fuerit, antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suæ ignominiam, nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus aratri rotam, de Comitatu in proximum Comitatum gestare cogatur. Hunc morem Imperator servans Palatinum Comitem Hermannum, pacis publicæ turbatorem, quamvis magnum Imperij Principem, cum decem Comitibus complicibus suis, canes per Teutonicum milliare portare coëgit. Hoc tam districto judicio per totam Transalpini Imperij latitudinem promulgato, omnes terror invasit, ut universi magis quiescere, quàm bellorum turbini inservire vellent, *libro. II. de reb. gest. Friderici cap. 28.* Frisingensis narrationem *Guntherus*, qui ut Otto, ita & ipse Imperatori σύγχρονος fuit, metris reddidit. Et primùm quidem *in Argumento libri V.*

- - - - - - merita consumit clade nocentes,
Cumq; Palatino, Comites bis quinq; potentes,
Ferre canes scapulis fœdissima pondera cogit.

Deinde disertiùs in ipso libro:

- - - - - - ac ni gravis ætas, & sacer ordo
Pontificem tutata forent, aut sanguine poenas
Solveret, aut summi pateretur probra pudoris.
Quippe vetus mos est, ubi si quis rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel seditionis apertæ
Turbine, seu erebris regnum vexare rapinis
Audeat; ante gravem quam fuso sanguine poenam

Excipiat, si liber erit, de more vetusto
Impositum scapulis ad contigui Comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre,
Sin alius, sellam. Cujus dispendia poenæ
Ille Palatini custos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare Comes cunctisq; videndus
Portavit scapulis passus plus mille latrantem.
Hanc quoq; tunc alij simili pro crimine poenam
Sustinuere decem Comites, totidemq; coacti
Foeda tulere canes generoso pondera collo.
Cujus inauditæ poenæ timor altus in omnes
Irruit, ut nullus procerum præsumeret ultra
Armata certare manu, sed pace sequestra
Judicis arbitrio sua quisq; reposceret æqui.

Rem gestam ita describit *Dodechinus Append. ad Mar. Scotum* anno 1155. ut etiam nomina quorundam Comitum exprimat, his verbis: Rex Nativitatem Domini Wormaciæ celebravit, ubi Hermannus Palatinus Comes, & Emicho Comes de Linengen (Lyningen, *Trithem.*) & Gotfridus de Spanheim, & Henricus de Katzenelenboge, & Conradus Comes de Kirberg (Kirchberg), Henricus Comes de Didissen (Didesheim), & alij ex parte prædicti Hermanni canes portaverunt. Et sic dominus Arnoldus Episcopus ab excommunicatione eos absolvit. Ex parte verò Episcopi canes portare qvidem coeperunt, Ludovicus Comes de Lohim, & Guilielmus Comes de Glisberg, & alij: Sed ob reverentiam archiepiscopi cessare ab Imperatore jussi sunt. Eandem historiam ijsdem pene verbis ex Dodechino repetit *Joann. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi* ad ann. 1155. Meminit & *Georgius Sabinus l. I. de Cæsaribus Germ. in Barbarossa:*

Mos antiquus erat, qui commoda publica pacis
Cæsare turbasset bella gerente foris,
Totius imperij reus inspectante senatu,
Ut canis impositum corpore ferret onus.
Ergo quod Italicis dum concita gessit in oris
Bella, Palatinus moverat arma domi:
Hunc, licet invitum detrectantemq;, coëgit
Indita per Nemetum mœnia ferre canem.

Ex his, & ijs, qvæ *Auctor* noster de Gerardo commemorat, conseqvitur, κυνοφορίαν apud Francos, Suevos, & Saxones fuisse pœnæ genus antiqvum. Nec verò quenquam movebit, in tot legibus Francorum, Saxonum, & aliorum populornm, quarum integri codices jam extant, nullam mentionem ejus poenæ fieri. Putandum enim est, legem scriptam de illa nullam quidem extitisse, sed more tamen & consuetutidine introductam fuisse, quæ vim legis obtinere haut raró solet. Atq; inde *Otto Frisingensis* scribit, veterem consuetudinem pro lege apud gentes eas inolevisse. *Guntherus* addit, veterem seu vetustum morem fuisse, ut qui jam prioribus

sceculis

seculis ante Ottonis I. ætatem in usu fuerit, quemq; postea neglectum Barbarossa in usum reduxerit. Sane ipse Henricus Auceps, Ottonis M. pater, Hungaris tributum ab Imperio Romano exigentibus scabiosum & tonsum canem mittebat, quod partim ex hoc contumeliæ genere, de quo agimus, profluxisse judicandum est. *Calvis.* anno 932. Catulam auribus ac cauda populatam misisse scribit *Mareschalcus Thurius Deflorat. lib. V.* Imò multò antiquius est hoc ignominiæ genus, si *Plautus Casin. act. 2. sc. 6.* huc respexit, cùm inquit: Deos quæso, tu ut quidem hodie canem & furcam feras; quod probabiliter asserit *Jacob. Cujacius Observat. l. XI. c. 22.* Deinde canes istos in scapulis aut collo gestatos fuisse, iidē Auctores commemorant, eosdēq; , ut ignominia major esset, scabiosos, aut aliqua parte corporis mutilatos: & quidem per satis longum spacium, ut per mille passus, aut ex uno Comitatu in alium, aut de loco perpetrati sceleris, usq; ad fores Ecclesiæ, ut noster Auctor habet: aut ad urbem regiam, in qua Imperator aulam habebat, ut est apud Witichindum. Videlicet, ut olim, qui ferrum ignitum nudâ manu gestabant, illud pro voluntate judicis à loco judicij, usq; ad eum locum ferre cogebantur, quem judicis sententia ipsis designasset: sic ijs, qui canē portabant, certum spacium in hoc curriculo à judice determinatum est. Sicut etiam hæc pœna plerumq; in Comitijs ab Imperatore & Statibus Imperij decernebatur: ita etiam ad ignominiam augendam in illis ipsis publicis conventibus eos plerumq; illam subire coactos fuisse apparet. Quod exprimit *Guntherus*, cùm juxta ipsum Hermannus Palatinus cunctis videndus canem scapulis passus plus mille tulerit. Fuisse itidem hoc pœnæ genus ignominiosum admodum, ex verbis horum Auctorum satis liquet. Vocant enim dedecus, ignominiam, summi probrum pudoris. Etiam illud ex dictis clarum, ab ipsis Imperatoribus potissimum hoc pœnæ genus impositum fuisse, idq; inprimis publicæ pacis turbatoribus, aut etiam istis, qui alius insignis sceleris rei essent: & ita quidem, ut nec ordinis ecclesiastici viri ab illo immunes fuerint.

Quam verò caussam aut rationem fuisse κυνοφορίας putabimus? Geminam affert scriptor Gallicus *Andreas Fauyn* apud *Johannem Limnæum de Jure publ. l. VI. c. 6. §. 91.* & *Additionib. §. 90.* priorem quidem, quod illa κυνοβαστα-ξία significatum fuerit, reum ex nobili familia ortum esse, cui ob generis claritatem venandi jura concessa fuerint: alteram autem, quòd cùm canis sit symbolum fidelitatis erga dominum, Nobilis feloniæ convictus, palam ostentaretur populo tanquam nequam, & perjurus in dominum atq; Principem suum, quiq; ideo non minus puniendus sit, quàm canis, cujus ea erga dominum fides est, ut ad mortem usq; pro illo pugnare paratus sit. Atq; hanc posteriorem sibi valde probabilem videri etiā *C. Rittershusius in Notis ad Guntheri l. V. v. 194.* & *Phil. Camerarius Hor. subcis. Cent. II. cap. XCV.* testantur.

fertonem b) Ferton, vel Verton, **Verding/ein Viertheil** est vetus Germanorum vocabulum. Ita legitur in vetustis libris Germanica lingua scriptis **ein Verton oder Verting Wachs**/inquit *Johannes Oldendorp in Lex. Juridico.* Singulis annis tenentur dare unum fertonem ceræ, *Anniversarij Alemann. eccles. apud Gol-*

dast. Tom. II. part. 2. Cùm de re nummaria usurpatur, est quadrans marcæ. Nam marcæ dividebantur in dimidias marcas & in Vertones, i. e. in quartam partem marcæ, *Tilemannus Friese, Speculo monetæ l. IV. c. 13.* Si igitur marca puri auri conficit ex vulgata computatione LXXII. Rhenanos, seu LXXXXVI. Joachimicos, Verto continebit XXIV. Joachimicos. Et quando marca puri argenti octo uncijs æstimata est, Verto confecit duas uncias, seu duos nummos unciales, qui hodie duo Joachimici. Fredericus mille fartorum annuam pensionē prætermisit, *Cap. H. de sentent. & re judicata in 6.* Quatuor in partes res ecclesiasticæ dividundæ erant, fertones dictas, secundum *Constitut. Caroli M. c. 32. In Decret. pontific. cap. Mos est. & cap. Sancimus, quæst. 2. caa 12.* Hanc hodieq; sacrificuli redimunt aliquot nummis, vocantq; vertonem. Curia locata pro tribus fertonibus argenti annuatim, *Ephemerides S. Galli, apud Goldast. Tom. I.* In *Aurea bulla c. XXIX.* jubet Imperator, ut Principes imperij, quando feudum ab Imperatore accipiunt, Officialibus Imperatoris dent LX marcas argenti cum uno fertone.

CAPUT III.

1. *InnocentiusIII. Archiepiscopum ad dicendam causam non comparentem, sede pellit, - - - 1205.*
2. *Bruno, Præpositus Bonnensis, illi succedit.*
3. *Innocentij super ea re epistola.*
4. *Bruno Ottoni adhæret.*

1 ARchiepiscopus tamen, neglecto mandato Apostolici, ejus præsentiæ se non exhibuit. Unde dati sunt judices, Henricus, Canonicus ad S. Gereonem, Anselmus & Christianus, parochiani. Qui eum legitimè citatum monerent, ut errori suo renunciaret; quod si nollet, eum excommunicatum deijcerent, & alium idoneum ecclesiæ suæ præficerent. Quod & factum est.
2 Cùm enim acquiescere nollet salutaribus monitis, sub interdicto positus est, & Bruno (a), Bonnensis Præpositus, ei est substitutus. Ad quod tamen negotium solennius exequendum à Domino Papa majores personæ sunt delegatæ, ut subjecta declarat epistola.

3 *Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepisc. Moguntino & Episcopo Cameracensi, & dilecto filio Scholastico S. Gereonis, Sal. & Apostolicam benedictionem.*

UT Adolfus, Coloniensis Archiepisc. incidat in foveam, quam paravit, & intret impius gladius in cor ejus, pertinax ipsius inobœdientia, perjurium iteratum, & proditio vulgata deposcunt. Ipse enim nec Deum timens, nec

nec reveritus hominem, nec Coloniensis ecclesiæ dignitatem attendens in offensam Dei, ecclesiæ Romanæ contemtum, & suæ sedis dispendium, à se jugum obœdientiæ excussit, juramentum semel atque iterum præstitum violavit, & eum prodidit, quem crearat. Sanè cùm olim carissimum in Christo filium nostrum, illustrem Othonem, in Romanorum Imperatorem electum, coronasset in regem, & fidelitatis ei præstitisset juramentum, apud nos multipliciter institit, ut eidem regi favorem Apostolicũ impendentes, ratum, quod ipse fecerat, haberemus. Cumque multiplicatis intercessionibus obtinuisset â nobis, ut in fœnore ipsius Regis deferremus honori ecclesiæ Coloniensis, cœpit in ejusdem devotione tepescere, ac manum suam ab aratro retrahens, occasiones frivolas invenire, ne quod plantaverat, irrigaret, quatenus citò aresceret planta ejus, cùm solitudinem suam manus subtraheret plantatoris. Etsi neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. Invaluit nihilominus per gratiam Dei novus palmes, & cùm extenderet jam ramos suos, & pullularet, vidit plantator invidus & invidit, & non potuit diutius occultare virus suum: quia nequam mentem iniqua operatio revelavit, & arbor agnita est in fructu. Commonitus igitur & conventus, iterum præstitit juramentum, quòd eundem Regem nunquam desereret, nec in partem alteram declinaret. Sed juramentum stabilire non potuit mentem illam, quæ innatæ levitatis vitio fluctuabat. Nos autem licet non de facili crederemus, quòd vir tanta præditus dignitate, sic esset adversarius superiori, & quod fecerat, intenderet annullare, ne quid tamen solicitudini nostræ deesset, ad constantiam eum excitare volentes, & monitis & minis institimus apud eum, & sub quanta potuimus ei districtione præcepimus, ut eidem Regi assisteret, & ad promotionem ejus efficaciter aspiraret, cavens solicitè, ne maledictionem pro benedictione reciperet, si illusisse nobis tam turpiter probaretur. Ipse verò non attendens, quòd sicut obœdientia victimis antefertur, sic inobœdientia idololatria comprobabatur, dirumpens in vitium inobœdientiæ incidit, & contra præceptum nostrum & proprium juramentum, corruptus pecunia, sicut fertur, dominum suum temerarius prodidit, & conversus in arcum perversum, nobili viro Philippo, Duci Sueviæ, contra eum impudenter adhæsit. Et ne quid præsumtioni ejus deesset, ne culpa ejus aliquo velamine posset palliari, nuper Aquisgrani, ubi præfatum Regem solenniter coronaverat, memoratum Ducem publicè coronavit. Quare excommunicationis sententiam incurrit, quam in ecclesia B. Petri Coloniæ coram multitudine copiosa, ipso præsente ac gerente stolam sacerdotalem in collo, & candelam accensam in manu tenen-

te, frater noster, G. Remensis Archiepiscopus, tunc Episcopus Prænestinus, Apostolicæ sedis legatus, promulgavit in eos, qui à præfato Rege recederent, & parti alteri adhærerent. Ut igitur Colonienses, qui noluerunt in malo caput languidum imitari, sed in eiusdem Regis fidelitate perstiterunt firmius, & persistunt, expurgato fermento veteri, quod voluit totam massam corrumpere, sint nova consperfio, sicut sunt azymi, nihil corruptionis habentes, cùm juxta canonicas sanctiones accusatione non egeat manifesta, unde nos ejus exemplo, qui absens corpore, præsens autem spiritu Corinthium damnarat absentem, potuissemus in eum sententiam promulgare, ad majorem tamen cautelam, consilio fratrum nostrorum & tam Episcoporum quàm Prælatorum aliorum plurimorum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, districtè præcipientes, quatenus cùm apud vos sint ita luce clarius manifesta, dictum Archiepiscopum pulsatis campanis, & accensis candelis, singulis Dominicis diebus & festivis excommunicatum publicè nuncietis, & faciatis per omnes ecclesias Colonienses & vicinas diœceses sub solennitate simili nunciari, suffraganeos & omnes vasallos Coloniensis ecclesiæ tam clericos quàm laicos absolutos ab ejus obœdientia nunciantes. Quia verò si tantum scelus remaneret inultum, quivis de cætero posset impunè inobœdientiæ vitium, periurij crimen & proditionis facinus perpetrare, sub eadem vobis districtione præcipimus, quatenus cùm hæc in illo possint apud nos tergiversatione celari, vos eum, auctoritate vestra suffulti, à pontificali officio sublatum cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo deponatis: Nisi forsan intra mensem post factam denunciationem á vobis ad sedem Apostolicam accesserit judicandus: his, ad quos jus electionis novistis pertinere, Apostolica auctoritate injungentes, ut personam idoneam, quæ tanto congruat honori, sibi eligant in pastorem. Quòd si electionem contigerit aliqua fortè, quod absit, occasione differri, ne bona ecclesiæ Coloniensis possint interim deperire, alicui personæ honestæ & providæ ac potenti committatis administrationem ipsius. Quia verò ejusdem ecclesiæ tanto amplius zelamus honorem, quanto clerum & populum ejus devotiores & firmiores sumus experti, ne unitatem ejus aliqua scissura corrumpat, si forsan hi, ad quos spectat electio, non potuerint convenire, præcipiatis eisdem, ut in aliquos viros idoneos conferant vota sua, ad sedem Apostolicam accedentes cum consilio nostro, qui ad eorum concordiam, faciente Domino, dabimus operam efficacem, ut personam idoneam sibi eligant in Prælatum.

Ta-

Taliter, ut meruit, Adolfus de dignitate sua est dejectus, & Bruno memoratus in locum ipsius est sublimatus. Qui à Domino Apostolico insignia Archiepiscopatꝰ suscipiens, & cum Othone, quæ pacis sunt, sentiens, in civitate quidem subditis suis præerat, Adolfus verò, utpote vir parentatus (b), quæ foris erant, violenter infestare non cessabat. 4

Bruno. a) Fuit Comes de Seyna, & Bruno IV. dictus. *Merssæus n. XLIIX.*

parentatus. b) Vir parentatus hîc, & infra *c. 9. n. 7.* est, multis majoribus clarus.

CAPUT IV.

1. *Pontificis in Ottone juvando constantia.*
2. *Ejusdem epistola.*

IN omnibus his Apostolicus, ut columna immobilis, à suo proposito non cessabat & hunc inobædientem ecclesiastica censura infirmare, & Othonis partes constanter confirmare. Nec defuerunt, qui suggestionibus sive muneribus seu promissionibus tentaverunt animum ipsius immutare. Ille vero nec prece, nec precio, nec etiam minis aliquo modo, quæ fecerat, volebat retractare, sed suum electum semper in omnibus studebat & confortare & confirmare. Hæc luce clarius nobis comperta præsentis scripti testimonio possumus comprobare. 1

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri regi Othoni, in Romanorum Imperatorem electo, Sal. & Apostolicam benedictionem. 2

SYnceræ intentionis affectum, quem circa promotionem regiam habuimus hactenus, & habemus, explicare nos litteris non oportet, cùm plenius hunc exponat effectus, & fidelius interpretentur mentem nostram opera quàm scriptura. Sanè præter opinionem plurium & multorum consilia suscepimus ab initio causam tuam, de cujus promotione omnes penè penitus desperabant, & studuimus efficaciter promovere. Nec te in articulo illo reliquimus, quo per obitum inclytæ recordationis Richardi, regis Anglorum, avunculi tui, videbaris ab omnibus derelictus. Licet enim non defuerint, qui multipliciter nos tentarent, & muneribus & promissis nos vellent,

lent à favoris tui proposito revocare, nec prece tamen, nec precio, nec minis, nec monitis potuerunt aliquatenus flectere mentem nostram, quin de die in diem amplius in tua dilectione ferveret, & ad exaltationem tuam propensius aspiraret. Quamvis autem neque qui plantat, neque qui rigat, sit aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, gaudemus tamen in eo, qui dat omnibus affluenter: quia ei, quod plantavimus & rigavimus, incrementum benignus indulsit, ita ut sicut granum sinapis, quod mulier in horto suo legitur seminasse, planta nostra in arborem magnam jam crevit, & in cujus ramis volucres cœli, Deo dante, in brevi sedebunt: & sub cujus umbra bestiæ terræ requiescent. Cùm igitur Dominus dirigat gressus tuos, & firmet de die in diem amplius regnum tuum, monemus serenitatem regiam, & exhortamur in Domino: quatenus cùm tempus acceperis jam opportunum, opportunè & importunè, vigilanter & incessanter insistas, ut bonum principium finis optimus subsequatur, & optatum commune desiderium nostrum sortiatur effectum, foveas in dilectione ac devotione Principes, qui te fovent, ut alios melius ad tuæ serenitatis favorem inducas, & dum tibi Principum favor arridet, ad tuæ promotionis profectum intendas, nec negligas in aliquo factum tuum, sed omni diligentia studeas promovere. Sanè speramus in eo, qui est in se sperantium fortitudo. Quòd si denuò profeceris, sicut hoc anno diceris profecisse, non erit, qui tuo profectui se opponat, vel divinæ dispositioni resistat. Datæ Anagniæ XVII. Cal. Ianuarij, Pontificatus nostri anno sexto.

Hæc de constantia Dn. Apostolici circa regem Othonem dicta sufficiant.

CAPUT V.

1. *Philippus Ducem Limburgensem ad suas partes traducit.*
2. *Limburgensis per fraudem cives Colonienses in hostem educit: cadunt CCCC. - - - - 1206.*
3. *Otto Rex cum filio Ducis elabitur.*
4. *Bruno Episcopus capitur & Würtzburgum ducitur,*

1 PHilippus autem Coloniam infestare non cessabat, qui etiam muneribus datis, ita omnes sibi, ut dictum, astrinxerat, ut ipsum Ducem de Limburg in suam quoque partem inclinaret. Ipse enim post defectum Adolphi Archiepiscopi curam civitatis acceperat, ita ut omnes & omnia ad ipsius nutum regerentur. Quodam(a) igitur tempore Philippo Coloniam impetente,
2 iste cives insidiosè eduxerat, & eos ab hostium impetu securos fecerat: cùm repen-

repente irruentibus hostibus super quietos, ad quadringentos viros strage facta, cæteri omnes, vix paucis evadentibus, in captivitatem ducti sunt. Rex 3
tamen evadens, cum Episcopo Brunone, & filio Ducis, cui nomen Walrauen, venit ad castrum Wassenburg, sperans se illic refugium habiturum. Timens tamen traditionem, per occultum quendam adhibitum, cum eodem Walrauen per noctem evasit. Hostes verò subsecuti, sperantes se Regem conclu- 4
sisse, cùm ipsum frustrati non invenissent, Episcopum latitantem comprehendunt, ac Philippo regi tradunt. Qui sperans se multum hac captivitate profecisse, eum in vincula conjecit, & aliquandiu in captivitate tenuit. Cumque ignominiosè satis ad multa loca deduceretur, Herbipolin tandem deductus est, ibique diutinam, remissius tamen, sustinuit captivitatem.

Quodam. a) Contigit hæc civium Coloniensium clades anno 1206. ut habet *Godefridus Monachus.* Wassenburg, *Godefrido* Wassinberg appellatur.

CAPUT VI.

1. *Papa Legatos ad concordiam sanciendam mittit.* - - - - 1206.	3. *Otho illos id contra mentem Pontificis fecisse ostendit.*
2. *Philippus ab his excommunicatione solvitur.*	4. *Bruno Antistes liber demittitur.*

POst hæc (a) ad bonum compositionis Dominus Apostolicus duos Cardi- 1
nales delegavit (nomen unius Hugo, Episcopus, & alterius Leo) ut Philippum ab excommunicatione solverent, si fortè per dispensationem bonorum & religiosorum Patrum, sive consilio principum, unitas pacis inter eos reformari posset, ea tamen conditione, ut Bruno captivus liberrimus ab omni captivitate laxaretur. Venientes igitur legati Domini Apostolici ad Philippum, ipsi legationis ordinem, qua fungebantur, exposuerunt. Cui in his, quæ audierat, bene placuit, sed Archiepiscopum absoluendum omnino negavit. Dicebat enim in absolutione Archiepiscopi nimiam se incursurum offensam, Adolfi videlicet, & omnium illorum, quorum gratia ad fastigium 2
Imperij per secundam consecrationem erat sublimatus. Cardinales igitur 3
cæcitate percussi, immemores mandatorum Domini Papæ, propter munera Philippi, qui eos argento & auro ditabat, & bene indutos lautissimè procurabat, Philippum quidem absoluerunt, sed Archiepiscopum vinctum reliquerunt. Dixerunt ergo Othoni regi: Nos æmulum tuum absoluimus, 4
ut cum eo, sicut mandavit Apostolicus, si fieri potest, ad pacis concordiam tendas. Quibus Rex: Si fecistis, inquit, mandatum Domini Papæ, istas perspiciatis litteras. Miserat enim Apostolicus Othoni regi litteras clanculo

culo de absolutione Philippi & liberatione Brunonis Archiepiscopi, eundem tenorem continentes. Cumque solutis litteris tenorem earum perspexissent, exterriti sunt valde. Quibus Otho minas terribiles intulit, à quibus
4 tamen pro reverentia summi pastoris abstinuit. Illi autem ad Philippum reversi, se errasse confessi sunt, dicentes sine liberatione Brunonis Archiepiscopi ejus absolutionem stare non posse. Qui necessitate compulsus, Brunonem bene tractatum à captivitate soluit, ipse verò ad colloquium regis
5 Othonis se præparavit. Cumq; (b) Philippus consisteret Quedelingenburg, & Otho in Harlingenburg, ad colloquium Reges cum Cardinalibus & admodum paucis convenerunt. Sed in nulla forma pacis ab invicem discesserunt.

Post. a) Cardinales hos in Germaniam missos esse anno 1206. asserunt *duo Chr. MSS. Lub. & Georg. Fabr.* Alij in seq. ann. reijciunt.

Cumq;. b) *Godefridus Monachus*, ad ann. 1206. ita de hoc colloquio: Post hæc ambo Reges, mediante Henrico de Kalinthin, familiare colloquium juxta Coloniam habuerunt, sed quid simul contulerint vel consiliati fuerint, non omnibus illo in tempore innotuit. Addit *Marquardus Freherus*: fortè de filia Philippi jungenda Ottoni, ut postea factũ. *Albertus Stad.* collocat colloquium in ann. 1207. & Quedlinburgi habitum esse scribit. Idem Henricus de Kalinthin Ottonem Wittelsbachium parricidam iterum interfecit, *Chronicon Elwangense, anno 1205. & alij.*

CAPUT VII.

1. *Philippus denuo Brunonem capit; sed ad Papæ minas iterum dimittit.*
2. *Transigitur inter Brunonem & Adolphum.*

1 PHilippus tamen placere volens Adolfo Archiepiscopo & cæteris amicis, necdum se à captivitate Brunonis abstinuit, sed eum comprehensum misit ad castrum firmissimum Rodenburg, ibique eum in captivitate tenuit. Quod cùm significatum fuisset Domino Papæ, denuò ei litteras misit, districtè præcipiens, ut Archiepiscopum Brunonem de captivitate solutum cum honore ipsum ad eum transmitteret: quod si non faceret, sciret se excommunicationi velut transgressorem subjacere. Philippus igitur Rex timens sententiam excommunicationis, Archiepiscopum cum honore ad Dominum Papam transmisit: Qui tam diu ibi stetit, quousque omnem dignitatem suam, Adolfo humiliato, cum plenitudine potestatis perciperet. Denique de Adolfo dispensatum fuerat, ut CC. marcas de telonio Ducensi perciperet, & totidem de Coloniensi, & Otho stipendia in ipsa civitate, & his contentus, Brunonem Archiepiscopum non inquietaret.

CA-

CAPUT VIII.

1. Livoni ad Christi fidem per Meinardum convertuntur.

2. Meinardus a Hartwico, Archiepiscopo Bremensi, dignitate Episcopi ornatur. - - - - - - 1170.

Opportunũ (a) arbitror, memoriȩ fidelium cõmendare, nec silentio prȩterire, devotionem & laborem multorum religiosorum, quo apud gentiles, qui Livones dicuntur, desudatum est, qui verbi Domini semina spargentes, ipsum populum ab idololatria cessare laboraverunt. Vidimus sanè propter eorum instantiam multos cooperatores existere, alios peregrinando, alios sua conferendo, ut seges Christi fructuosa consurgeret, & multa messe Diaboli zizania suffocarentur. Fuit autem primus hujus institutionis auctor Dominus Meinardus, Sigebergensis Canonicus, quem eloquium Domini inflammavit, ut eidem populo infideli pacem Domini nunciaret, & ipsum paulatim calore fidei scintillaret. Cumque vir bonus per aliquot annos cum negotiatoribus illuc iret, & suis negotijs devotus insisteret, sensit manum Domini non invalidam, & auditorum suorum devotionem plurimam. Accedens 2 igitur ad Bremensem ecclesiam, quam tunc Dominus Hartuicus Archiepiscopus regebat, suam intentionem, suorumque auditorum devotionem, ipsi Archiepiscopo similiter & capitulo majori exposuit, ut non sine auctoritate vel consilio cœpto labori insisteret. Qui sperantes ipsum plantando & rigando incrementum Domini percipere, ipsum ad prædicandum gentibus misetunt, simul etiam Pontificali honore sublimantes majore auctoritate roboraverunt. Ipse ergo humilis & devotus suis auditoribus verbi spargens semina, arguendo, obsecrando, magis tamen obsecrando duritiam gentilium frangens, ipsorum corda non minus muneribns quàm exhortationibus paulatim ad quod volebat, Deo annuente, perducebat.

Opport. a) Res hoc ordine gesta est: Mercatores Lubecenses seu tempestate maris, ut quidam narrant, seu studio mercaturæ faciendæ ad litus Livonicum anno 1158. imperante Friderico I. acti, à Livonis primùm licentiam merces suas inibi exponendi obtinuerunt. Hi postea *Meinardum*, Canonicum Segebergensem, secum illò perduxerunt, virum pietate insignem, atq; ad capiendos barbarorum animos aptissimum. Ad Bremenses hoc nonnulli, idq; per errorem, ex locorum fortassis ignoratione ortum, referunt, quòd Episcopus Lubecensis sub Archiepiscopo Bremensi esset, à quò Meinardus Episcopus consecratus est. Nec verisimile est, Bremenses illa tempestate Balthicum mare commerciorum gratia navigasse. Postquam Meinardus felices progressus aliquot annis in animis gentilium vera religione imbuendis fecisset, ab Archiepiscopo Bremensi, ut diximus, anno 1170. consensu Alexandri III. Episcopi dignitate auctus est. Ubi novæ ecclesiæ annos

tres & viginti præfuisset, *Bertoldum*, Cisterciensis Ordinis Abbatem, ab Hartwvico Archiepiscopo Bremensi consecratum anno 1196. habuit successorem. Bertoldus postquam Episcopatum rexisset annos undecim, in prælio, quod peregrini milites gerebant, qui pietate adducti ad militiam pro Christiana religione in illis locis introducenda confluxerant, fortiter occubuit. Tunc anno 1204. *Albertus* ab Innocentio III. eò missus est. Crescente multorum pietate plurimi sacræ militiæ adversus infideles se devovebant, & societate instituta Ensiferi (Schwärtbrüder) appellabantur. Hi cùm hostium barbarorum impetum diutius soli sustinere non possent, *ordini Teutonicorum*, in Borussia sejungebant. Nam *Volquinus*, Præpositus illorum, à Conrado, quinto Borussiæ Magistro anno 1234. in ordinem Teutonicum susceptus est. Ex quo tempore Magistri Livoniæ ordini huic in Borussia Teutonico tributarij fuerunt, usq; ad Albertum, Marchionem Brandenburgensem, à quo Livoni anno 1513. pecunia se redemerunt *Albert. Stadens. ann. 1195. & 1197. Balthas.* Rüssow / *Chronic. Livon. Krantz. Wandal. l. VI, c. 9. 10. Alexand. Guagnin. rer. Polon. Tom II.*

CAPUT IX.

1. *Rigæ Episcopatus à Meinardo fundatur. - - - - - - 1186.*
2. *Livonia fertilitate agrorum dives.*
3. *Meinardo succedit Bertoldus. 1193.*
4. *Bertoldus Christianos ad expeditionem sacram contra infideles istorum locorum hortatur.*
5. *Magna manus militum sacrorum ex Germania eò confluit.*
6. *Bertoldus per insidias à barbaris captus obtruncatur, - - 1204.*
7. *Albertus expeditionibus bellicis Livonos & vicinas gentes ad fidem adducit.*
8. *Equites Ensiferi in Livonia orti.*
9. *Livoni nec blandimentis nec tormentis ad fidem Christi abnegandam adduci possunt.*
10. *Russiæ Princeps tributis exigendis Episcopo molestias creat.*
11. *Episcopus & Ensiferi de terris occupatis inter se contendunt.*

1 ANno igitur verbi incarnati M. C. LXXXVI. fundata est sedes episcopalis in Livonia à venerabili viro Meinardo, intitulata patrocinio beatæ Dei
2 genitricis Mariæ, in loco qui Riga dicitur. Et quia idem locus beneficio terræ multis bonis exuberat, nunquam ibi defuerunt Christi cultores, & novellæ ecclesiæ plantatores. Est enim eadē terra fertilis agris, abundans pascuis, irri-
3 gua fluvijs, satis etiam piscosa & arboribus nemorosa. Dominus quoque Bertoldus Abbas in Lucca, relicta prælatione & ipse verbi semina gentilibus spargere studens huic labori non impiger se ingerebat. Unde gratia Dei cooperante, non parum gentilibus quibusdam acceptus erat. Considerabant sanè in

in viro gratiam conversationis, temperantiam sobrietatis, modestiam patientiæ, virtutemque abstinentię, instantiam prædicationis, iucunditatem affabilitatis. Unde post decessum Domini Meinardi, qui, ut præmissum est, bonum certamen certavit, cursumque felicem consummavit, quia omnibus tam clero quàm populo conversatio Domini Bertoldi innotuerat, ipsum unanimi consensu locum defuncti sortiri exoptabant. Qui veniens Bremam, Episcopus consecratur, cui etiam ad supplementum laboris reditus annuales in eadem ecclesia ad viginti marcas deputantur. Cujus prædicationis instantia 4
nonnulli sublimes & nobiles signaculo sanctæ crucis insigniti, ad deprimendas gentilium vires, vel potius ad cultum Christi perdomandas, iter peregrinationis arripiunt. Nec defuerunt sacerdotes & litterati, suis exhortationibus eos confortantes, & ad terram promissionis felici perseverantia eos pertingere promittentes. Et quia profectio sive peregrinatio Hierosolymitana 5
tunc vacare videbatur, ad supplementum hujus laboris Dominus Cœlestinus Papa indulserat, ut quicunque peregrinationi memoratæ se vovissent, huic itineri, si tamen ipsis complacuisset, se sociarent, nec minorem à Deo peccatorum remissionem perciperent. Fit igitur de tota Saxonia, Westfalia vel Frisia, Prælatorum, Clericorum, militum, negotiatorum, pauperum & divitum conventus plurimus, qui in Lubeca comparatis navibus, armis & victualibus, Livoniam usque pervenerunt. Cumque Præsul beatus exerci- 6
tum produceret contra infideles, Christi cultoribus insidiantes, in manus impiorum cum duobus tantùm devoluitur, occiditur, & ut speramus, gloria & honore coronatur: Erat enim flagrans mortis desiderio.

Qui sicut primæ lucratur bravia fortis,
Sic ipsi primæ fuerat data copia mortis.

Denique die secunda cùm requirerentur corpora occisorum, inventum est corpus Episcopi intactum & incorruptum, cæteris corporibus, quia æstus erat, muscis & vermibus repletis. Quod cum planctu nimio & exequijs solennibus in civitate Riga tumulatum est. Post hæc Dominus Albertus, 7
Bremensis Canonicus, in sedem defuncti sublimatus est. Qui cùm adhuc juvenili floreret ætate, magna morum pollebat maturitate. Et quia vir parentatus erat, ornatus fratribus & amicis, in vinea Domini cooperatores habebat plurimos. Nec facilè exprimere potero, quantam invenerit gratiam apud Reges & magnates, qui ei cooperabantur pecuniis, armis, navibus, victualibus, inter quos Dominus Andreas, Archiepiscopus Lundensis, Bernhardus Pachelburgensis, Iso quoque Verdensis manus suas Domi-

no consecraverunt. Obtinuerat etiam à sede Apostolica, ut si quos invenisset viros religiosos, & verbi Dei erogatores, sive de ordine Monachorum, sive regularium Canonicorum vel aliorum religiosorum, ipsos suo labori cooperatores efficeret. Unde ipsum sequebatur multitudo maxima, & militum manus copiosa. Cumque frequenter æstivo tempore exercitum duceret contra crucis Christi inimicos, non solùm Livones, verùm etiam alias barbaras nationes ita sibi subjecerat, ut ab eis obsides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent. Crevit igitur ecclesia Dei per venerabilem virum Al-
8 bertum, bene disposita Præpositis, parochijs, cœnobiis. Multi etiam continentias voventes, & soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum omnibus renunciantes, Christi militiæ se dediderunt, & professionis suæ signum in forma gladij, quo pro Deo certabant, in suis vestibus præferebant. Qui confortati & animo & numero, inimicis Dei terrore non parvo
9 formidabiles effecti sunt. Nec defuit divina miseratio fidem suorum inconcussam roborando, & hoc indicijs veritatis demonstrando. Nam cùm quidam neophytorum ab inimicis suæ gentis comprehensi fuissent, muneribus & blandimentis ad pristinum errorem eos immutare satagebant. Quibus cùm nulla ratione consentirent, sed susceptæ fidei sacramenta inviolabiliter constantissimè observare decrevissent, incredibili tormentorum genere eos trucidabant, qui sua confessione multos confortabant: quia per eos plurimi De-
10 um glorificabant. Verùm inter hæc prospera non defuerunt adversa. Siquidem Rex Russiæ de Ploscеke de ipsis Livonibus quandoque tributum colligere consueverat: quod ei Episcopus negabat. Unde sæpius graves insultus ipsi terræ & civitati sæpe dictæ faciebat. Sed Deus adjutor in op-
11 portunitatibus suos semper protegebat. Orta tamen fuit inter Dominum Episcopum & fratres suprà dictos, qui Dei milites dicuntur, quædam intestina simultas & mirabilis quædam altercatio. Dicebant sanè fratres, ipsorum juris esse tertiam partem totius gentilitatis, quam Dominus Episcopus vel verbo prædicationis vel violentia expeditionis obtinere potuisset. Quod cùm Episcopus omnino eis negaret, facta est inter eos gravis discordia, ita ut multum contra ipsum in curia Romana laborarent, nec minus Dominus Episcopus suam sententiam confirmaret.

CAPUT X.

Gerhardi, Friderici I. in Ægyptum & Syriam ad Saladinum legati, itinerarium.

QUia (a) aut prodesse volunt, aut delectare, Poetæ, nos paululum dimissa historia Regum, ad alia nobis comperta, & utilitati legentium profutura,

ra, videlicet ad Ægyptum & partes Libyæ transeamus. Anno Dominicæ incarnationis M. C. LXXV. Dominus Fridericus, Imperator Romanorum & Augustus, misit Dominum Gerardum, Argentinensem Vicedominum, in Ægyptum ad salutandum regem Babyloniæ. Nunc igitur ipsius personam loquentem attendatis. Quæcunque in commissa legatione vidi, vel veraciter percepi, quæ habitabili orbi nostro rara vel extranea videbantur, per mare & per terram, scripto commendavi. Apud Genuam mare ascendi VIII. Idus Septembris. Inde verò navigans, inter duas insulas, scilicet Corsicam & Sarniniam, transij. Harum insularum una distat ab altera per quatuor milliaria, utraque verò satis pulcra per planum & montana disposita, superabundans (b)omni bono terræ. In Corsica verò sunt homines utriusque sexus compositi, curiales, habiles, hospitales, viri militares & bellicosi. In Sardinia autem econtrario sunt homines incompositi, rusticani, sylvani, tenaces, viri effœminati & deformes. In Sardinia lupi non habitant. Mare Sardiniæ inter cætera maria ferocissimum est, & magis periculosum. Tenet etiam Sardinia in longum & in latum ex omni latere sex diætas, & est terra infirmissima. Corsica tenet in longum & in latum tres diætas, & terra satis sana, nisi quòd per eam defluit amnis infirmissimus, quem si anima viva gustaverit, morietur, & aves, si propè transuolant eam, morientur. Per has duas insulas transiens, in Siciliam veni. Hæc insula est terra suavissima, omni terrena fœcunditate opulenta, plana, montanis vinis, pratis, pascuis, fontibus, rivis, fluminibus jucundissimis, diversis generibus fructuum & herbarum perornata, excipiens transitum maris in modum crucis, mercatoribus aptissima, sed paucis inhabitatur hominibus. Tenet enim in longitudine & latitudine ex omni latere sex diætas, & plures continet civitates. Iuxta verò hanc insulam ex uno latere in opposito est quædam insula, nomine Malta, distans à Sicilia per viginti milliaria, & Sarracenis inhabitata, & est sub Domino Siciliæ. Veruntamen non longè à Malta est alia insula Panteleon, quam Sarraceni inhabitant, nec ulli Domino subijciuntur. Sunt enim homines inculti & sylvani, habitantes in cavernis terræ: quos si fortè magnus exercitus supervenerit, cum omni supellectile sua terræ cavernas intrant: ut, qui pugnando defendere se non valent, saltem fugiendo evadant. Hoc genus hominum magis vivit de pecuaria, quàm de fructibus terræ, quia granum non colit, nisi paucum. Inde procedens per septem dies, veni ad terram barbaricam, ab Arabibus inhabitatam, quod genus hominum sine domibus degit sub dio, ubicunque terrarum habitet. Dicunt enim quòd pro tam brevi spatio vitæ suæ domos ędificare, vel in eis habitare, intuitu divinę remunerationis, omittant,

 terram

terram parum colunt, sed de sola pecuaria vivunt. Viri & mulieres ferè nudi incedunt, nisi quòd vili panno sola pudibunda cooperiunt. Gens ea miserrima est, & omni bono privata, inermis & nuda, nigra, deformis & indebilis. In mari quoque quadraginta septem diebus navigando, diversa genera piscium vidi. Vidi enim genere piscem magnum, ut conijcere potui, habentem in longitudine CCCXL. ulnas. Vidi & pisces super mare volare ad jactum unius arcus vel balistæ. Tandem portum Alexandriæ intravi, in quo portu turris altissima de lapidibus erecta est, ut navigantibus portum indicet. Quia Ægyptus terra plana est, & tota nocte ignis in ea ardet, ut appropinquantibus, ne pereant, portum significet. Alexandria est civitas egregia, ædificijs, pomœrijs & immensa multitudine perornata, & Sarracenis, Iudæis & Christianis inhabitata, sub dominio regis Babyloniæ constituta. Hujus civitatis prima constitutio, sicut in ejus apparet vestigijs, maxima fuit. Extendebatur enim in longum quatuor milliaria, in latum verò per unum milliare. Hanc brachium, ex Euphrate deductum, in uno tangebat latere, & mare magnum firmabat in alio latere. Nunc eadem civitas ad mare contracta extat per magnum campum à prædicto brachio Nili. Sciendum est autem, quòd Euphrates & Nilus una & eadem aqua sit.

In Alexandria omne genus hominum legem suam liberè colit. Hæc civitas valde sana est, plurimos etiam centenarios senes in ea reperi. Civitas hæc vili muro absque fossatis munitur. Sciendum est, quòd prædictus portus solvit annuatim de pedagio quinquaginta millia aureorum, qui faciunt plus quàm octo millia marcarum puri argenti. Hanc civitatem diversum genus hominum frequentat cum suis mercationibus. Aquam dulcem hæc civitas non habet, nisi quam per aquæductum suprà dicti Nili uno tempore anni in cisternis(c) suis colligit. In eadem urbe sunt plures ecclesiæ Christianorum. Inter quas est ecclesia B. Marci(d) Evangelistæ, extra muros novæ urbis supra mare sita. In qua vidi septendecim monumenta, ossibus & sanguine martyrum plena: sed nomina eorum sunt ignota. Vidi etiam capellam, in qua idem Evangelista evangelium conscripsit, & ubi martyrium accepit & locum sepulturæ suæ: unde à Venetis furatus fuit. In illa ecclesia Patriarcha eligitur, consecratur, & mortuus sepelitur. Habet enim illa Christianitas Patriarcham, obœdientem Græcorum ecclesiæ. Erat in eadem civitate aliquando palatiũ Pharaonis maximum, im̃ensis columnis marmoreis elevatum, cujus nunc vestigia apparent. Vidi juxta Alexandriam, quòd Nilus per parvum spatium terræ à proprio alveo educebatur in campum, & ibi sine omni labore vel ingenio humano stans per aliquod tempus in sal purissimum & optimum convertebatur. Solet etiam Nilus(e) annuatim excrescere, & totam Ægyptum irrigare & foe-

fœcundare: quia rara est ibi pluvia. Incipit autem excrescere in medio Iunio usque ad festum sanctæ crucis, & exinde decrescere usque ad Epiphaniam Domini. Nota, quàm citò aqua in decrescendo transit, ubicunque terra apparet, ibi statim rusticus aratrum figit & semen mittit. In Martio frumentum metunt. Terra illa non parit aliud frumentum nisi triticum & hordeum pulcherrimum. Omne genus leguminis à festo S. Martini usque ad Martium recens colligitur, similiter & fructus hortorum & herbarum. Oves & capræ terræ illius bis pariunt in anno, & ad minimum geminum fœtum proferunt. Audivi etiam, quòd asinæ ibi ab equis conciperent. Per totam Ægyptum Christiani habitant in civitatibus & in villis, regi Babyloniæ soluentes certum tributum. Et ferè quælibet villa habet ecclesiam Christianorum. Ipsum autem genus hominum miserrimum est, & miserè vivit. Nota, ab Alexandria usque ad novam Babyloniam tres esse diætas (f) per terram, per aquam septem diætas in ascendendo. Sciendum est etiam, tres esse Babylonias, unam scilicet super fluvium Thobar (g), ubi regnabat Nabuchodonosor, in qua fuit turris Babel. Et hæc deserta dicitur & antiqua, distans à nova Babylonia ultra triginta diætas. Fuit & alia Babylonia in Ægypto supra Nilum sita in pede montis juxta desertum, in qua regnabat Pharao, distans à nova Babylonia ista per sex milliaria. Et hæc quoque destructa est. Nova verò Babylonia supra Nilum sita est in plano, & fuit aliquando maxima civitas, & adhuc satis egregia ac populosa, omni bono terræ fœcunda, à solis mercatoribꝰ inhabitata, ad quam naves oneratæ speciebus de India spissim veniunt per Nilum, & inde in Alexandriam ducuntur. Granum & legumen per vicos & plateas ubique servatur. A nova Babylonia usque ad milliare unum in deserto sunt duo montes (h) lapidibus marmoreis maximis & alijs quadratis artificio erecti, opus admirabile, distantes ab invicem per tractum unius arcus quadrati, ejusdem quantitatis, scilicet latitudinis & altitudinis. Extenditur enim uterque in latitudinem ad tractum fortissimi arcus, in altum ad duos tractus. Item juxta novam Babyloniam ad tertiam partem milliaris est alia civitas egregia, Chayr (i) nuncupata, in qua nunc est sedes regalis, palatia regis & principum, & militum cohabitatio. Hæc civitas militaris est prope Nilũ sita, cujus ædificia non minus admiranda quàm sumtuosa, muro clausa, pulcherrimis pomœrijs circumsepta. In qua habitant Sarraceni, Iudæi, & Christiani. Quælibet natio suam legem colit. In ea sunt plures ecclesiæ Christianorum. Ab hac civitate (k) ad milliare (l) unum est hortus balsami, habens in quantitate fere dimidium mansum (m), & est lignum balsami ut lignum vitis triennis (n), folium (o) vero tanquam trifolium parvum. Tempore autem maturitatis circa finem Maij (p), finditur (q) cortex ligni, secundum quod notum est operarijs. Vineæ illius guttatim (r) gummi destillant, quod in vasis (s) vitreis colligitur, & per sex menses in stercore columbæ reconditur, & decoquitur & defecatur, postea

postea liquor à fece separatur. Hic hortus habet fontem unde irrigatur: quia ab alia aqua non potest irrigari. Nota, quòd nusquam(t) terrarum nisi in hoc loco balsamum crescit. Ad hunc(u) fontem B. Virgo cum salvatore nostro Herodis persecutionem effugerat, & ibi per aliquot tempora latitabat, lavans ad fontem illum pannos pueri, ut natura hominis requirebat. Quapropter usque in hodiernum diem fons ille(x) à Sarracenis in veneratione habetur, deferentibus illuc cereos & incensum, quando se ibi lavant. In Epiphania verò maxima multitudo illuc confugit de omni confinio, & lavat se cum aqua prædicta. Credunt enim Sarraceni, beatam virginem per angelum concepisse Iesum Christum, peperisse, & post partum virginem permansisse. Et hunc filium virginis sanctum prophetam fuisse dicunt, & à Deo mirabiliter cum anima & corpore in cœlum assumtum, celebrantes & ejus nativitatem. Sed negant eum esse Filium Dei, & baptizatum, crucifixum, mortuum & sepultum. Certant etiam se habere legem Christi & Apostolorum, quia circumcisi sunt, nos verò minimè. Credunt etiam Apostolos & Prophetas fuisse, & plures martyres & confessores in veneratione habent. Item apud Cay r est arbor (y) palma antiquissima & altissima, quæ se B. Virgini inclinavit, quando cum salvatore nostro transivit illò, & ab ea dactylos collegit, & iterum erigebatur. Hoc tunc temporis Sarraceni videntes, B. Virgini invidebant, & arborem in duobus locis membratim succidebant. Nocte verò proxima arbor solidata fuit & erecta, & usque in hodiernum diem vulnera succisionis apparent. Hanc quoque arborem Sarraceni in veneratione habent, & candelis omni nocte illuminant. Sunt alia loca diversa, ubi B. Virgo habitabat, in Ægypto à Christianis & Sarracenis venerata. Nilus vel Euphrates est aqua major Rheno, de paradiso exiens, cujus ortus ab omnibus ignoratur, nisi quantum scriptis didicimus, planum habens decursum aqua turbulenta, piscibus superabundans, sed non multum valent. Nutrit equos indomitos sub aqua latentes, & sæpe foras egredientes. Nutrit etiam crocodilos infinitos, quod genus animalis ad modum lacertæ formatum est, quatuor habens pedes, curta crura & grossa. Caput ejus quasi caput scrofæ. Et animal illud crescit in longum & in latum, maximos habens dentes. Ad solem egreditur, & animalia vel pueros, si invenerit, occidit(z). Item in Ægypto est quædam ecclesia Christianorum, juxta quam est puteus per totum annum siccus, nisi in anniversali festo illius ecclesiæ. Tunc tribus diebus crescit aqua ad summum, ita ut omnes Christiani ad festum venientes aquam sufficienter inveniant. Finito verò festo, aqua ut antea evanescit. Item à Babylonia nova ad sex diætas in deserto alumen tinctura fullonum, de quibusdam montanis exciditur, & in usum

usum Regis colligitur. Item color Indicus in Ægypto conficitur. Item plurimum genus avium in Ægypto superabundat. Item per totam Ægyptum neq; aurum neq; argentum nec aliquod genus metalli colligitur, & tamen auro terra superabundat. Item Ægyptus satis bonos nutrit equos. Item in Ægypto psitaci abundant, qui veniunt de Nubia. Distat autem Nubia à Babylonia per viginti diætas, & est terra Christiana, habens Regem, sed populus ejus incultus est, & terra sylvestris. Item in Ægypto nutriuntur (aa) pulli (bb) mille vel duo millia simul in furno per ignem absq; gallina, & usus iste Regis est. Ægyptus (cc) est terra calidissima, raram habens pluviam. Item mons Sinai distat à Babylonia per septem diætas in deserto. Item credunt Sarraceni, se habere paradisum in terra, in quem post hanc vitam sint transituri, in quo credunt esse quatuor flumina, unum scilicet de vino, secundum de lacte, tertium de melle, & quartum de aqua, & omne genus fructuum ibidem dicunt nasci, quodque ibi pro velle comedent & bibent, & quòd unusquisque eorum omni die pro voluptatis expletione novæ virgini commiscetur, & si quis prælio à Christiano moritur, cotidie in paradiso decem virginibus abutitur. Cumque requirerem, quid de mulieribus istis contingat, quæ nunc sunt, vel quò deveniant virgines, quæ cotidie secundum eos corrumperentur, mihi respondere ignorabant. Item Ægyptus diverso genere avium abundat & diversis fructibus terræ. Parum vini habet propter legis suæ religionem: sed natura terræ multum vini produceret, si coleretur. De Babylonia transivi in Damascum per desertum, & feci in deserto viginti diætas: quia non inveni terram cultam. Est autem desertum terra sabulosa, per planum & montana disposita, nil prorsus germinans nisi humilia arbusta, in paucis tamen locis. Et terra ista est plurimum distemperata, in hyeme nimis frigida, & in æstate nimis calida. Transitus terræ ejus difficilimus & incognitus est: quia flantibus ventis strata (dd) sabulo ita infunditur, ut vix à quoquam sciatur, nisi ab Odewinis (ee), qui sæpius illuc transeunt, & alios transeuntes ducunt, sicut nauclearij navigantes in mari. Nota, quòd desertum nutrit leones, struthiones, porcos, boves sylvestres, onagros sylvestres, asinos sylvestres & lepores. Aqua rarissima invenitur, nisi de quarto die in quartum vel in quintum diem. Item mare Indicum ex uno latere tangit desertum. Item mare rubrum ex uno latere tangit desertum, juxta quod duabus noctibus fui. Item vidi septuaginta (ff) palmas, ubi Moyses percusso silice aquas eduxit. Item à monte Sinai per duas diætas transivi. Nota, amplitudinem & terminos deserti nemo unquam hominum cognovit: quia ad modum maris impervium est. Item postquam exivi desertum, inveni terram planam, aliquando à Christianis

inhabitatam, sed modò vastatam, & rarò cultam: quia in marchia Christianorum & Sarracenorum sita est. In qua terra inveni antiquam civitatem, nomine Busserentinum, aliquando à Christianis inhabitatam, maximam, marmore excisam & decoratam, & ut in ejus vestigijs apparet, aliquando pulcherrimam & plurimum deliciosam. Sed nunc à Sarracenis inhabitatur, in angustum redacta, ita quòd quasi castrum solum remanserit in ea, quod valde munitum est. Inde tribus diebus usque Damascum perveni per terram cultam ex magna parte à Christianis, Domino Damasci tributum persolventibus. Damascus est civitas nobilissima, duplici muro & turribus pulcherrimis optimè munita, aquis decurrentibus, fontibus & aquæductibus extra & interius per varia loca per domos decorata, & elegantissimis ædificijs constructa, populosa, viridarijs & pomœrijs ex omni latere longè lateque circumsepta, & deliciosissimè perornata. Habet enim irriguum intra & extra pro voluntate hominum quasi ad modum paradisi terreni, & sunt in ea plures ecclesiæ Christianorum, & Christiani, & multi Iudæi. Et in confinio Damasci optimum crescit vinum. Et nota, quòd Damascus sanissima est civitas, multos senes nutrit homines. Damascus distat à Ierusalem per quinque diætas parvas, & ab Accaron per quatuor diætas. Item à Damasco ad tria (gg) milliaria est locus quidam in montibus situs, quæ Saydaneida vocatur, & à Christianis inhabitatur, & est ibi ecclesia, in rure (hh) sita, & in honore gloriosæ virginis dedicata, in qua moniales virgines duodecim & Monachi octo assiduè Deo serviunt & B. Virgini, in qua ecclesia vidi tabulam (ii) ligneam, ad mensuram unius ulnæ longam, & latam ad modum dimidiæ ulnæ, retro altare in muro sanctuarij in fenestra positam, & ferro laqueariter cancellatim firmatam, in qua tabula effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc, quod dictu mirabile est, pictura super lignum est incarnata, & oleum odoriferum super odorem balsami (kk) incessanter ex ea manat. De quo oleo multi Christiani, Sarraceni & Iudæi de diversis languoribus sæpe liberantur. Et nota, quòd oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunque inde accipiatur. Nec prædicta tabula à quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum verò illud à Christiano religiosè conservatur, augmentatur, & pro quacunque re cum devotione & fide syncera sumtum fuerit, pro honore sanctæ virginis commissisque (ll) solennitatibus indubitanter impetrabitur. Ad locum in Assumtione (mm) gloriosæ nativitatis suæ omnes Sarraceni illius provinciæ unà cum Christianis causa orandi confluunt, & Sarraceni cæremonialia (nn) illic sua offerunt cum maxima devotione. Nota, hæc tabula primo Constantinopoli facta & depicta

picta fuit in honorem B. Virginis, & inde à quodam patriarcha Ierosolymam perducta fuit(oo). Tunc temporis quædam Abbatissa suprà dicti loci causa orationis Ierusalem descenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Ierosolymitano, eam secum ad ecclesiam sibi commissam transportavit. Fuit autem hoc incarnationis anno DCCC. LXX. Sed postea per multa tempora cœpit oleum sacrum ex ea manare. Nota, in terminis Damasci, Antiochiæ & Alapiæ est quoddam genus Sarracenorum in montanis, quod eorum lingua vulgari Heissessim(pp) vocatur(qq). Hoc genus hominum sine lege vivit, carne quoque porcina vescitur contra legem Sarracenorum, & omni mulie-re abutitur indifferenter, scilicet matre & sorore. In montibus habitant, & sunt quasi inexpugnabiles: quia in munitissimis castris recipiuntur, & terra eorum non multum est fertilis, nisi quòd(rr) de peculio vivit. Habent etiam inter se Dominum, qui omnibus Sarracenis Principibus propè & longè positis, nec non Christianis vicinis & magnatibus timorem maximum infert: quoniam eos miro modo(ss) occidere solet. Qua verò arte hoc fiat, sic accipe. Princeps ille plura & pulcherrima in montanis habet palatia, altissimis muris inclusa, ita ut non nisi per ostium parvum, & diligentissimè servatum, pateat introitus. In quibus palatijs filios rusticorum suorum plurimos à cunabulis enutriri facit, & diversis linguis imbui, scilicet Latina, Græca, Romana, Sarracenica, & alijs quàm plurimis: quibus à magistris suis à primæva ætate usque ad perfectionem viri hoc prædicatur, ut Domino terræ illius obœdiant in omnibus verbis & præceptis suis, quod si fecerint, gaudia paradisi eis dabit tanquã potestatem habens super Deos vivos. Instruuntur itaque, quòd non possint salvari, si in aliquo voluntati Principis terræ resistant. Et nota, quòd ex quo à cunabulis palatijs includuntur, præter doctores & magistros suos neminem hominum unquam videbunt, nec aliam disciplinam capiunt, quousque ad præsentiam Principis evocantur ad interficiendum aliquem. Tunc in præsentia Principis constituti, quærit ab eis, an præceptis suis velint obœdire, ut eis conferat paradisum. Qui ut instructi sunt, omni contradictione & ambiguitate remota, pedibus suis provoluti ferventi animo respondent, se fore obœdientes in omnibus, quæ præceperit eis. Tunc princeps dat unicuique cultellum aureum(tt), & quò voluerit ad quemcunque Principem interficiendum transmittit(uu). Item à Damasco per Tiberiam usque Accaron quatuor, & inde usque Hierosolyma, ab Hierosolymis verò usque Ascalonem. Hæc civitas supra mare sita est parva, muris & fossis valde munita & satis sana. Inde verò per desertum octo dierum in Babyloniam reversus fui. In

qua viam ſtratam per milliare magnum ſale gemma coopertam inveni, & plurimos vidi onagros & boves ſylveſtres. Nota, apud Ahir publicum proſtibulum Sodomitarum eſt. Mulieres Sarracenorum linteaminibus velatæ & coopertæ incedunt, nunquam templa eorum ingrediuntur. In maxima cuſtodia Eunuchorum mulieres habent, ita ut majores Dominæ nunquam domicilia ſua egrediantur, niſi per præceptum maritorum ſuorum. Nota, quòd non frater, non alius quantumcunque propinquus viri vel mulieris, ſine conſenſu viri ad mulierem audet ingredi. Viri quoque quinque vicibus intra diem & noctem ad templum vadunt orare, & loco campanarum præcone utuntur, ad cujus vocationem ſolenniter venire ſolent. Et nota, quòd religioſi Sarraceni ad quamlibet horam ſe ſolent lavare cum aqua, incipientes à capite & à facie, lavantes manus, brachia, crura, pedes, pudenda & anum, & poſtea vadunt orare, & nunquam orant ſine venia. Credunt enim Dominum creatorem omnium, Maumeth prophetam eſſe dicunt ſanctiſſimum, & eorum legis auctorem, quem etiam frequentare ſolent propè & longe poſiti Sarraceni cum maxima veneratione in peregrinationibus ſuis. Habent & alios quoſdam ſuæ legis auctores in veneratione. Unicuique Sarraceno licet ducere ſeptem uxores legitimè ſimul, & unicuique illarum expenſas condictas & promiſſas contractu nuptiarum providet. Inſuper quotquot habuerit Slavos, vel ſervos vel ſervas, cum illis licenter peccat, quaſi non inde habeat peccatum. Quarum ancillarum ſi aliqua conceperit, ſtatim à dominio Domini libera erit. Et quemcunque filiorum ſuorum, ſive de libera ſive de ancilla, Sarracenus hæredem ſuum conſtituere poterit ſecundum velle ſuum. Multi tamen ſunt Sarraceni adeò religioſi, ut non niſi unam habeant uxorem. Infra ſeptem uxores licet habere, ſed non ultra aſcendere licet, niſi in concubinis, ut dictum eſt. Nota, quòd inter iſta conſideranda venit immenſa clementia redemtoris, quæ nec juſtum, nec impium dono ſuæ pietatis patitur eſſe expertem. Iuſtum quidem, humilem & quietum, & trementem ſermones meos, præmium vitæ æternæ concedens, ſummo bono, quod ipſe eſt, & aſpectu ſuæ claritatis beatificat. Impium autem, æternaliter damnandum, in hac mortali vita temporalibus bonis exuberare permittit. Inde eſt, quòd ipſi reprobi optimas regiones tenentes, frumento, vino & oleo abundent, auro & argento, gemmis veſtibusque ſericis exultent, aromatibuſque pigmentis & balſamis luxurient, & nihil, quod oculus concupiſcat, intentatum relinquant. Impletur enim in illis prophetia Iſaac, qui cùm Iacob ſpirituali dono benedixiſſet, dixit Eſau: In pinguedine terræ & rore cœli deſuper erit benedictio tua. Hæc de verbis Domini probare poſſumus, dicentis: Diligite inimicos veſtros, bene-
faci-

facite his, qui oderunt vos, ut sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Et David: Ecce, inquit, ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt divitias. Cùm tamen hoc loco per terram & rorem terrenas divitias accipiamus, sed alibi per rorem gratia Spiritus sancti intelligitur, ut idem David dicit: Descendet sicut pluvia in vellus, factum planè Gedeonis exprimens, ubi per rorem gratia Spiritus sancti, & per vellus intemerata virgo Maria accipitur, quæ concipiendo seu gignendo Dei filium, mater & virgo permansit. Terra etiam dedit fructum suum, quando eadem virgo benedictum fructum ventris sui, Christum, mundi salvatorem, benedicta generavit. Hæc de statu gentilium sive ecclesiæ, quam inter ipsos mirabiliter Deus conservare dignatur, dicta sufficiant. Nunc ad ordinem historiæ persequendum revertamur.

Quia, a) Multa, quæ in hac Gerardi epistola commemorantur, etiam à *Jacobo de Vitriaco*, Episcopo Acconensi in Syria, diligenter *libro III. Orient. Historiæ* describuntur, & quidem ita ijsdem pene verbis, ut accuratius utrumq; Scriptorem inter se conferenti dubium esse non possit, aut Jacobum ex Gerardo hæc mutuatum esse: est n. illo aliquot annos posterior, cum Gerhardi epistola anno 1175. scripta sit, Jacobus autem anno 1218. scripserit; aut utrumq; ex alio quodam descripsisse. Octodecim autem inprimis in hoc capite occurrunt loca, quæ ab utroq; Scriptore tractata sunt, ut de Ægypto, de Alexandria, de S. Marci capella, de Nilo, & leguminibus Ægypti, de tribus Babyloniibus, de urbe Cayro, de horto balsami, de Christo, & palma, quæ se inclinarit, de animalibus Nili, de deserto Arabiæ, de LXXII. palmis in deserto, de Damasco urbe, & tabula, in qua Virgo deipara depicta, de Assassinis, Mahometo & uxoribus Saracenorum.

Operæ pretium autem fuerit, nonnulla istorum locorum ex utroq; Auctore vel eam ob causam inter se conferre, quod quædam in nostro Scriptore antea mutila ex *Jacobo* non infeliciter suppleri, vitiosa corrigi, dubia illustrari possint; præsertim, ubi *codicum MSS.* Arnoldi consensus accesserit.

superabundans, b) Ita *Valerius Max. l. VII. cap. 6.* Siciliam & Sardiniam benignissimas urbis Romæ nutrices appellat. Et de Sardinia *Aur. Prudentius l. II. in Symmachum:*

Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis?

De eadem *Auctor* Exegesis ὅλου τοῦ κόσμου: αὕτη πλουσιωτάτη καρποῖς καὶ ζευγαρίοις καί ἐστι λίαν ἐπιφανεστάτη. Adde *Symmachum libro IX. ep. 39.* & Notas in illum locum *Francisci Jureti.* Sardinia primum à Græcis Jchnussa dicta. Cum postea Libyes duce Sardo, Herculis filio, in eam transmigrassent, de Sardi nomine appellata est. Deinde sæpe mutavit colonos, de quibus *Pausanias in Pho-*

cicis. Corsica Cyrnos vocata fuit. *Pausanias ib.* Ex quo Sardinia & Corsica à populo Rom. in provincias redactæ sunt, primum utraq; ab uno Prætore regebatur: sub posterioribus verò Augustis divisæ sunt, & singulæ singulis Præsidibus commissæ. Erantq; illi Præsides sub dispositione Vicarij urbis Romæ; ut constat è *Notitia Imperij.* Unde *Sextus Ruffus*: Juncta administratio harum insularum fuerat: post quælibet suos Prætores habuit, nunc singulæ à præsidibus gubernantur. De præsidibus illis agit *Guido Pancirollus Comment. in Notitiam Imperij Occident. c. LVI.*

cisternis.c) De his cisternis ita *Joann. Leo Afric. lib. IIX.* Cuiq; ferè civitatis domui ingens cisterna concamerata, crassisq; innitens columnis & fornicibus substructa est: in quas exundans Nilus per aquæductum in planicie magno artificio extra Alexandriam constructum deductus, sub ejus mœnibus demittitur. Cisternæ porrò successu temporis turbidæ ac cœnosæ redditæ, plurimis æstivo tempore languoribus occasionem præbent.

Marci.d) Habet eadem *Vincent. Belluac. Spec. Hist. lib. XXXII. cap. 58.* De eadem æde sacra *Leo ib.* scribit: Sunt & hodie inter antiquos Alexandriæ habitatores, plurimi Christiani, quos Jacobitas vocant, mechanici omnes, & mercatores: qui propriam habet ecclesiam, in qua D. Marci Evangelistæ corpus olim requievit, à Venetis clam sublatum, & Venetias importatum.

Nilus.e) Tria potissimum de Nilo commemorat Auctor noster. Primum illum annis singulis excrescere: alterum, omnem AEgyptum fœcundare; & paulo infrà tertium, ortum illius ab omnibus ignorari. Cùm igitur *Strabo lib. I.* scribat: τῶν κατ᾽ Αἴγυπτον τὸ γνωριμώτατον, καὶ παραδοξότατον, καὶ μάλιστα πάντων μνήμης ἄξιον καὶ ἱστορίας ὁ ποταμὸς καὶ ἦν καὶ ἐστιν, ὡς δ᾽ αὔτως αἱ ἀναβάσεις αὐτοῦ. Etiterum *lib. eodem*: Qui ad AEgyptum appellunt, nihil priùs in regione ea considerant, quàm Nili naturam, quòd AEgyptij neq; quicquam magis inauditum peregrinis, neq; illustrius aliquid suarum rerum habent: (nam qui Nili naturam vestigarit, ei totius regionis qualitas fit manifesta) ita & qui procul inde remoti audiunt de AEgypto, primò omnium de Nilo inaudiunt. Ideo de tribus illis capitibus, primùm de Nili origine: postea de caussis incrementi: & deniq; de fœcunditate pauca dicemus.

De fontibus Nili pleriq; veterum statuunt esse incognitos. Antiquissimus historiæ conditor *Herodotus in Euterpe c. XXVII.* ita de illis: Τοῦ δὲ Νείλου τὰς πηγὰς οὔτε Αἰγυπτίων, οὔτε Λιβύων οὔτε Ἑλλήνων τῶν ἐμοὶ ἀπικομένων ἐς λόγους, οὐδεὶς ὑπέσχετο εἰδέναι. Adde *ejusd. libri cap. XXXII.* Et *cap. XXXIV.* περὶ δὲ τῶν τοῦ Νείλου πηγέων οὐδεὶς ἔχει λέγειν. Quæ verba explicans *Eustathius Comment. in Dionysij Afri versum 221.* inquit: Ἱστέον δὲ, ὅτι Ἡρόδοτος μὲν λέγει τοῦ Νείλου τὰς πηγὰς μὴ γινώσκεσθαι. Διὸ οὐδ᾽ αὐτὸς ἔχει φράσαι τούτου τὰς πηγάς. δοκῶ δὲ, φησὶν, ὅτι οὐδεὶς τῶν Ἑλλήνων. *Idem*

in

in versum 678. addit, ἀδήλους τὰς τοῦ Νείλου πηγὰς εἶναι. De fontibus Nili cùm differere incipit *Diodorus Siculus, lib. I.* scribit, illum ἐκ τόπων ἀοράτων decurrere. οἰκεῖνται, inquit, ἐπὶ τῆς ἐσχάτης αἰθιοπίας κατὰ τὴν ἔρημον ἀπρόσιτου τῆς χώρας οὔσης διὰ τὴν τοῦ καύματος ὑπερβολήν. & postea; τὰς δὲ πηγὰς τοῦ Νείλου καὶ τὸν τόπον, ἐξ οὗ λαμβάνει τὴν ἀρχὴν τοῦ ῥεύματος, ἑωρακέναι μὲν μέχρι τῶνδε ἱστοριογράφων οὐδεὶς εἴρηκεν, οὐδ᾽ ἀκοὴν ἀπηφήνατο παρὰ τῶν ἑωρακέναι διαβεβαιουμένων. Similia habet *Procopius de bell. Goth. l. I.* De ijsdem *Plinius l. V. c. 9.* Nilus incertis ortus fontibus. Ipsi Æthiopes negant, se Nili fontes indicare posse, apud *Aristidem* ἐν τῷ Αἰγυπτίῳ. Origines fontium Nili, sicut adhuc factum est, posteræ quoq; ignorabunt ætates, inquit *Ammianus lib. XXII.*

Ortum Nili ignorari tradiderunt etiam Poetæ, *Claudianus Epigrammate X. de Nilo, Horatius l. IV. Od. 14. Tibullus l. I. Eleg. 7. Lucanus l. X. Ovidius l. II. Metamorph. Ausonius Epigrammate IX.*

Etiam Neronem Cæsarem per duos centuriones ortum fluminis frustra quæsivisse, narrat *Seneca nat. quæst. l. VI. c. 8.* Hinc etiam *Theophyl. Simocatta l. VII. c. 17.* Ὁ Νεῖλος ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τῶν ἀνθρώπων τὰς πηγὰς ἀποκρύπτει. Et adhuc suo ævo *Marin. Sanut. l. III. part. 14. c. 12.* Ortus Nili sciri non potest. Imo verò adhuc superiori seculo *I. Leo Afric l. IX. & Petr. Martyr. Legat. Babyl. lib. III.* prorsus incertos Nili fontes reliquerunt. Nam Leo Nilum è Lunæ montibus, aut ad radices illorum scaturire omnino negat, idq; testimonio mercatorum Æthiopum, qui in Dancala oppido negotiantur, confirmare studet. Martyr autem ait, se diversarum regionum Æthiopes ea de re percontatum fuisse; sed nihil certi retulisse. Quibus consentit *Michael Maierus symb. aureæ mensæ l. XII.*

Nonnulli, quos inter & *Gerhardus* in hac epistola, ex terrestri paradiso oriri scripserunt ut *Jacob. de Vitriaco l. III.* Quæ sententia per seipsam concidit.

Sunt qui fontes ejus ad Atlantem, Mauritaniæ montem, ponunt. Hinc *Plinius l. V. c. 9.* Originem, ut Juba Rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauritaniæ, non procul Oceano, habet, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem. Ibi pisces reperiuntur alabetæ, coracini, siluri, crocodilus quoq;. Inde ob argumentum hoc Nili ortus creditus. Eadem fere *C. Jul. Solinus. cap. XXXV. Ammianus l. XXII. & Vitruvius l. IIX. c. 2. Dion. Epitome:* Ὁ Νεῖλος ἐκ τοῦ Ἄτλαντος τοῦ ὄρους σαφῶς ἀποδίδοται· τοῦτο δὲ ἐστιν ἐν τῇ Μακεννίτιδι παρ᾽ αὐτῷ τῷ Ὠκεανῷ πρὸς ἑσπέραν. Non tamen subsistere hæc sententia potest. Nam Atlas major, qua ad Oceanum occidentalem procurrit, est sub octavo gradu longitudinis: altitudinis verò ab æquinoctiali gradu 26. secundum *Ptolemæum l. IV. c. 1.* cùm fontes Nili longè altiùs repetendi sint.

Nar-

Narrat etiam *Herodotus in Euterpe cap. XXVII.* scribam sacrarum Minervæ pecuniarum apud Ægyptum in urbe Sai, sensisse, Nilum provenire inter Sienem & Elephantinam urbem. Sed & hic erravit, ut patet ex *Strabonis l. XVII. Aristidis Oratione Ægyptiaca, & Senec. nat. quæst. l. VI. c. 8.* Nec subsistere potest sententia *Pauli Orosij l. I.* scribentis, Nilum de littore incipientis maris rubri emergere, in loco qui dicatur Mossylon emporium. Nam etiam hunc errasse experientia docuit.

In extrema Æthiopia nasci non ignoravere Veteres. Clarum id ex testimonio *Diodori Siculi*, paulò antè adducti. Inde *Dionysius Afer, v. 217.*

- - - - - - - - - ἐν δὲ μυχοῖσι
Βόσκοντ' ἠπείροιο πανύστατοι Αἰθιοπῆες,
Αὐτῷ ἐπ' Ὠκεανῷ, πύματοι παρὰ τέμπεα Κέρνης.
Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλε.

Ita *Basilius M.* Nilum è superiore plaga Æthiopiæ originem ducere scribit *Comment. in Esaiæ c. VII.* Et *Heliodorus Æthiop. l. II.* ὡς τὰς μὲν ἀρχὰς ἐκ τῶν ἄκρων τῆς Αἰθιοπίας, ἐξ ἄλων δὲ τῆς Λιβύης λαμβάνει. Nilus, qui & Geon appellatur, de secretioribus promit: sed in exordio in Æthiopia videtur, inquit *Æthicus in Cosmographia.*

Sacerdotes Ægyptij ex Oceano terram circumfluente nasci affirmabant apud *Diodorum Sic. lib. I.* Quam opinionem ut ineptam meritò ibidem Diodorus reijcit.

Apud eundem Philosophi AEgyptij, terram tripartitam facientes, Nilum ex tertia orbis parte, nobis opposita, videlicet ultra Tropicum Capricorni, ex tempestatibus hyemalibus oriri, undarumq; illic redundantiam ad orbem nostrum deferri, statuunt, *Diodorus ibid.* Non tamen inde fontes Nili petendi, cùm postea compertum sit, illos intra Tropicum Capricorni contineri, & amnes, qui trans illum, imò etiam, qui ultra montes Lunæ ortum habent, aut versus orientem, aut meridiem defluere.

Propius illi ad veritatem accesserunt, qui ex Lunæ, aut argenti montibus in AEthiopia scaturire scripserunt. Ex his *Aristoteles libro I. Meteorol. cap. 13.* Τοῦ Νείλου τὸ ῥεῦμα τὸ πρῶτον, ἐκ τοῦ ἀργυροῦ καλουμένου ὄρους. Et *Eustathius in Dionysij versum 221.* ἕτεροι δέ φασιν τὸν Νεῖλον ἐκ τῶν τῆς Σελήνης, ἤτοι ἐκ τῶν Σεληναίων ὀρῶν ἄρχεσθαι, καὶ ἀπὸ τῆς κινναμωμοφόρου γῆς ἐκ τῶν Αἰθιοπικῶν τερμόνων. Ita *Ptolemæus l. IV. c. 8. & 9.* à Lunæ montibus Nili paludes nives excipere tradit; quarum duas ponit, unam versus Occidentem, gradus sex ad austrum: alteram versus Orientem, gradus septem.

Hæ Veterum de fontibus Nili opiniones. Quarum diversitas inde nata, quòd ratio locorum istorum illis non æquè cognita & perspecta fuerit, ac nostris Europæis superiori seculo & hoc nostro per legationes & navigationes illa innotuit.

Ut

Ut igitur his omissis ad veram sententiam de origine Nili accedamus, illa hæc est, scaturire Nilum in Æthiopia è lacu quodam, & quidem in regno Goyame, sex aut septem gradibus ultra æquinoctialem versus austrum. Lacus hîc asperrimis & inæstimabilis altitudinis montibus circumdatus esse scribitur, quorum, qui Orientem spectant, majores sint, qui versus Occidentem, non ad eandem altitudinem adscendant. Montes illi hodiè Caffates, Theophrasto, Ptolemæo & Eustathio montes Lunæ, quod altitudine sua Lunam attingere videantur, Aristoteli montes argenti appellantur. Sententiam hanc confirmat primùm *Franciscus Aluarez Peregrin. Æthiop. cap. 147.* cùm scribit, duos Portugallos è suo comitatu ad caput Nili in regno Goyame penetrasse, ubi è duobus lacubus profluat, qui amplitudine sua maria repræsentent. Testis autem omnium dignissimus est ipse *David*, Æthiopiæ Rex, in literis anno 1521. ad Emanuelem Lusitaniæ Regem, & alijs anno 1524. ad Clementem, Pontificem Romanum, scriptis, in quibus ait, se in AEthiopia multis imperare regnis, & inter illa etiam regno Goyame, ubi Nilus oritur; quas literas *Damianus à Goes libro de relig. & morib Æthiop.* inseruit. Demonstravit hos fontes & *Antonius Fernandus*, qui diu in AEthiopia vixit, & in epistola inde scripta inter cætera ait; Magna hujus piscis (scil Torpedinis) copia in Nilo reperitur ad extremos provinciæ Goyamæ fines, ubi palus est, fundo carens, perennes aquas habens atq; mirabiles ebullientinm aquarum scaturiginem. Hîc Nilo principium est. Etiam *Paulus Jovius historiar. sui temporis l. XIIX.* originem Nili accuratè describit, idq; è relatu Petri Abyssini, præclaro constantiq; ingenio viri, diu in Pretejannis aula versati. De ortu Nili, inquit, longa percunctatione reperiebamus, in regno Gogiano esse immensam altissimorum montium congeriem &c. Ab his asperrimis immensisq; rupibus, quæ à chorographis Lunæ montes vocantur, frequenti & copiosa scaturigine, Nili fontes erumpunt in loco vehementer abstruso, qui Beth (hoc est desertum) Abyssina lingua dicitur. Ex his fontibus innumerabiles amniculi, per Gogiani regni spatia modò dissipati, modò coeuntes, in longè maximam toto orbe æquæ dulcis paludem effunduntur. Ibi Nilum nasci scribunt etiam *Hier. Cardanus de Subtil. l. XXI. Prosper Alpinus de med. Ægypt. l. I. c. 8. Hieronymus Osorius de Emmanuele Rege l. IX.*

In lacubus, è quibus Nilus oriatur, non conveniunt Geographi. *Ptolemæus* duos, alterum versus ortum, ad occasum alterum ponit, ut supra vidimus. Ita recentiores pleriq; duos ingentes lacus intra Tropicum Capricorni & AEquatorem describunt, eodem fere positu cum Ptolemæo; quorum qui ortum spectat, & minor est, Zaflan: qui occidentem, & major est, Zembre appellatur. Ab horum narratione diversum sentiunt *Augustinus Cassiodorus* ex relatu *Eduardi Lopez de regno Congo l. II. c. 10. Johann. Boterus Relat. Universſ. part. I. l. 3.* & alij, qui scribunt, Nilum non oriri è duobus lacubus, quorum unus versus Orientem, versus Occidentem alter positus sit, quod Ptolemæus & alij volunt. Nam in ea altitudine poli, in qua illi hos duos lacus ponunt, unum tantùm lacum esse, & quidem inter regnum Angola et Monomotapa, idq; constanti omnium incolarum sermone confirmari. Esse autem loco illorum lacuum, quos Ptolemæus & cæteri habent,

alios duos lacus,quorum alter meridiem,alter ſeptentrionem reſpiciat. E primo lacu,qui duodecim gradus ultra æquinoctialem ſitus ſit,Nilum naſci.Atq; hunc ipſum eſſe,quem ſuprà aſperrimis montium jugis cinctum dicebamus. Alterum lacum eſſe ſub ipſo æquinoctiali poſitum,etiam magnum admodum. Aſpera loca, vaſtas & invias valles, per quas Nilus è primo lacu ſine certo alueo decurrit, donec ſe in alterum illum ſub æquatore exoneret,occaſionem præbuiſſe nonnullis,in quibus *Plinius l.V. c.9.* ſcribendi, Nilum ſe ſub terra condere,& deinde poſt emenſa aliquot ſpacia prodire iterum. Ut autem de fontibus Nili non convenitur: ita de incremento illius varij varia prodidere,atq; ita inter ſe decertavere,ut quisq; illorum facilius,qui ſuam ſententiam refelleret,quàm qui ſectaretur,repererit. Cùm enim fluvij admirabilis atq; inenarrabilis natura ſit, certisq; diebus auctu magno per totam ſpatiatus Ægyptum,fœcundus innatet terræ,docti viri tam inſolitæ rei cauſſam magna ſolertia quæſivere. *Herodotus*,qui cognoſcendæ Nili naturæ ad Elephantinam usq; urbem profectus eſt, Solem, hyberno tempore Africæ ſuperiora permeantem,iſta efficere autumat. Ita enim ille in *Euterpe c. 24.* *Φράσω διότι μοι δοκέει πληθύνεσθαι ὁ Νεῖλος τοῦ θέρεος. τὴν χειμερινὴν ὤρην ἀπελαυνόμενος ὁ ἥλιος ἐκ τῆς ἀρχαίης διεξόδου ὑπὸ τῶν χειμώνων, ἔρχεται τῆς Λιβύης ἐς τὰ ἄνω.* Et paulò poſt *c. 25.* *ὁ δὲ Νεῖλος, ἐὼν ἄνομβρος, ἑλκόμενος δὲ ὑπὸ τοῦ ἡλίου, μοῦνος ποταμῶν τοῦτον τὸν χρόνον εἰκότως αὐτὸς ἑωυτοῦ ῥέει πολλὸν ὑποδεέστερος ἢ τοῦ θέρεος. τότε μὲν γὰρ μετὰ πάντων τῶν ὑδάτων ἴσον ἕλκεται, τὸν δὲ χειμῶνα, μοῦνος πιέζεται. οὕτω τὸν ἥλιον νενόμικα τούτου αἴτιον εἶναι.* Statuit videlicet, Nilum tantum eſſe naturâ,quantus per implementum excreſcat.Per hyemem verò à ſole,qui ſupra Africæ verticem tum circumfertur, multum humoris è Nilo attrahi, qui, ob id contra naturam imminuatur.Herodotus *ὁμόψηφον* habet *Theodoretum*, *Cyri Epiſcopum*, *Oratione IV.* *τῆς Ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτικῆς*, has afferentem rationes, quòd Sol æſtuaria paludesq; exſiccet, aquarum collectiones & ſtagna conſumat, corpora quoq; hominum ſicciora efficiat. Diligens inprimis eſt in vera germanaq; incrementi hujus cauſſa inquirenda *Diodorus Siculus l.I.* qui etiam rejecta ſententia Thaletis, de Eteſijs,curſum amnis remorantibus:Anaxagoræ,de liqueſcente Æthiopiæ nive:Herodoti,de Sole aquas fluminis attrahente:Democriti,de nubibus ex ſeptentrione per Eteſias advectis,& in imbres in Æthiopiæ montibus reſolutis:Ephori,de aquis,quæ hyemali tempore in ſpongioſa Ægypti terra conſtringantur,æſtate autem tanquam ſudores emittantur: Philoſophorum Ægyptiacorum,de tempeſtatibus hyemalibus,quæ ex oppoſita orbis regione,ſeu ex zona frigida,oriantur:Oenopidæ, de calore, qui brumali tempore in terræ viſceribus concluſus plurimum humidæ ſubſtantiæ abſumat, ipſe tandem amplectitur ſententiam,cujus auctor *Agatarchides Cnidius*,incrementum illud à pluvijs in Æthiopiæ montibus certo tempore,videlicet quotannis à retrogreſſione ſolis æſtiva,usq; ad diei & noctis exæquationem autumnalem,ibi cadentibus. His Veterum de incremento fluminis ſententijs accedit illa *Ariſtidis* Philoſophi,& nonnullorum recentioris ævi ſcriptorum,qui omni cauſſa naturali excluſa rem omnem ad unam ſolius Dei ſapientiam & providentiam referendam putant.

Nos

Nos cæteris ſententijs jam dimiſſis, de duabus illis, quarum una eſt Agatarchidæ, altera Ariſtidis, quæq; probabiliores videntur, pauca dicemus, æquo lectori in re obſcura liberum relinquentes, quamnam vel ex his duabus, vel reliquis amplecti velit. Prior Agatarchidæ de imbribus Æthiopicis experientiâ & graviſſimorum Auctorum teſtimonijs munita eſt. Poſt Diodorum illam tuetur *Strabo lib. II.* ubi eandem Poſidonio tribuit, aſſerenti; τοὺς πληροῦντας τὸν Νεῖλον ὄμβρους, ἐκ τῶν Αἰθιοπικῶν ὀρῶν συμβαίνειν. Clariùs verò ſententiam ſuam exprimit *l. XVII.* ſcribens; Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι στοχασμῷ τὸ πλέον, οἱ δ' ὕστερον αὐτόπται γεννηθέντες, ᾔσθοντο ὑπὸ ὄμβρων θερινῶν τὸν Νεῖλον, τῆς Αἰθιοπίας τῆς ἄνω κλυζομένης, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς ἐσχάτοις ὄρεσι· παυσαμένων δὲ τῶν ὄμβρων παυομένην κατ' ὀλίγον τὴν πλημμυρίδα. Ejuſdem ſententiæ plures graviſſimos teſtes ibidem laudat Strabo, quorum poſterior ſemper à priori acceperit, ut Poſidonium, & ab illo adductos, ut Calliſthenem, Ariſtotelem, Thraſyalcem, Homerum; qui inde Nilum διϊπετέα vocaverit. Quo epitheto ſignificari, Nilum à Iove, i. e. ex aëre delabi, eiq; κατ' ἐξοχὴν tribui pluribus diſputat *Strabo lib. II.* Idem hanc ſententiam etiam ad Nearchum refert *l. XV.* his verbis: Νέαρχος τὸ ζητούμενον πρῶτον ἐπὶ τοῦ Νείλου, πόθεν ἡ πλήρωσις αὐτοῦ, διδάσκειν ἔφη τοὺς Ἰνδικοὺς ποταμούς, ὅτι ἐκ τῶν θερινῶν ὄμβρων συμβαίνει. Incrementum fluvij ab imbribus eſſe affirmat etiam *Plutarchus de Iſide & Oſiride*, cum ſcribit: Si flatus auſtrini κωλύσωσι τοὺς τὸν Νεῖλον αὔξοντας ὄμβρους, prohibeant imbres decidere, quibus Nilus augetur. Apud eundem Eudoxus, Ægyptiorum ſacerdos, idem ſtatuit. Poſtquam enim Plutarchus Thaletis & cæterorum, qui antè nominati ſunt, opiniones retuliſſet, ſubjungit: Εὔδοξος τοὺς ἱερεῖς φησι λέγειν τὰ ὄμβρια τῶν ὑδάτων, καὶ τὴν ἀντιπερίστασιν τῶν ὡρῶν, ὅταν παρ' ἡμῖν ᾖ θέρος τοῖς ὑπὸ τὸν θερινὸν τροπικὸν οἰκοῦσιν, τότε τοῖς ὑπὸ τὸν χειμερινὸν τροπικὸν χειμών ἐστιν, ἐξ ὧν τὸ πλημμυροῦν ὕδωρ κατηῤῥήγνυται; *de plac. Philoſophor. l. IV. c. 1.* Cum hac ſententia illa fere convenit, qua Calliſthenes & Democritus apud *Diodorum, Plutarchum & Anonymum*, cujus extant: περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναπληρώσεως διάφοροι δόξαι, ſtatuunt, nubibus in Æthiopia ad montes impulſis maximam aquarum vim effundi, unde Nilum pleno intumeſcere alueo contingat. Nilum creſcere dicit *Pomp. Mela l. I. c. 9.* ſive quòd ſolutæ magnis æſtibus nives ex immanibus Æthiopiæ jugis, largius quàm ripis accipi queant, defluunt: ſive quòd per ea tempora ſtantes Eteſiæ actas à ſeptentrione in meridiem nubes ſuper principia ejus imbre præcipitant. Nilum in inferiore Mauritania habere originem, inde conjectari *Plinius l. V. c. 9.* & *Solinus c. 35.* ſcribunt, quod obſervatum ſit, prout in Mauritania nives imbresve ſatiaverint, ita Nilum increſcere. Ibidem *Plinius* inquit: Cauſſas hujus incrementi varias prodidere, ſed maximè probabiles, Eteſiarum eo

 tem-

tempore ex adverso flantium repercussum, ustro in ora acto mari; aut imbres Æthiopiæ æstivos, ijsdem Etesijs nubila illò ferentibus è reliquo orbe. Ad pluvias Æthiopicas refert etiam *Arrianus*, cùm rerum Indicarum libro ait: ὥστε ἀπὸ τῶνδε ἔξεστι τεκμηριοῦσθαι καὶ τοῦ Νείλου τὸ πάθημα τοῦτο, ὅτι ἐοικὸς εἶναι ὕεσθαι τὰ Αἰθιόπων ὄρεα τοῦ θέρεος, καὶ ἀπ' ἐκείνων ἐμπιπλάμενον τὸν νεῖλον ὑπερβάλλειν ὑπὲρ τὰς ὄχθας ἐς τὴν γῆν τὴν Αἰγυπτίην, i. e. Ex quibus licet similem Nili naturam colligere, quod verisimile est, Æthiopum montes æstate complui, atq; ijs pluvijs auctum Nilum, limosumq; factum, superatis ripis, Ægyptum inundare. Inter alias exundationis caussas & hanc, quæ ab imbribus, expresserunt Veteres AEgyptij sacerdotes isto hieroglyphico, quo, Nili adscensum significaturi, modò tres magnas hydrias, modò cœlum & terram aquæ copiam scaturientem pingebant. Cùm enim incrementum illud tribus præcipuè de caussis fieri putarent, reliquis aliorum opinionibus abjectis, quæ propemodum essent innumerabiles, quò sententiam ipsi suam perpetuis testarentur monumentis, tres urnas Nilo attribuerunt. Unam quidem AEgyptiæ terræ adscribebant, quæ ex sese aquam progigneret, sui ipsa humoris altrix; unde Timæus Mathematicus apud *Plinium, l. V. c. 9. & Solinum, c. 35.* Nili fontem phialam appellavit, quasi ipse intra se contineret eam aquæ vim, neq; aliunde mutuaretur: Alteram Oceano, ex quo inundationis tempore aqua in AEgyptum exæstuet. Tertiam imbribus, qui per id tempus, quo intumescit Nilus, κατὰ τὰ νότια τῆς Αἰθιοπίας μέρη, ad austrinas AEthiopiæ partes contingant. *Horus Apollo Hieroglyph. l. I. c. 21. Pierius Valerian. Hieroglyph. lib. XLVI.* Disertè eandem sententiam de imbribus adstruit *Eustathius in Odyss. l. IV, v. 477.* auctoritate Homeri, Aristotelis, & Endoxi, idem confirmantium, cum scribit: ὁ νεῖλος ἐξ ὄμβρων δοκῶν θερινῶν πληροῦσθαι, ὥς τινες ἐδόξαζον. Et post pauca: παρὰ δὲ τοῖς παλαιοῖς φέρεται καὶ ὅτι πολλῶν εἰπόντων περὶ τῆς νείλου ἀναβάσεως, ὅμηρος πρῶτος τὸ ἀληθὲς εἶπε, διιπετῆ προσαγορεύσας αὐτὸν, ὅ ἐστιν ὑετῶν πληρούμενον. ἐκ γὰρ τῶν ἐν αἰθιοπίᾳ γινομένων θέρους σφοδρῶν ὑετῶν, πληροῦται, ὡς καὶ ἀριστοτέλης καὶ εὔδοξός φασι, λέγοντες πεπύσθαι τοῦτο ἀπὸ τῶν ἐν αἰγύπτῳ ἱερέων. Diodori Siculi sententiam etiam sequitur, & ferme illum totum in hoc argumento exscribit *Theophylactus Simocatta l. VII. cap. 17.* Ex imbribus esse, quod Nilus effluvio fusius evagetur, etiam *Heliodorus Æthiop. lib. II.* docet, asserens ventos à septentrionalibus partibus versus meridiem, nubes omnes pellere ac trudere, donec in Zona, quæ torretur ardore solis, colligantur; in qua illarum motus propter incredibilem circumstantis æstus vehementiam retundatur, toto, qui antea fuerat paulatim congregatus & condensatus, humore liquescente, & inde copiosis imbribus cadentibus.

Auctus Niliacos ab imbribus esse, recentiores quoq; pleriq; αὐτόπται, confirmant. Ex his *J. Leo Afric. l. IX.* scribit: Quadraginta diebus crescit, hoc est, ad XVII. men-

XVII. mensis Junij: ac totidem decrescit. Nam in superiori Æthiopia cùm in Maij initio densissimè pluat, aqua per integrum Majum & Junij partem, priusquam Ægyptum perveniat, retardatur. Testatur etiam *Franc. Alvarez Peregrin. Æthiop. c. 9. & 147.* se maximos imbres in Æthiopia expertum, & incolas asseruisse, illos quotannis fieri, durare autem à medio Junio, usq; ad medium Septembrem. Eosdem imbres largissimos, & crassissimis guttis decidentes, in regno Congo & vicinis AEthiopicis regionibus, observavit etiam anno 1578. & seqq. Eduardus Lopez, apud *August. Cassiodorum in Descript. Congo l. I. c. 2. & l. II. c. 10.* His αὐτόπταις accedit *Hieronymus Fracastorius lib. II. Joseph.* cùm Josephum ita loquentem facit:

- - - - - - - nunc porrige mentem
Optime Rex, nam septem annos, qui deinde sequentur,
Infelix, steriles durosq; AEgyptus habebit,
Ipse intra ripas demisso flumine Nilus
Curret iners, supraq; caput limumq; feracem
Non tollet: sicca arebunt arva omnia, sicca
Solstitia, & nulli descendent montibus amnes,
Consueti pluviarum amnes sub sidere Cancri,
AEthiopum populis nec hyems æstiva redibit.

Non minus *Hieron. Cardanus Subtil. l. II.* imbres in caussa esse dicit, sed nives adjungit. Imò sunt, qui ad solas nives Aethiopicas referant, ut Anaxagoras & Euripides apud *Diodorum Sic. l. I.* Aschylus apud *Anonymum*, cujus extant Variæ de incremento sententiæ, *P. Martyr Legat. Babyl. l. III. Joann. Brodæus Miscell. l. IIX. c. 4. Phil. Honorius Thes. politic. part. II. c. de Nilo.* Verùm jam olim rejectũ illud à Diodoro est, isto argumento, φανερῦ πᾶσιν ὄντος, ὅτι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῶν καυμάτων ἀδύνατον χιόνα πίπτειν περὶ αἰθιοπίαν, cùm manifestum sit, per nimios calores fieri non posse, ut tunc nix in AEthiopia cadat. Nives hujus rei caussam esse negat etiam *Jul. C. Scaliger Exercit. XLVII.* in examine hujus sententiæ, quòd in AEthiopia nullæ sint nives. Non minus Eduardus Lopez *l. adducto* testatur, in AEthiopiæ montibus, & regno Congo atq; vicinis regionibus nullas cadere nives, ne in altissimis quidem montium jugis. Quas autem circa Tropicum Capricorni, versus Caput bonæ spei cadere idem concedit, eas fluvijs exceptas in mare versus meridiem deferri putandum est. Multis quoq; augmentum hoc ab imbribus AEthiopicis esse, asserit *Prosper Alpinus l. I. de medicin. Ægypt. cap. 8.* cùm multi ab AEthiopiæ varijs locis Cayrum profecti narrent, diebus quadraginta singulis annis perpetuoq; tempore ibi largissimos imbres atq; continuos decidere: cùm Cayri toto fere augmenti tempore Etesiæ perflantes singulis fere diebus ab orto Sole, usq; ad meridiem multas nigras, crassas & pluviosas nubes in altissimos usq; Libyæ, AEthiopiæq; montes propellant, in quibus hæ in pluvias vertantur, &c. Tandem horum sententiam *Johann. Baptista Scortia lib. II. de Nat. & Increm. Nili c. 17. & 18.*

 ratio-

rationibus & auctoritate testium oculatorum adstruit, qui apud ipsum videantur. Cui addatur *Nicolaus Caussinus ad Hori Apollinis lib. I. cap. 21.*

De tempore verò, quo imbres incrementum facientes cadant, non omnium una sententia est. *Leo Afric.* cum Majo incipere supra dixit, & in descensu, donec in Ægyptum veniant, propter longissimos tractus, usq; ad XVII. Junij retardari. *Alvarez* à medio Junio, usq; ad medium Septembrem durare scribit. Sic *Alpinus* sole Cancri signum ingrediente largissimas & copiosissimas pluvias cadere asseverat. Et *Fracastorius* sub sidere Cancri has pluvias descendere cecinit. In Aprili illas incipere, & in Augusto desinere, adeoq; fere quinq; menses durare ait Lopez apud *Cassiodorum l. I. c. 2. & l. II. c. 10.* Pro hac sententiarum varietate conciliandа cum *Scortia* dicendum est, sicut incrementi non status definitusq; dies sit; ita imbribus his certum & definitum diem assignari non posse. Possunt enim sæpe in ultimis gradibus Geminorum fieri pluviæ, cùm & hyems sub finem Maij incipiat, ad initium Septembris recedat. Si enim pluvia circa finem Maij incipit, Nilus inde sensim modiceq; crescere potest, cùm Sol per Cancrum vehi coeperit; cùm autem per Leonem, abundantissimè. Imò testatur Lopez, imbres illos dies quatuordecim nunc citiùs, nunc seriùs cadere, *Cassiod. lib. II. cap. 10.* Sed fac non pluere, nisi cum Sol Cancrum ingressus fuerit, caussa erit, quia necessariò antè reliquiæ præteriti vehementioris caloris consumi debent, intendiq; frigus, ut illius vi densatis vaporibus pluviæ generari possint. Atq; hinc etiam factum, ut ab Ægyptijs incrementi Nilotici Hieroglyphicum Leo sculperetur, & canales, tubi atq; syphones, qui aquam per terebrata foramina eructant, in Leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita, aquam admitterent, quæ inde ex leonis rictibus evomi videbatur, *Horus Apollo l. I. Hieroglyph. c. 21. Pierius Hieroglyph. l. I. Nic. Caussinus Polyhist. Symbol. l. XII. 55.*

Hanc de imbribus sententiam *Ammianus* quidem *l. XXII.* à vero dissonare ait, quod apud Æthiopes aut nulli imbres, aut per longa temporum intervalla cadant. Quam opinionem ab Herodoto traxisse videtur, qui in Euterpe scribit, ὅτι ἄνομβρος ἡ χώρη, καὶ ἀκρύσαλλος διατελέει ἐοῦσα, & suffragatur Ammiano *Joann. Brodæus Miscell. l. IIX. c. 4.* Sed refutantur experientiâ, uti jam monstratum est.

Sed & *Is. Casaubonus in Not. ad Strabonis lib. XVII.* sententiam de imbribus non concedendam putat, cùm ita idem incrementum pluribus fluminibus commune esset. Sanè constat, inquit, sub æquinoctiali, & ubicunq; etiam intra tropicos Sol fit perpendicularis, tantos imbres solitos contingere, ut hoc sit illis loco hyemis, & molestissimæ quidem: cùm omnia veluti diluvio quodam natent. hanc tamen esse caussam, cur Nilus intumescat, nescio an concedere debeamus. Cur enim Nilo proprium esset hoc πάθος? Itaq; doctis nostræ ætatis viris placet, à subterraneis potius caussis Nilum intumescere. Verùm facilè difficultatem ab illo

illo objectam effigiemus, si consideremus, non esse hoc Nilo proprium πάθος. Nam & Niger, Africæ fluvius amplissimus, & fere ijsdem cum Nilo locis ortus, Nilo ὁμοιοπαθεῖ, ut veteres & recentiores pariter affirmant. Ita enim *Plinius libro V. cap.* 8. Nigri fluvio eadem natura, quæ Nilo, easdem gignit animantes, ijsdemq; temporibus augescit. Idem *Solinus cap.* 33. Et *I. Leo Afric. lib. I.* Quod Nilus Ægypto, id Niger est Nigritarum solo: crescit enim ad Nili instar à decimo quinto Junij die per totos quadraginta dies, ac per totidem decrescit. Idem de Nigro scribunt *Jul. C. Scaliger Exerc. XLVII. Prosper. Alpinus de medic. Ægypt. l. I. c. 7. Luc. Joann. Scoppa lib. I. collectan. cap. 4. & Augustin. Cassiodorus de regno Congo lib. I. cap. 2. & lib. II. cap. 10.* Nec omittendum, alios fluvios idem facere. Indus, qui est omnium fluminum maximus, non aquâ solum agros lætificat, & mitigat, sed eos etiam conserit, *Cic. de Nat. Deorum lib. II. §. 130.* Fluvius Paraguay, aliâs argenteus dictus, in America, tres menses subjectos agros inundat, stagni instar, pòst intra alueum se recipit, *Joh. Lud. Godfrid. part. I. Novi Orbis.* Etiam fluvius Zaire in Africa ita exundat, *Cassiodorus ibid.* & fluvius Spiritus S. & Zuuama in Africa; Pegu & Mena in Asia, *Joh. Boterus Relat. Universal. part. I. lib. 3.* Scilicet, habet Nilus plurima cum alijs fluminibus communia, quæ tamen hactenus multis visa sunt singularia, ex locorum aliorum ignoratione, inquit *Marc. Frid. Wendelinus de Admirandis Nili c. 8.*

Quanquam verò & *Alpinus* supra pro imbribus dixit, tamen deinde rationibus quibusdam motus, deseruit fere priorem sententiam. Duo enim sibi circa Nilum observata dicit, quibus se ancipitem non immeritò fieri fatetur. Primùm summa constantiâ, quam Nilus in initio augmenti faciendo, XVII. die Junij, servet, se moveri ait. Cùm nullibi pluviæ semper eadem tum die, tum hora fieri incipiant, ut possint eadem die semper flumen aliquod augere. De altera ratione ita disserit Alpinus: Mense Junio ante Solis ad tropicum accessum, multis diebus AEgyptij terram illiusce fluminis, toto anno adservatam, & siccatam, arefactamq; accipiunt, quam lance expendunt, faciuntq; ut ponderum numerus drachmis sedulò respondeat, quam in loco undiq; concluso reponunt, quotidieq; librantes, ipsam observant nihil auctam, nihilq; imminutam pondere esse, usq; ad diem XVII. mensis Junij, in qua die auctam ipso pondere inveniunt, ex cujus pondere multum vel parum aucto, multum vel parum flumen illud auctum iri prænoscunt, à diligentiq; aucti illiusce ponderis notitia, quotis etiam cubitibus ipsum sit augendum, certò præsciunt, *de medicin. Ægypt. l. I. c. 8.* Ad primum, quod de summa initij constantia affert, dicendum, plerumq; isto die augmentum illud incipere, definitum autem diem ac horam ab alijs nec statui, nec statui posse. Ad præsagium ex arena captum responderi potest, arenam illam siccam humore quodam ingravescere, adeoq; non ab interna quadam caussa, sed ab aere humidis jam vaporibus repleto pondus majus accipere.

Altera sententia, quam multis probari diximus, est *Aristidis* qui & illam de imbribus & cæteras veterum opiniones omnes prolixè refellit, & tandem sapientiæ & providentiæ

divinæ rem omnem attribuit. Hic ita: ὅπως δ' εἰς τοῦτο ἥκει καὶ ὅθεν ἤρξατο τῆς ἀναβάσεως, ἐκπέφευγε τὴν ἱστορίαν. τὸ δὲ δὴ καὶ μόνην ταύτην ἁπασῶν χωρῶν ὥσπέρ τι ζῶον καθεστάναι πρὸς ἀμφότερα ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ, τότε μὲν χερσαίαν εἶναι καὶ ἐφ' αὐτῆς ἐπὶ τοῦ ξηροῦ, αὖθις δ' ἐν τῷ ὕδατι διαιτᾶσθαι, τῷ χρὴ ταῦτα προσθεῖναι, πλὴν εἰ τῇ μεγάλῃ σοφίᾳ καὶ προνοίᾳ τοῦ θεοῦ; ὅστις εἰ μὴ ἥκιστα ἤμελλεν ὕειν, τὸν Νεῖλον ἐπήγαγε μιμητήν τινα ἑαυτοῦ, καὶ ἀντὶ ὄμβρων εἶναι τοῖς ταύτης τῆς δωρεᾶς αὖ τηνικαῦτα ἐπήγαγεν, ἡνίκα τοῖς τε ἀνθρώποις ἔμελλε μάλιστα ἐν καιρῷ ἔσεσθαι, καὶ τῇ χώρᾳ φορὰν οὐ μόνον οὐκ ἐλάττω τῆς ἱκανῆς, ἀλλὰ καὶ θαυμαστὴν πλήθει παρέξεσθαι. ταύτην ἐγὼ μόνην αἰτίαν ἐπινοῶ, δι' ἣν Νεῖλος δι' Αἰγύπτου καὶ τῶν ἐκείνῃ ῥεῖ καὶ μέγιστος δὴ τοῦ θέρους, id est: Unde autem tantum ſumat incrementum, id extra noſtram cognitionem eſt poſitum. Jam quod ſola hæc regio, velut animal quoddam, utramq; naturam per fluvium participat, & nunc terreſtris eſt & ſicca, nunc in aqua degit; id cui tribuamus cauſſæ, niſi magnæ Dei ſapientiæ ac providentiæ, qui quem in locum nullam erat pluviam demiſſurus, in eum Nilum, quaſi vicarium ſuum, induxerit, qui pluviæ vicem hujus regionis incolis præſtaret: atq; eo tempore donum hoc in homines conferat, quo tum ipſis opportunum ſit maximè, tunc regioni non minorem, quam pro neceſſitate, verum inſigniter copioſum proventum conciliet. Hanc ego unicam video cauſſam, cur Nilus per Ægyptum fluat, atq; æſtate ſit maximus. Hæc *Ariſtides in Orat. Ægyptiaca.* Huc reſpexiſſe Ægyptij videntur, quando Serapin augere Nilum dicebant, ut teſtatur *Ruffinus l. II. append. ad Euſeb. c.23.* & alij Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, de quibus infra dicemus; aut cùm Iſin Nilum attollere putabant, ut eſt apud *Lucianum Dialog. Jovis & Mercurij.* Unde *Servius in Virg. Æneid. VIII. v. 696.* ſcribit; Iſis eſt genius Ægypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus receſſusq; ſignificat. Per ſitellam, quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit adfluentiam omnium lacunarum. Iſis autem lingua Ægyptiorum eſt terra. Per Iſin terram illos intellexiſſe, teſtatur etiam *Plutarchus de Iſide & Oſir.* iſtis verbis: Dicunt παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἴσιδι συνόντα τῇ γῇ. & *Heliodorus Æth. l. IX.* πρὸς δὲ τοὺς μύστας, Ἴσιν τὴν Γῆν, καὶ Ὄσιριν τὸν Νεῖλον καταγγέλλουσι. Ariſtidi etiam calculum adjicit *Lucanus l. X.* cùm ſtatuit, inundationis hujus non poſſe aliam reddi rationem, niſi quòd Deus Ægypto, quæ pluvijs caret, conſulere hac ratione voluerit. Is enim examinatis cæteris cauſſis, ijsq; rejectis, ait;

- - - - - - quis cauſſas reddere poſſit?
Sic juſſit natura parens diſcurrere Nilum:
Sic opus eſt mundo.

Idem ſtatuit, & cum ſacris literis convenire docet *Salomon Schweiggerus Itiner. l. III. c.12.*

Quanquam autem Ariſtides multis contra ſententiam de imbribus diſputat, (ad quæ reſpondet *Marc. Frid. Wendelinus de admirandis Nili c. 8.*) non difficul-

culter tamen sententia illius cum Agatarchidæ conciliari posse videtur, si, cum scire sit rem per caussam proximam cognoscere, *Arist. Metaphys. l. I. c. 3.* ab universali illa caussa prima & remota ad particularem & proximam esse descendendum, nec in sola divina providentia acquiescendum dicamus. Videlicet in incremento Nilotico producendo Deus, Sol & pluviæ concurrunt. Deus dirigendo & gubernando: Sol movendo & materiam attrahendo: pluviæ effectum determinando.

Quanta porrò commoda ex inundatione Nili in Ægyptum redundent, (nam id erat tertium, de quo agere constitui) pluribus commemorant Scriptores. Nilo Ægyptij omnia accepta referebant, quòd terræ motum non sentirent unquam, quòd à peste essent liberi, quod eorum terram nullis diluvijs cœlestibus misceri contingeret, vel ingenti imbre obrui. Inde illorum feriæ solennes, atq; sacrificia pleraq; Nilo dicata atque consecrata sunt. Hinc Nilus illis ἀγαθὸς δαίμων, bonus genius, dictus apud *Ptolemæum l. IV. c. 5.* Et per Nilotica incrementa, tanquam rem sacram, jurabant, orabant & vota nuncupabant, ut ille apud *Apulejum l. II. de asino aureo.* Tanti Nili aquam faciebant, ut quum hydria ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent, & sublatis manibus dijs gratias agerent, *Alex. ab Alexandro gen. dier. l. IV. c. 17.* Imò θεοπλαστοῦσι τῷ λόγῳ τὸν Νεῖλον αἰγύπτιοι, ὡς ἀντίμιμον οὐρανοῦ γεγονότα, ipsum Nilum commentitium Deum ratione quadam indigitabant, ut imitatorem cœli, *Philo l. III. de vita Mosis.* Iisdem pene verbis *Heliodorus Æthiop. lib. IX.* θεοπλαστοῦσι τὸν Νεῖλον Αἰγύπτιοι, καὶ κρειττόνων τὸν μέγιστον ἄγουσιν, ἀντίμιμον οὐρανοῦ τὸν ποταμὸν σημνηγοροῦντες. Quid? quod ipsam terram fluvij donum esse prodiderunt. Unde *Herodotus in Euterpe cap. 5.* inquit: Αἴγυπτός ἐστι δῶρον τοῦ ποταμοῦ. Quam illius sententiam repetit & laudat *Strabo l. I.* scribens, non injuriâ Herodotum totam Ægyptum fluvij donum dixisse; si non totam, eam saltem, quæ infra Delta sita sit, & inferior Ægyptus appelletur. Herodoti dictum etiam *Aristoteles l. I. Meteorol. c. 14.* exprimit, inquiens: πᾶσα ἡ χώρα τοῦ ποταμοῦ πρόχωσις οὖσα τοῦ Νείλου. Tota regio fluminis tantum invectu nata est. Et paulò pòst: ἡ χώρα πᾶσα γεγονυῖα φαίνεται καὶ οὖσα τοῦ ποταμοῦ ἔργον. Hoc *Seneca nat. quæst. l. IV. c. 2.* ita reddit: Debet illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas. Et latius *l. VI. c. 26.* Idem docet *Plutarchus de Iside & Osiride.* Addatur *Hieronym. Magius Miscellan. l. I. c. 10. & Johann. Boterus Relation. Universal. Part. I. l. 3.* Uti enim Nilus verè rex totius orbis fluviorum est, & qui dixit, eum arari, coli, navigari, verissimè dixit: sic illius in Ægyptios beneficia longè maxima sunt. Inde *Heliodorus lib. IX. Æthiop.* Nilum σωτῆρα τῆς Αἰγύπτου appellat. Idem *l. II.* Superbit Nilus, nec se flumen esse patitur, sed effunditur extra ripas, & eluvione tanquam mari quodam Ægyptum operiens, adventu suo fœcundat agros. ὁ Νεῖλος τῆς Αἰγυπτίας ἡγεμὼν καθέστηκε, *Horus Apollo Hieroglyph. lib. I. XXI,* Ὃς οὐδὲ ποταμοῖς τὴν

φύσιν ἔοικε, ὅταν ἴσα θαλάσσης πελαγίζῃ τὴν Αἴγυπτον, *Basil. Magn. Homil. III. in Hexaem.* Καθόλου δὲ ταῖς εἰς ἀνθρώπους εὐεργεσίαις ὑπερβάλλει πάντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμοὺς, *Diodor. Sic. lib. I.* Commendat fluvium & *Anonymus in* Ἐξηγήσει ὅλου τοῦ κόσμου, scribens: πᾶσαν Αἰγύπτου χώραν ἐστεφανωμένην ποταμῷ ὃς καλεῖται Νεῖλος. Et paulò pòst: Ἀλεξάνδρεια Νείλου ἀγαθότητα ὑπὲρ πᾶσαν ἐπαρχίαν κεκτημένη. ὃς Νεῖλος ποταμὸς θέρους ὥρᾳ ἀποβαίνων ἀρδεύει πᾶσαν γῆν, καὶ πρὸς τὸν σπόρον παρασκευάζει, ὃν σπαρθέντες περισσεύοντες μεγάλῃ εὐλογίᾳ πληροῦνται· πρὸς αὐτοὺς γὰρ ἓν μέτρον, ἑκατὸν, καὶ ἑκατὸν εἴκοσι μέτρα ποιεῖ. Huc referendum & illud *Simocattæ l. VII. c. 17.* πολυγονώτατον αὐτὸν ὑπὲρ ἅπαντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμοὺς πεφυκέναι φασίν. Bonitatem ejus prædicat etiam *Achmetes in Oneirocriticis c. 176.* εἰ ἴδῃ τις, ὅτι ἐπλήμμυρεν ὁ ποταμὸς, εὑρήσει ὁ κατοικῶν χαρὰν καὶ εὐφορίαν, καὶ Φαραὼ εὐφρανθήσεται μετὰ τῶν μεγιστάνων αὐτοῦ. Et expressiùs *Seneca nat. quæst. l. IV. c. 2.* Unam Ægyptus in hoc spem suam habet. Proinde aut sterilis annus, aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut parcior. Et postea: Quantum crevit Nilus, tantum spei in annum est. Nec computatio fallit agricolam: adeo ad *mensuram* fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus.

Non temere autem mensuræ Seneca meminit. De hac ut pauca colophonis loco addamus, sciendum, illâ auctus fluminis Ægyptios cognovisse. Id *Plinius l. V. c. 9.* disertè, cum inquit: Auctus ejus per puteos mensuræ notis deprehenduntur. Justum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardiùs recedendo. In duodecim cubitis famem sentit provincia: in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias. Et *libro XIIX. capite 18.* Si duodecim cubita non excessit, fames certa est. Nec minus, si XVI. exsuperaverit. Locus, ubi *Strabonis* ætate Nili incrementum metiebantur, Νειλομέτριον dictus. Is erat in insula Elephantine; de quo ille *l. XVII.* Nilometrium est puteus quidam in Nili ripa ex integro lapide constructus, in quo & maxima & mediocria Nili incrementa adnotantur. Nam putei aqua cum Nilo pariter crescit & decrescit. Suntq; in putei pariete notæ quædam insculptæ incrementorum, & perfectorum & cæterorum. Hæc itaq; observantes alijs etiam significant, ut incrementa cognoscant. Nam ex signis, certis diebus multò antè futura Nili incrementa cognoscunt, idq; omnibus prædicunt. Quæ res agricolis ad aquarum dispensationem, & aggerum ac fossarum curationem conducit, præfectis verò ad redituum rationes. Majora enim incrementa majores proventus denunciant. Quæ res in Nili statua antiquitate visenda, quæ Romæ in Vaticano conspicitur, puerulis sexdecim eam quasi scandentibus, significata est. De qua ita *Plinius lib. XXXVI. cap. 7.* Nunquam hic major repertus

tus est, quàm in templo Pacis ab Imp. Vespasiano dicatus, argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Addatur *Pierius Valerian. l. XLVI. & Casp. Barthius Adversar. l. XXXV. c. 6.* Soliti etiam sunt mensuram Nili in templum Serapidis, quod Alexandriæ erat, deferre. Hanc Constantinus Imp. in ecclesiam vero Deo sacram transferri jussit. Testatur *Socrates Hist. l. I. c. 17.* cùm scribit: Λεγόντων δὲ τῶν ἑλλήνων ὡς ἄρα ὁ σάραπις εἴη ὁ τὸν νεῖλον ἀνάγων ἐπὶ ἀρδείᾳ τῆς αἰγύπτου, τῷ τὸν πῆχυν εἰς τὸν ναὸν τοῦ σαράπιδος ὀνομάζεσθαι, αὐτὸς εἰς τὴν ἐκκλησίαν τὸν πῆχυν ἀλεξανδρέων μετατιθέναι ἐκέλευσε. τῶν δὲ φημιζόντων ὡς οὐκ ἀναβήσεται ὁ νεῖλος ὀργῇ τοῦ σαράπιδος, ἥτε ἄνοδος τοῦ ποταμοῦ, τῷ τε ἑξῆς ἔτει, καὶ εἰς τὸ μετὰ ταῦτα ἐγένετό τε καὶ γίνεται. ἔργῳ τε δείκνυται, ὡς οὐ διὰ θρησκείαν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ὅρους τῆς προνοίας, ἡ τοῦ νείλου ἀνάβασις γίνεται. E Socrate idem refert *Cassiodorus l. II. Tripartitæ c. 18.* istis verbis: Imperator Cubitum, quo mensuratur Nilus, non jam in templum Serapidis annis singulis, sed in Ecclesias portari sancivit. Jam Tertulliani ætate sicut aliarum calamitatum, sic & Nili non exundantis causam in Christianos referebant gentiles. Inde *Tertullianus ad Nationes lib. I. c. 9.* Omnis cladis publicæ vel injuriæ nos caussas esse vultis: si Tiberis redundaverit, si Nilus non redundavit, si cœlum stetit, si terra movit. In quem locum videatur *Jacob. Gothofredus.*

Cum Theodosius M. templa gentilium, & in his etiam Serapidis, everteret, Nilo amplius eos sacrificare prohiberet, mensuramq; fluminis in Christianorum templa deferri juberet, renovabant gentiles veterem querelam, jam Nilum non largè satis exundare, sed solito tardius ad primum exundationis *gradum* consistere. Docet id *Ruffinus l. II. Append. ad Euseb. c. 30.* Sane, inquit, quoniam moris erat in Ægypto, ut mensura adscedentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum & inundationis auctorem, subverso ejus simulachro, igniq; consumpto, omnes simul negabant, Serapin injuriæ memorem, aquas ultra ac affluentia solita largiturum. Sed ut ostenderet Deus, non Serapin, qui multo erat Nilo posterior, sed se esse, qui aquas fluminis temporibus suis juberet excrescere, tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quantam fuisse prius ætas nulla meminerat. Et ideo ulna ipsa, id est, aquæ mensura, quàm πῆχυν vocant, ad aquarum dominum in ecclesiam cœpta deferri. Ægyptij etiam seditionem propter interdicta Nilo sacrificia moliebantur, ut narrat *Sozomenus l. VII. c. 20.* & addit, cum Imperator nihilo minus in pio proposito perseveraret, Nilum haut multò pòst largiter effusum, etiam sublimioribus undas immisisse, adeoq; πρὸς τὸ τελειότατον καὶ σπανίως πληρούμενον μέτρον, ad perfectissimam ac rarò completam mensurã accessisse, atq; ex eo plurimos Ægyptios patria superstitione damnata, ad Christianismum transijsse. Addatur *Jac. Durantius Casellius variar. l. II. c. 18.* Eodem tempore *Libanius Antiochenus Orationem pro templis*, proq; Nili sacrificijs tuendis ad Imperatorem Theodosium scribebat, in qua inter cætera inquit: Οὐ τοίνυν τῇ ῥώμῃ μόνον ἐφυλάχθη τὸ θύειν, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ σεράπιδος, τῇ πολλῇ τε καὶ μεγάλῃ, καὶ πλῆθος κεκλημένῃ νεῶν, δι' ὧν κοινὴν ἁπάντων ἀνθρώπων ποιεῖ, τὴν τῆς αἰγύπτου φοράν, αὕτη δὲ

ἔργον τοῦ νείλου; τὸν νεῖλον δὲ ἑστιᾶ, ἀναβαίνειν ἐπὶ τὰς ἀρούρας πειθοντα.

Certa etiam fluminis menſura exſpectanda erat, cum aquas ex illo in agros & foſſas deducere vellent. De eo extat lex *Cod. Theodoſ. lib. IX. Tit. 32. De Nili aggeribus non corrump.* Si quis poſt hac per AEgyptum intra duodecimum cubitum fluminis Nili ulla fluenta de proprijs ac vetuſtis uſibus præter fas, præterq; morem antiquitatis uſurpaverit, flammis eo loco conſumatur, in quo vetuſtatis reverentiam, & propemodum ipſius imperij adpetierit ſecuritaem. X. Kal. Octob. Conſtantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. CONS. i, e. anno 409. Unde tranſtulit Imperator in *Cod. l. unic. C. de Nili aggerib. non rump.* Rationem addit *Anton. Perezius ad h. t.* quod ea res tendat in grave detrimentum provinciæ, & totius imperij, ex eo quod cùm Nilus ad altitudinem duodecim cubitorum non adſcenderit, certiſſimum ſit ſignum famis in AEgypto, & conſequenter in Imperio, quod quatuor fere anni menſes totum ſuſtentabatur AEgyptiorum frumento. Addatur in hanc legem *Hieronym. Magius Miſcellan. l. I. c. 10.* Menſuram Nili circa ann. 1320. *Mar. Sanutus lib. III. part. 14. cap. 12.* ita deſcribit: Poſita eſt columna marmorea in inſula quadam parva, in medio fluminis, quæ eſt ante antiquam civitatem Meſer, quæ eſt prope Cayrum, & in illa columna poſuerunt ſigna, ſecundum quæ cognoſcunt ſequentis meſſis copiam vel defectum.

De menſura Nili, qua hodie utuntur AEgyptij, ita *Petrus Martyr Legat. Babyl. lib. III.* Intra Nilum urbi inſula adjacet. In cujus acuta projectura turris extat lapidea, in qua per alnas eorum, quas piccos appellant, & quartas ac digitos, ſigna ſunt circumciſa. Eſt eorum alna, veſtrâ Hiſpanâ, quam varam veſter populus vocat, ſpithama grandi minor. Columnæ huic, æſtate jam adventante, multi aſſident; ut qui primus Nilum creſcere denunciaverit, pinguem ſtrenam aſſequatur. Itidemq; fit quotidie, donec tumeſcere deſinat. Ait fluvio ad altitudinem quatuordecim piccorum, i. e. alnarum, ſurgente, ſuperare ripas Nilus, & per campos ac foſſas manu factas ſeſe protendere, provinciamq; inundans irrigare incipit. Ad eos, qui inundationem fluvij obſervant, illud *Lucani l. IIX.*

> Hunc genuit cuſtos Nili creſcentis in arua
> Memphis una ſacris,

referri poteſt, uti cenſet *Joann. Baptiſta Pius Annotat. prior. c. 9.*

Fuſiùs autem & diſtinctiùs eandem menſuram *Johann. Leo Afric. l. IIX.* deſcripſit, cujus narrationem huc referre operæ putamus. Ita autem ille: E regione civitatis veteris in medio Nili Michias, hoc eſt, menſuræ videtur iuſula, ex qua pro ratione inundationis Nili, ejus anni proventum per totam Ægyptum certiſſima ratione à priſcis Ægyptijs adinventa colligunt. Alteram inſulæ partem domus ab alijs ſejuncta occupat, in cujus medio foſſa quadrangularis decem & octo cubitus profunda per aquæ ductum ſubterraneum aquam ex Nilo porrigit. In foſſæ meditullio columna totidem cubitis ſignata & diviſa ſpectatur: cumq; Nilus ad XVII. Junij exundare incipit, ſubitò per aquæductum aqua in foſſam effunditur, plerumq; uno die duobus digitis, plerumq; tribus, aut dimedio cubito excreſcens. Huc ſingulis diebus concedunt certi homines Nili incrementis à Senatu conſtituti, & fluminis

nis accretionem observantes nonnullis pueris indicant, qui capite luteis mantilibus obvoluto, vicatim idipsũ tam in Alcairo, quàm ejus universis suburbijs promulgant, ac donaria à mechanicis hominibus, mercatoribus & fœminis tantisper dum Nilus crescit, singulis diebus referunt. Nili porrò experimentum ita habet: Ad quintum decimum columnæ cubitum ubi pervenerit, annum colligunt fertilissimum: si inter duodecimum & decimum quintum constiterit, mediocrem indicant ejus anni proventum; si inter decimum ac duodecimum, frumentum portendit aureis decem divenditum iri in singula modia. Verum si flumen in decimum octavum evadere contingat, cladem ex inundatione denunciat: si superare, periculum est, ne tota absorbeatur Ægyptus. Hac ratione Nilus diebus quadraginta crescit, totidemq; decrescit, quo temporis intervallo ob aquarum copiam nonnulla sentitur annonæ caritas, quod inter fluminis augmentationem & diminutionem eam pro cujusq; arbitrio vendere liceat. Verum octuagesimo die transacto cibariorum præfectus annonæ pretium indicit, præcipuè frumento, quod varios regionis tractus juxta fluminis incrementum, pro diversitate altioris humiliorisq; soli parcè, mediocriter & nimium irrigatos apprimè dinoscant: quibus ritè peractis, maxima per totam Alcairum tanto tympanorum ac tubarum clangore celebritas initur, ut civitatem inversam dixeris. Scripsit de eadem columna *Salomon Schweigger l. III. c. 12.*

De etymo & varijs Nili nominibus agunt *Eustathius in Dionysij versum 221. David Hoeschelius in Horapoll. Pierius Hieroglyph. l. XIX. Guilielm Philander ad Vitruvij l. IIX. c. 2. Matthias Martinius, & Christianus Becmann.* in voce Nilus.

Tres esse diætas. f) Ita *MS. L. B. R. & Jac. de Vitriaco.* nec non *Vincent. Specul. Hist. lib. XXXII. cap. 57.* Vitiosè editum erat *trecentas.* Est autem ἡ δίαιτα primò victus & vitæ ratio, ut apud *Dionem in Othone*, ὅτε βίος αὐτῷ καὶ ἡ δίαιτα. deinde, ut hîc, est iter unius diei.

Thobar. g) Cobar, *Jacob de Vitr.* Chobar, *Vincent. l. XXXII. c. 58.* Rectius omnino. Est enim fluvius ille Chaldææ Chobar, ad quem Propheta Ezechiel suas visiones vidit, *Ezech. I. v. 1. 3. c. III. v. 15. 23. c. X. v. 15. 20. 21. c. XLIII. v. 3.* Hebraicè Chebar, & *LXX. Interpretibus* χοβάρ dictus. Hunc Rabbini eundem esse cum Euphrate volunt; quos sequitur ex parte *Hieronymus in Ezech. I.* cum scribit: Chobar aut nomen est fluminis, aut certè juxta interpretionem suam, quæ in grave vertitur, tygrim significat & eufratem, & omnia magna & gravissima flumina, quæ in terra Chaldæorum esse perhibentur. At juxta veteres Geographos Chobar est certus amnis Mesopotamiæ, qui se tandem in Euphratem exonerat. Hic *Ptolemæo l. V. Geograph. c. 18.* χαβώρας appellatur, atq; ex Masio monte oriri dicitur Ab eodem civitas ejusdem nominis χαβώρα ad Euphratem ponitur; ad quam fluvius hîc in Euphratem infunditur. *Ibid.* Nec dubitandum, amnem Ἀβόρραν, quem *Strabo l. XVI.* ad Anthemusiam, quæ Mesopotamiæ pars, & Armeniæ vicina, ponit, eundem esse cum illo, qui Ptolemæo χαβώρας. Idem *Ammiano lib. XIII.* Aboras, &

 Theoph.

Theoph. Simocattæ l. I. c. 13. Ἀβόῤῥας appellatur. Dictus est Chobar vel ab aquarum multitudine, Chebir enim copiosum & multum significat, *Cornel. à Lapide in h. locum:* aut à Cobare Præfecto, juxta *Plinium l. VI. c. 26.*

montes. h) Pyramides intelligit. Nota satis sunt, quæ *Herodotus in Euterpe, Diodorus Siculus l. I. & Plinius l. XXXVI. c. 12.* de Pyramidibus Ægyptiacis prodidere. Duas has pyramides, de quibus hîc Auctor, *P. Martyr Leg. Bab. l. III.* anno 1502. probè lustravit & dimensus est, multaq; de illis retulit. De circumferentia ille ita: Ego ipse grandioris pyramidis circumferentiam dimensus, de quatuor lateribus unum reperi quindecim supra ter centum meis passibus constare. Addatur *Joann. Servilius de mirand. antiquor. operibus,* & *Michael Maierus Hieroplyph. l. I.*

Chay. i) Alcairum frequentius appellant; quæ vox Arabica vulgari Europæorum idiomate corrupta, pro el Chahira, quod coactricem, vel victricem significat. Eadem autem civitas & Babylon olim appellata. Hæc orbis terrarum maxima esse scribitur. Eques expeditus quatuor horis eam transiret: decem non facilè circumequitaret. Habet sex suburbia amplissima. Sunt in eadem Græcorum, Armeniorum & Christianorum templa. Præ cæteris diligenter descripsit *Leo Africanus αὐτόπτης l. IIX.* Cui addantur *Petr. Martyr Legat. Babyl. l. III. Mart. à Baumgart. l. I. c. 18. Paul. Æmil. l. V. Martin. Crus. Turcogr. l. II. Paul. Jovius hist. sui temp. l. XIIX.*

Ab hac civitate. k) Locus hic corruptus & prorsus mutilus ex *MS. L.* editus erat. Nam ita legebatur: Ab hac civitate ad milliare unum est hortus balsami, ut lignum teremnis. Edimus nunc integrum ex *MS. R.* & *Jacobo de Vitriaco,* qui examussim conveniunt, nisi quod Jacobus pro, lignum vitis triennis, habet, lignum vitis triennium. Vide etiam *Vincent. Specul. Histor. l. XXXII. c. 58.*

milliare. l) Eadem fere *Petr. Martyr Leg. Babyl. l. III. Borchard. Monach. Descript. terræ sanctæ part. II. c. 4.*

mansum. m) Addantur *ijdem,* & *Mar. Sanut. l. III. part. 14. c. 12.*

vitis triennis. n) Viti similior est, quàm myrto, *Plin l. XII. c. 25.* Similes vitibus stirpes habent, *Solinus c. 48.* Cum malo Punica comparat *Theophrastus l. IX. c. 6.* inquiens, τὸ δὲ δένδρον μέγεθος μὲν, ἡλίκον ῥοὰ μεγάλη. πολύκλαδον δὲ σφόδρα. Cum cytiso & terrebintho *Strabo lib. XVI.* ἔστι δὲ τὸ φυτὸν θαμνῶδες, κυτίσῳ ἐοικὸς καὶ τερμίνθῳ, ἀρωματίζον. Cum myrto *Pausanias in Boeticis:* μέγεθος μὲν κατὰ μυρσίνης θάμνον τὰ βάλσαμα ἐστί. Cum piceis arboribus *Justinus l. XXXVI. c. 3.* Arbuscula illa est sicut vitis trium annorum; folium verò quasi parvi trifolij, vel sicut rutæ, albiora tamen, *Sanut. ibid.*

folium. o) Φύλλον δὲ ἔχειν (φασι) ὅμοιον πηγάνῳ, πλὴν ἔκλευκον, ἀείφυλλον δὲ εἶναι, *Theophrast. ibid.* Φύλλα ἔχον ὅμοια πηγάνῳ, λευκότερα δὲ πολλῷ καὶ ἀειθαλέστερα, *Dioscorides l. I. c. 18.* Φύλλα δὲ αὐτοῖς κατὰ τὴν πόαν τὸ σάμψυχον, *Pausanias ib.* Folium proximum rutæ, perpetua coma, *Plin. ib.* Tenacibus folijs sempiternæ inumbrantur, *Solin. ibid.* Ballamus est arbor, cujus folia & odor rutæ similantur, sed ipsa tamen declinant ad albedinem, *Avicenna l. II. Canonis, c. 84.* Diversas has Aucto-

rum ſententias conciliat *Proſp. Alpinus Dial. de balſamo c.3.* Juſtinum autem, arbores opobalſami formam ſimilem piceis arboribus habere affirmantem, deceptum eſſe ait. De folijs verò balſami ſcribit: Folia pauciſſima gerens rutæ proxima, non tamen ijs candidiora, ut Dioſcorides docuerat, ſed potius colore viridi ſubalbido, perpetuoq; virentia, *Ibidem, & Lib. de Plant. Ægypt. c.14.* Plinius in balſami hiſtoria Theophraſtum per omnia ſecutus eſt, quemadmodum etiam Dioſcorides, ejusq; veſtigijs inſiſtentes, balſami folia rutæ folijs compararunt: quod veritati conſonum eſſe deprehendimus inquit *Petr. Bellonius lib. II. itinerar. obſervat. c.39.*

circa finem Maij. p) ὑπὸ τὸ ἄστρον, ὅταν μάλιστα πνίγη ὦσι, *Theophraſt. ib.* Τὸ δὲ ὀποβάλσαμον λεγόμενον ὀπίζεται ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασιν, *Dioſcor. ib.* Cortex inciditur in fine Maij, *Vincent. Spec. Hiſtor. l.XXXII. c.58.* Opobalſamum menſibus Junio, Julio, Auguſto, partim ſponte, partim ſtipite ferro ſcarificato, diſtillat, in vitreaq; vaſa excipitur, *Alpin. Dial. de Balſamo c.3. & Lib. de plant. Ægypt. c.14.*

funditur. q) Τὸ δὲ δάκρυον ἀπὸ ἐντομῆς (φασὶ) συλλέγειν· ἐντέμνειν δὲ ὄνυξι σιδηροῖς, *Theophr. ib.* ἐντεμνομένου σιδηροῖς ὄνυξι τοῦ δένδρου, *Diſcor. ib.* οὗ τὸν φλοιὸν ἐπισχίσαντες, ὑπολαμβάνουσιν ἀγγείοις τὸν ὀπὸν, *Strabo ibid.* ἐπὶ Ἱεριχοῦντα τὸν φοίνικα τρέφεσθαι συμβέβηκε, καὶ τὸ ὀποβάλσαμον, μύρον ἀκρότατον, ὃ τῶν θάμνων τεμνομένων ὀξεῖ λίθῳ ἀναπιδύει ὥσπερ ὀπὸς *Joſeph. Antiq. Jud. l. XIV. c.7.* Et: τοῦτο (βάλσαμον) λίθοις ὀξέσιν ἐπιτέμνοντες τὰ πρέμνα συλλέγουσι κατὰ τὰς τομὰς ἐκ δακρύων, *l.I. de bello Jud. c.7.* Balſamum virgultis innaſcitur, quæ acutis lapidibus incidunt pueri agricolarum, perq; eas inciſiones diſtillat humor lachrymis pulchrè rorantibus, *Hegeſippus excid. Hieroſ. l.I. c.15.* Idem repetit *l. IV. c.17.* Ut quisq; ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis, aut teſta aperiuntur, *Tacitus Hiſt. l.V. c.6.* Inciditur vitro, lapide, oſſeisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari ſupervacua patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet, *Plinius ib.* Lignum caudicis attrectatum ferro, ſine mora moritur. eapropter aut vitro aut cultellulis oſſeis, ſed in ipſo cortice artifici plaga vulneratur; ex qua eximiæ ſuavitatis gutta manat, *Solinus*; In quem locum legatur *Joh. Camers*, & inprimis *Cl. Salmaſius.* Unguibus ferreis corticem arboris incidi ſolitum etiam *Claudianus in Epithal. Palladij.* docet:

Gemmatis alij per totum balſama tectum
Effudere cadis, duro quæ ſaucius ungue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Quod autem Tacitus, Plinius & Solinus afferunt, plantam balſamiferam expaveſcere, in eo abeunt à Theophraſto & Dioſcoride, qui ferreis unguibus aperiri ſcribunt. Conciliat illos cum his *Johannes Veslingius ad Cap XIV. Alpini de Plantis Ægypti*, his verbis: Sed hæc de tenella planta, atq; in alieno ſolo lan-

so languidius adulta, habenda sunt, non item de indigena illa, quæq; validâ jam stirpe terram patriam complexa est. Hanc enim ferrum non reformidare, nec durius in compescendis ramis fluentibus imperium, abunde mihi confirmarunt Arabes, qui horum fasces integros Cayrum deferunt.

guttatim. r) Τὴν δὲ συλλογὴν ὅλον τὸ θέρος ποιεῖσθαι. οὐκ εἶναι δὲ πολὺ τὸ ῥέον, ἀλλ' ἐν ἡμέρᾳ τὸν ἄνδρα συλλέγειν ὅσον κόγχη, *Theophrast.* ῥεῖ δὲ ὀλίγον. ὡς καθ' ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἓξ ἢ ἑπτὰ χόας συναθροίζεσθαι, *Dioscor.* Succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, *Plin.* Sudare è cortice læso dixit *Virgilius Georg. lib. II.*

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama?

Non tamen omne opoballsamum guttatim è vulnere sudat. Nam aut per incisionem balsamiferæ arboris, aut per decoctionem ligni frondiumq; ejusdem plantæ liquor elicitur. *Joann. Vesling. in Cap. XIV. Alpini.*

in vasis. s) Eadem habent *Mar. Sanut. lib. III. part. 14. c. 12. & Vincent. Spec. Histor. l. XXXII. c. 58.*

nusquam. t) Falsò scribit Auctor, balsamum nusquam terrarum, nisi in hoc loco crescere. Balsamum nativum solum in Arabia semper habuit: inde etiam in Syriam, atq; in AEgyptum invectum est. In Arabia apud Sabæos nasci tradit *Strabo l. 16.* cùm scribit: Συνάπτει δ' ἡ τῶν Σαβαίων εὐδαιμονεστάτη μεγίστου ἔθνους, παρ' οἷς καὶ σμύρνα, καὶ λίβανος, καὶ κιννάμωμον. ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ, καὶ βάλσαμον. Apud hos, inquit, thus & myrrha & cinnamomum nascitur: in maritimis autem balsamum. In eadem regione balsamum etiam *Pausanias* collocat istis verbis: Ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἀράβων ὅσοι τῶν ἔχεων περὶ τὰ βάλσαμα οἰκοῦσι, τοιάδε ἄλλα ἐς αὐτοὺς συμβαίνοντα οἶδα. Pausaniæ subscribit *Cælius Rhodiginus l. XIIX. c. 35.* Ibidem collocat & *Diodorus Sic. Biblioth. lib. II.* cùm de Arabibus Nabatæis agit, inquiens: γίνεται δὲ περὶ τοὺς τόπους τοιούτους ἐν αὐλῶνι τινὶ τὸ καλούμενον βάλσαμον, ἐξ οὗ πρόσοδον λαμπρὰν λαμβάνουσιν, οὐδαμοῦ μὲν τῆς ἄλλης οἰκουμένης εὑρισκομένου τοῦ φυτοῦ τούτου, Ibi in convalle quadam Balsamum, quod vocant, gignitur: unde luculentum ipsis vectigal accedit, propterea quòd nusquam alibi in orbe terrarum hæc stirps inveniatur.

Arabiam fœlicem Balsami locum patrium semper fuisse, atq; adhuc esse, tam evidenter *Petrus Bellonius, Prosper Alpinus & Joannes Veslingius*, Medici, αὐτόπται, demonstrarunt, ut post illos de eo nemini dubitare amplius liceat. *Bellonius* quidem *l. II. Itinerar. observat. c. 39.* inter cætera scribit: Quia ipsum fruticem vidimus, diligenterq; observavimus, tanquam de re, quæ diligenti observatione digna, differere libuit. Experientia autem didicimus, lignum illud vulgo Xylobalsamum nuncupatum, quod ex fœlici Arabia delatum à mercatoribus venditur, cum AEgyptio, quod in Matarea colitur, convenire. Et deinde: Licet Theophrastus

ftus in ea opinione sit, id sylvestre & sponte nasci non inveniri, asserere tamen audemus, ab omni ævo in fœlici Arabia, atq; etiam nunc nasci. Postea addit, mercatores Cayri affirmasse, quicquid Xylobalsami, vel Carpobalsami unquam vendidissent, id omne ex Mecha cum aliis aromatibus accepisse; atq; meminisse, suo tempore Balsami frutices, qui tunc in Matarea colebantur, ex Arabia fœlici magnis sumptibus Sultani esse delatos. Post hunc quadraginta annis eandem balsami patriam asseruit multis oculatis testibus & rationibus *Alpinus*, primùm quidem *Dialogo de balsamo cap.2.* ubi inter cœtera inquit: Quamplures Balsami arbores in multis Arabiæ locis nunc vivere, quarum succus, fructus ac virgæ huc ad nos (in Ægyptum) à multis asportantur, certissimum est. Neq; id AEgyptios, Syros, Turcas, & aliorum nationum homines multos, Arabiæ loca peragrantes, latet, quinimo omnes annis singulis Mecham & Medinam primarias Arabiæ fœlicis urbes, peregrinationis gratiâ adeuntes, quantus in illis locis sit ex arbore balsami proventus, planè fateri possunt. Et deinde: In Arabiæ multis locis innumeræ propemodum plantæ magno cum illiusce gentis lucro aluntur. Cujus succi lucro ab ijs cognito omnes certatim multos balsami frutices ex arenosis, montuosisq; locis in viridaria transferre conantur. Quamobrem ibi innumera pulcherrima balsameta cernuntur. Postquam deinde rem ita se habere oculatis testibus, qui in Arabia fuerant, asseruisset, subjungit, Omnes prædicti nobiles Turcæ uno ore affirmant, propeMecham & Medinam, in montibus, planis, cultis atq; incultis locis innumeras Balsami plantas sponte natas spectari, plurimasq; etiam in arenosis sterilibusq; locis. Imò apud omnes Arabes veterum memorijs constare, passim in pluribus fœlicis Arabiæ locis innumeras sponte nascentes, balsami plantas perpetuo vixisse, nunquamq; illa loca ijs caruisse. Eandem sententiam repetit, & ijsdem fere rationibus atq; testibus probat *Lib. de Plantis Ægypt. c.14.* Et denuo *l.IV. de medicina Ægypt. c.10.* ubi inter cætera scribit, se Venetijs arbusculam veri balsami habuisse, ex cujus stipite naturale opobalsamum stillaverit. Tandem & *Veslingius in cap. XIV. Alpini de Plant. Ægypti* scribit: Cæterum plantæ Balsami natale solum rectè Alpinus Arabiam asserit, vel hoc nomine cæteris provincijs celebriorem, ex qua ramorum, fructuum, & odorati illius succi copia satis ampla in Aegyptum defertur. Revera in Arabiæ collibus quamvis alia cura nulla accedat, fœlicibus sylvis progeniem submittit. *Idem in literis ad Baldum Baldum*, Medicum Romanum, 28. Oct. cIↄIↄcXXXIX. scriptis ait: Mihi ultra quinquennium Memphi Aegyptiorum olim degenti singulis annis id (balsamum) conspectum fuit, redeuntibus è Mecca & Medina indigenis, constanti omnium sermone non alibi, sed dictis in locis paratum esse atq; emptum, quod secum attulerunt. Quibus vel eo libentius fidem adhibui, quum & frondes secum & fructus balsami deferrent, non externo minus habitu, quàm viribus descriptioni clarissimorum veterum convenientia. His addantur alij testes, quos adducit *Balthasar Bonannus*, Medicus Romanus in literis *Exam. Opobalsami Orientalis.* Adstruit idem *Joannes Bodæus in Theophrasti l.IX.c.6.*

Ex Arabia acceperunt Judæi. Ut enim in Arabia hæ plantæ patriæ sunt: ita in Judæa & Aegypto advenæ. Testatur *Josephus Antiq. Jud. l.IIX.c.6.* cùm fatetur, balsami plantam Judæos munificentia Aegypti & Aethipiæ reginæ nactos esse,

quæ ad Salomonem detulerit: λέγουσι δ' ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. Balſamum autem in Syriam, atq; in Judæam translatum, ibidem (ſicut & in Ægypto) in hortis tantùm cultum fuit. Ita enim *Theophraſtus*: Τὸ βάλσαμον γίνεται μὲν ἐν τῷ αὐλῶνι τῷ περὶ Συρίαν. παραδείσους δ' εἶναί φασι δύο μόνους. τὸν μὲν, ὅσον εἴκοσι πλέθρων, τὸν δ' ἕτερον πολλῷ ἐλάττονα. Pari fere ſenſu & *Dioſcorides*: βάλσαμον ἐν μόνῃ Ἰουδαίᾳ, κατά τινα αὐλῶνα, καὶ ἐν αἰγύπτῳ. Adſtipulatur *Strabo l. XVI.* ſcribens: Eſt ibi (apud Hierichuntem) καὶ ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος, balſami hortus. Et poſt pauca: ἐνταῦθα μόνον γεννᾶται. Quanquam idem Strabo ſuperius etiam in Arabia collocârit. Duobus autem potiſſimum in locis Iudææ balſamum cultum fuit: in planicie circa Hierichuntem, & in monte Engaddi, de quo *Cantic. I. v. 14.* In Hierichuntis campis balſami hortum ponit etiam *Hegeſippus l. I. excid. Hieroſolym. c. 15. & l. IV. c. 17.* Romani Scriptores itidem in ſola Iudæa naſci affirmant. Exuberant fruges noſtrum ad morem, præterq; eas balſamum & palmæ, inquit *Tacitus Hiſtor. l. V. c. 6.* Sic *Plinius l. XII. c. 25.* Omnibus odoribus præfertur balſamum, uni terrarum Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantùm hortis, utroq; regio, altero jugerum XX, non amplius, altero pauciorum. *Idem l. XVI. c. 32.* Faſtidit balſamum alibi naſci. Plinio ſimilia tradit *Solinus c. 48.* inquiens: In hac terra balſamum naſcitur, quæ ſylva infra terminos XX. jugerum usq; ad noſtram memoriam fuit. At cùm Iudæa potiti ſumus, ita luci illi propagati ſunt, ut jam nobis latiſſimi colles ſudent balſama. Etiam *Juſtinus l. XXXVI. c. 3.* ſoli Iudææ tribuit, ſcribens: Opes genti ex vectigalibus opobalſami crevere, quod in his tantùm regionib9 gignitur. Eſt namq; vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam cincta, adinſtar hortorum clauditur. Spatium loci ducenta jugera, nomine Hierico dicitur. *Galenus* ſe in Iudæam profectum ſcribit, ut quomodo opobalſamum deſtillaret, præſens cognoſceret, atq; ut ex eo particulam, tanquam regulam cæteris agnoſcendis apud ſe ſemper haberet, *l. II. de Antidot. c. 2. & 3. Idem* opobalſamum, quod in Engaddi hortis provenit, præcipuè commendat, cùm *cap. 4.* ſcribit: Opobalſamum Syriacum, quod à loco, in quo plurimum & optimum provenit, alterum quoq; nomen accepit, Sagadinumq; dicitur, cunctis alijs melius, quæ in Palæſtinæ prædijs colliguntur. Quantum verò Falernum vinum eo, quod caupones vendunt, præſtantius eſt, tantum Ægyptio opobalſamo Sagadinum vocatum antiſtat. A Judæis ſuccum Perſas accepiſſe inde veriſimile, quòd Perſarum Legati Carolo M. inter cæteras Orientis opes etiam opobalſamum attulerint, *Chronicon Sangallenſe l. II. c. 12.* Etiam Soldanus Friderico I. vas ſmaragdinum, plenum balſamo, miſit, *Compilat. Chronol. anno 1162.*

Nec enim, quod quidam volunt, plantæ illæ balſami poſt excidium Hieroſolymitanum proſus in Iudæa periere. Nam Scriptores illi, quos jam adduximus, pleriq; poſt illud excidium floruerunt, & tamen non modò aſſerunt, balſami hortos adhuc in Iudæa ſuo tempore cultos, ſed etiam ità dilatatos fuiſſe, ut tunc latiſſimi colles Romanis

nis balsama tulerint. Imò qui superiori adhuc & nostro seculo per Judæam peregrinati sunt, plantas balsami, quanquam rariores in planicie Hierichuntica observarunt. Quod autem Auctores jam laudati eas partim soli Judææ, partim Judææ & Ægypto adscribunt, nulla Arabiæ mentione facta, inde fieri censendum est, quod tunc temporis Arabicum opobalsamum nondum ita innotuerit, nec in alias terras eâ copiâ importatum inde fuerit. Incertũ enim, an illi Scriptores unquam viventem balsami plantam viderint, cùm ex aliorum relatione magis, quàm ex vera sententia hæc scripsisse videantur, ut censet *Alpinus Dialog. de balsamo c.3. & l. de plant. Ægypti c.14.* Proinde, ejusdem Alpini sententiâ, non tantùm errarunt, cùm balsamum in sola Judæa, aut Ægypto nasci scripserunt, sed etiam de frutice, succo, fructibus & virgis ejus sæpe falsa tradiderunt.

Tertia regio, quæ balsamum, sed tantum cultum, alit, Ægyptus est. Id ex ijs, quæ dicta sunt, satis liquet. *Avicenna l.II. Canonis c.* 84. in sola Aegypto ponit, inquiens: Balsamum est arbor Aegypti nascens in horto, qui dicitur oculus solis, tantùm. Sed unde balsamum in Aegyptum pervenit? Ex eadem Arabia. Id omnes illi confirmant, qui non tantum cum Auctoribus, supra adductis, scribunt, Arabiam balsami solum natale esse, sed etiam addunt, suo tempore, quo in Aegypto commorati sunt, plantas & succum balsami inde in Aegyptum invecta fuisse. Non tamen diffitemur, Aegyptios olim aliquas etiã plantas hujus arboris ex Judæa accepisse. Scribunt enim, Cleopatram, Aegypti reginam, potentiâ ac favore Antonij fretam, in contemtum Herodis, totum palmetum balsami ex monte Engaddi in Aegyptum transtulisse, relictis tantum ibi surculis quibusdam. Olim in universo mundi vinea balsami non nisi in Terra sancta, in loco qui dicitur Hierico, inveniebatur: procedente autem tempore ab Aegyptijs translata est in campum civitatis Aegyptiæ, quæ Babylonia nuncupatur, inquit *Jacob. de Vitr. Histor. Hieros. c.85.* Eadem repetunt *Borchardus Monachus Part. I. c. 7. §. 39. Bartholom. de Saligniaco Itin. Hieros. Tom. X. c. 6. & Martinus à Baumgart. l. II, c.11.*

Ex quo Aegyptij plantam balsami acceperunt, diligenter eandem diu coluerunt, & si quando successu temporum aut bellorum tempestatibus, aut colonorum incuriâ perijsset, novis surculis ex Arabia allatis hortum balsami instaurarunt. Illum in Aegypto adhuc anno CH. 1283. egregiè cultum, atq; ex parvo, sed ubere fonte irrigatum se vidisse testatur *Burchardus Monachus part. II. c. 4.* Vidit adhuc circa annum 1320, *Mar. Sanut. l. III. part. 14. c. 12.* Nec enim temere assentiendùm illis est, qui hoc tẽpore balsami arbores, atq; ipsarum succum, fructus & virgas reperiri negant, cùm Syriacum & Aegyptiacum balsamum prorsus perierit, ut *Hieronymus Card. de Subtil. l. IIX.* ubi addit, verum balsamum interijsse, suppositam verò ejus loco plantam aliam, incolarum ambitione vel avaritiâ. Et *Guido Pancirollus Part. I. Tit. 32.* Idem sentiunt *Amatꝰ Lusitanꝰ* Medicus & *Nic. Monard.* Hispanus, apud *Alpinũ, Dial. de balf. c.2.* His accedunt illi Aromatarij Romani qui anno 1639. verum balsamum orientale dari negabant, Quibus *Baldus Baldus*, Medicꝰ Romanus, quintuplicem Opobalsami Orientalis Propugnationem opposuit. Errori occasionem præbuerunt, qui scripserunt, se vidisse arbusta balsami in Aegypto prorsus interijsse. Ita *Martyr lib. III.* commemorat, se anno 1502, 14, Febr, locum omnem, Mataræam ab incolis appellatum perlustrasse, & deprehendisse, omnia arbusta preciosi istius liquoris radicitus interijsse, nec ullum ex eis extare vestigium. Nec dubitat *Cardanus l. dicto* ad hoc ipsum Martyris provocare testimonium. Ita *Mart. à Baumgart. l. I. c.20.* affirmat

affirmat, locum, ubi olim hortus balsami fuerit, sua ætate, i. e. anno 1507. ita vastatum fuisse, ut ne reliquiæ quidem ejus superfuerint. Nec verò falsò hæc illi prodiderunt. Per Ægyptiorum incuriam exaruisse virgulta balsami & alij viderunt. Sed ijdem damnum illud ex Arabia fœlici resarciri solere nos docuerunt. Quo tempore *Petrus Bellonius* Cayri erat, novem aut decem duntaxat frutices balsami in Materea se vidisse ait; sed addit, ex Arabia alios frutices eò deferri solitos, *lib. II. observat. cap. 39.* Etiam *Alpini* ætate plantæ illæ exaruerant, ut scribit *Dial. de balsamo c. 1. & 2.* Sed subjungit, innumeras diversis temporibus ex Arabia advectas, ibiq; insitas fuisse. Cumq; anno 1575. omnes perijssent, quadraginta alios frutices è Mecha advectos, ibidemq; plantatos esse; quibus post annum iterum custodum negligentiâ corruptis, jacturam facile ex Arabia denuo restitui potuisse. Idem repetit *lib. de plant. Ægypt. c. 14.* Asserit idem *Christoph. Fürerus ab Haimendorff in Itinerario, anno 1621. edito,* his verbis: Verum hortus, quem dixi, Balsamorum exigui admodùm splendoris est, raræq; in eo arbores, ut pote cui colendo parum curæ imponunt. Afferebantur tunc temporis Balsama aliquot ex urbe Mecha, quæ inserebant. Inde & *Auger. Busbequius Epist. IV.* scribit, se anno CH. 1562. vasculum vitreum plenum balsami, quod in hortis Mateærensibus Cayro propinquis natum sit, Constantinopoli ab Hally Bassa dono accepisse. Et, dari adhuc purissimum balsamum, experientiâ clarissimè probat contra Cardanum *Jul. C. Scaliger Exerc. CLVII.* Evincit idem auctoritate clarissimorum Medicorum, qui illud possederunt, *Baldus Baldus Propugnatione II. in Examine Opobalsami Orientalis.*

De balsamo Indico, seu Peruviano, quod fit per decoctionem frondium & ramorum, quodq; virtute sua prope accedere ad Orientale scribitur, agunt, *Jul. C. Scaliger ibid. Andreas Matthiolus in l. I. Dioscoridis c. XIIX. & l. V. Epist. 5. Prosp. Alpinus Dial. de balsamo, c. 4. Joh. Ludov. Gotfrid. Part. I. novi Orbis.* De balsamo Americano, quod in Brasilia ex læso cortice arboris Cabureiba, pendulis vasculis excipiunt, deq; ejus virtute *Gulielmus Piso de Medicin. Brasil. lib. IV. c. 5.* De illo, quod in Nicaragua provincia reperitur, *Hier. Benzo novi orbis lib. II. c. 16.* ubi plura in Notis *Urbanus Calveto.* De fonte balsami in insula Samatra *J. Hugo Lindschott de India Orientali c. 19.*

Ad hunc. u) Usq; ad hunc fontem Beata Virgo Maria cum Servatore nostro, Herode persequente, fugit, *Jac. de Vitr.*

fons ille. x) Hic est fons, ex quo balsami hortus irrigatus est, & ad quem Mater Dei cum puero Iesu furorem Herodis fugiens, delituisse dicitur. Inde apud Saracenos semper in magna veneratione fuit, ut scribunt *Vincent. Belluacens. Spec. Hist. l. XXXII. c. 58. & Mar. Sanutus l. III. part. 14. c. 12.* Durat adhuc superstitio Ægyptiorum circa hunc fontem, ut refert *Petr. Martyr Legat. Babyl. l. III.* Ea de causa Præfectus Ægypti singulis diebus Veneris locum el Mattharia nuncupatum devotionis gratia invisit, *Alpin. Dial de balsamo c. 2. & lib. de plant. Ægypt. c. 14.*

arbor. y) Eandem fabulam de arbore hac ijsdem pene verbis narrant *Vincent.*

& Sanu-

& Sanutus ibid. De eadem *Martyr lib. III. anno 1502.* ita: Tenent ibi & aliam ardentem perpetuo lampadem, funiculo trajecto illi arbori, quam sese aperuisse, transeuntiq; Jesu cessisse, populus credit, appensam; arboremq; ipsam reverenter observant, ficulneam: ipsi Pharaonis arborem appellant. Ea verò est, quæ à nostris sycomorus appellatur.

occidit. z) Notissima sunt, quæ de Crocodili natura, inprimis de insidijs ejus, quas hominibus & animantibus struit, Veteres tradidere, ut *Herodotus in Euterpe, c. LXIIX. & seqq. Aristoteles de hist. animal. l. II. c. 10. Diodorus Sic. l. I. Plinius l. IIX. c. 25. Solinus c. XXXV.* in quem addantur *Joannes Camers & Cl. Salmasius, Plutarch. de Iside & Osiride, Ælianus de animalibus* locis multis, inprimis *l. V. c. 23. & l. XII. c. 15. Ammianus l. XXII.* Camelum, equum, juvencam, & quodcunq; genus quadrupedis ei occurrit, cùm in terram famelicus exit crocodilus grandior, ictu caudæ adeo acriter ferit, ut illud, cruribus fractis, prosternat ac interimat. Tanta est enim illi caudæ vis, ut fregisse quatuor uno ictu grandioris animalis crura repertus sit aliquando, inquit *P. Martyr l. III.* Etiam catenas rumpere posse scribit *Joann. Boterus Relat. Univers. part. I. l. 3.* De Crocodilo, qui in Nilo, Nigro & Africæ desertis, *J. Leo Afric. l. IX. & P. Martyr loco jam laudato.* De illo, qui in Florida, Americæ regione, *Hieron. Benzo de exped. in Floridam c. 3. J. Lud. Godfr. in Descript. Novi orbis.* De illo, qui in Brasilia *Joann. Lerius Histor. Navig. in Brasiliam, c. 10. Guilielmus Piso de medicin. Brasil. l. III. Georgius Marcgravius Hist. Brasil. l. VI. c. 15. & Joannes de Laet l. V. Descript. Ind. Occident. c. 4.* De illo, qui in Gange & alijs Indiæ fluminibus *Ælian. de animal. l. XII. c. 41. Joh. Albrecht Mandelslo Itin. Ind. l. I. c. 8.* & ibi *Olearius in Notis.* De illo, qui in regno China *Martinus Martinius in Novo Atlante Chinæ, provinc. XIII. Quangsi.* Insidias, quas Crocodilus ab Ichneumone patitur, describunt *Oppianus* Κυνηγετικῶν *l. III. v. 407. & seqq. Plinius, Solinus & Ælianus, ib.* De Crocodili natura Hieroglyphicis expressa *Artemidorus in Oneirocrit. l. III. c. 11.* cui Κροκόδειλος πειρατὴν ἢ φονέα σημαίνει, *& Pier. Valerianus Hieroglyph. l. XXIX.*

nutriuntur. aa) i. e. excluduntur, vel procreantur, ut hac de re loquitur *Jacobus de Vitr. l. I. Histor. Orient. c. 88.*

pulli. bb) Ita est. Adsunt tot oculati testes. Ex plurimis *J. Leo Afric. l. IIX.* de Alcairi civium ritibus ac moribus ita scribit: Alij pullos gallinaceos venales certis mensuris vicatim emetiuntur, quos admirando enasci procurant in hunc modum artificio. Ingentem ovorum numerum certis imponunt furnis per diversa solaria exstructis, quibus modico igne calefactis, post diem septimum magna copia pulli enascuntur. Mensuræ porrò fundis carent, quas in emptoris sporta positas, pullisq; gallinaceis refertas, sublevant, pullis intra sportam remanentibus. Narrat idem *Mart. à Baumgart. l. II. c. 1. & Jul. C. Scaliger Exerc. XXIII.* Addatur *Paul. Jovius hist. sui temporis l. XIIX. Michael Maierus Hieroglyph. l. I.* Testantur idem ex nostris hominibus, qui à Turcis capti, in istis locis diu multumq; versati, ea-

dem oculis usurparunt. Ova in Ægypto citra incubitum, fimo obruta, excludi docent *Aristoteles l. VI. de hist. animal. c. 2.* & *Plinius l. X. c. 54.* Modum fovendi ova fimo, sine gallina, tradit *Hier. Cardanus l. XII.*

Æpyptus, cc) Ægyptum enim veteres hieroglyphicè descripturi, flagrantem pingebant acerram, & supernè cor: δηλοῦντες, ὅτι ὡς ἡ τοῦ ζηλοτύπου καρδία διὰ παντὸς πυροῦται, οὕτως ἡ Αἴγυπτος, ἐκ τῆς θερμότητος, διαπαντὸς ζωογονεῖ τὰ ἐν αὐτῇ τοῦ παρ' αὐτῇ ὑπάρχοντα, *Horus Apollo l. I. Hierogl. c. 22. Pierius Valer. l. XXXIV.*

strata, dd) strata pro via, passim apud istius ætatis scriptores. Strata publica, *Ailredus Abbas, p. 397.* Ipsa Padi stratam tenet &c. *Domnizo l. II. c. 3.*

Odevvinis, ee) Idumæis, *Jacob. de Vitriac.* Hi alijs Scriptoribus Beduini & Biduini appellantur, estq; eorum frequens apud illos, qui de rebus Syriacis aliquid memoriæ prodidere, mentio. Arabes esse, Soldano stipendijs militare, & viæ per illa deserta atq; arenosa loca duces esse commemorantur. Illorum ex Arabibus ortum, superstitionem, rationem pugnandi in hostes, morum levitatem, vestitum, tuguria, victum & pastum descripsit *Jacob. de Vitr. Hist. Hieros. c. 12.* Auctori *Histor. Hieros.* qui incipit ab anno 1177. dicuntur Bedevvini. Apud quem Saladinus multum gloriatur Bedevvinis suis, quos exercitui Friderici Imperatoris oppositurus sit. Meminit eorum & *Haythonus*, & egregiam Soldano operam in obsidendis urbibus præstare ait *c. 51.* Vide de ijsdem *Marinum Sanutū, Borchard. Mon. part. II. c. 2. §. 8. Bartholom. de Salignaco, Tom. IIX. c. 2. Raphael. Volaterr. Geograph. l. XI. de sectis Syriæ, Rein. Reinecc. in Haythonum.*

septuaginta, ff) *Jacob.* habet septuaginta duas, LXX. palmæ numerantur *Exod. XV, 27. Nū. XXXIII. 9.* De palmis *Theophrast. l. II. c. 8. & l. III. c. 5.* & ibi Commentatores *Scaliger, Rob. Constantinus Bodæus* & alij, *Tacitus Histor. l. V. c. 6. n. 3.*

tria milliaria, gg) *Jacobus* habet quatuor milliaria.

in rure, hh) in rupe. *Jacob.*

tabulum ligneam, ii) tabulam lapideam. *Jacob.* De eadem tabula & *Vincent. specul. Hist. l. XXXII. c. 66.*

balsami, kk) Libani. *Jacob.*

commissisq; solennitatibus, ll) Missarum solennitatibus, *Jacob.*

in assumptione. mm) in Assumptione & Nativitate, *Jacob. de Vitr. & Vinc. ib.*

cæremonialia. nn) ceremonias & oblationes, *Jacob.*

in honorem Virginis, & inde à quodā patriarcha Jerosolymā perducta fuit. oo) Hæc ex *MS. R.* addidimus. Vide varias Lectiones nostras, in fine libri. *Jacob. de Vitr.* ita; & à quodam Patriarcha Hierosolymitano in Hierusalē translata. *Vincent. a. ita:* Quam patriarcha tulit Hierusalem, & cuidam abbatissæ dedit. Locum hunc de Dei genetricis tabula miraculosa, Damascum translata, ex Auctore nostro transscribit *Baron. ad ann. 870. n. 63.* eumq; non parum commendat. Non tamen Arnoldus ipse, in Palæstina peregrinans, suis hæc omnia usurpavit oculis, ut *Baronius* addit, sed Gerhardus, Friderici Legatus se hæc vidisse scribit, cujus epistolam Arnoldus recitat.

Heissessim, pp) Assassini sunt; de quibus ad *l. III. c. 37. n. 11.* diximus. Hic pauca de origine, & excidio eorundem addemus. Inprimis belli sacri temporibus innotuerunt, istius

enim scriptores eos in Phœnicia tunc resedisse, & munitissima ibi loca tenuisse scribunt. Qui altius originem eorum repetunt, milites religiosos illos fuisse produnt, quorum ordo ab Arabe quodam, qui se Algaijdinum, hoc est, stimulum aut legis excitatorem nominârit, primum institutus sit, eundemq; doctrinam suam primùm in extremis Persiæ partibus sparsisse, eâq; populos, qui Assasceni dicuntur, quosq; *Arrianus de reb. gest. Alexandri M.* inter Indum & Cophen fluvios collocat, seduxisse. Post Algaijdini, sectæ fundatoris, mortem discipulos jam magno numero auctos, principem sibi elegisse, atq; illum Arabum more Xequen, h. e. Seniorem vocasse: deinde paulatim finibus suis egressos, tandem in Syria & quidem in Tyri provincia, seu Phœnicia consedisse, ibidemq; in altissimo atque inexpugnabili monte arce suo Principi, Tigadum dictam, collocasse, *Philipp. Honorius Thes. Polit. part. II. ex Ludovico Marmoreo.* Duravit ea gentis potentia usq; ad annum CH.clↄ CCLIIX. quo Haolonus, Tartarus, Mangonis Magni Tartarorum Chami frater, cum multis copijs ad Ottomanicum regnum evertendum missus, devicta tota Persiâ, Tigadum Assassinorum domicilium & munitionem, inexpugnabilem hactenus æstimatam, post triennij obsidionem vi cepit. Locus expugnatus solo æquatus est, & sceleratum hominum genus ita deletum, ut præter infame nomen de illo nihil supersit, *Haythonus Armeninus c. 24.* qui Tartaros XXVII. annos arcem obsedisse ait, *Paul. Venetus l. I. c. 28. & 29. Mar. Sanut. l. III. part. 12. c. 6. Antonius Geuffræus in descript. Aulæ Turc. l. III. Philipp. Honorius ibid.*

vocatur. qq) Post hanc vocem *MS. R.* addit: & in Romano degens demontanum *MS. L.* ita: & in Romano -- De montana.] Neuter sensum loco convenientem exhibet. *Jacob. de Vitriaco* ita: & alio nomine Veteres montani vocantur Rectè.

nisi quòd de peculio vivit rr) *Jacobus* ita: Terra ipsius non est multum fertilis: De peculio non habet.

miro modo, ss) Ita *MSS. L. B. R. & Jac. de Vitr.* Editum erat, uno momento.

cultellum aureum, tt) cultellum acutum, *Jacob.*

transmittit, uu) locus mutilus est, annotante etiam *R. Reineccio.* Sed quæ desunt, nec in *MSS.* leguntur.

CAPUT XI.

1. *Isfridus, Episcopus Raceburg. vitâ decedit.*
2. *Canonicorum nonnulli Henricum Præpositum, cæteri Philippum eligunt.*
3. *Adelbertus Comes Philippum Episcopum designat.*
4. *Ab Hartuico consecratur.*

IN tempore illo mortuus est beatæ memoriæ Isfridus, Racesburgensis Episcopus, vir magnæ patientiæ, summæ abstinentiæ & totus religionis cultibus deditus. Facta est autem dissensio inter Canonicos de electione, Episcopo nondum funerato. Pars enim convenerat in personam Domini Henrici ejusdem 1 2

ejusdem loci Præpositi, viri discreti, & omni honore dignissimi. Ipse sanè præposituram suam multum ampliaverat rebus, personis & ædificijs, & quod plus est, religionis honestate. Pars autem altera personam Domini Philip-
3 pi, Capellani Episcopi defuncti, sibi in Prælatum expetebat. Facta itaque controversia, tandem ipsa hoc ordine quievit commotio, ut partes tam electorum quàm eligentium arbitrio Comitis Adelberti se commiterent. Et ille accepta deliberatione, Philippum censuit ecclesiæ præponendum. Hæc autem ideo facta sunt, quia Dominus Waldemarus Rex in Suecia bellis oc-
4 cupatus erat. Quid plura? Philippus investitus Bremam se transtulit, & à Domino Hartuico Archiepiscopo benedictionem pontificalem accepit. Sicque consecratis ecclesijs, & ordinatis quibusdam causis in sua diœcesi, ad Episcopum Traiectensem se contulit, ibique per annum consistens, Domino regi Waldemaro se non exhibuit. Unde suspectus factus est regi, & tandem Comite mediante vix gratiam inuenit.

CAPUT XII.

1. *Hartuicus II. Archiep. Brem. rebus humanis excedit. - - 1207.*
2. *Bremenses Waldemarum, Slesvicensem quondam Episcopum, eligunt.*
3. *Burchardus, Præpositus, & Hamburgenses contradicunt.*
4. *Waldemarus à Papa confirmationem petit.*
5. *Hamburgensium & Regis legati caussam ejus apud Papam impediunt.*
6. *Waldemarus ope Philippi Imperatoris Bremam mittitur.*
7. *Papa Waldemaro sacris interdicit.*
8. *In conferta turba sacra munera offerentium, interdictionem scriptam aliquis in altari ponit.*

1 POst aliqvot annos Dominus Hartuicus, suprà memoratus Bremensis Ar-
2 chiepiscopus, vita excessit. Et cùm eo adhuc vivente ecclesia illa satis concussa fuerit, nunc majores & graviores commotiones exortæ sunt. Siquidem eadem Ecclesia, colloquio celebrato, Dominum Waldemarum, Slesuicensem Episcopum, qui tunc à captivitate suprà dicta solutus erat, & in Bononia consistebat, unanimi consensu, & conuenientia cleri & populi, ho-
3 nore episcopali sibi decrevit præferendum. Fuerunt tamen, qui huic electioni non libenter intererant, ideoquè non reclamando sed elongando se absentaverunt, Burchardus videlicet Præpositus cum quibusdam suis fautoribus. Hammenburgenses autem canonici propter regem Waldemarum, qui ipsam civitatem tenebat, suspecti in hac electione fuerant, ideoque præter eos celebrata est. Qui videntes se suspectos, graviter huic electioni contradicebant, dicen-

dicentes,suam ecclesiam matrem ecclesiarum quandoque fuisse,& ideo potissimum primam vocem in electione se habituros. Bremenses tamen,missis legatis honoratis tam de clero quàm de ministerialibus,Domino Waldemaro Bononiæ constituto ipsam electionem canonicè factam insinuaverunt. Qui acceptis socijs, cum ijsdem suis electoribus & testimonio Bremensis ec- 4
clesiæ Domino Apostolico se exhibuit. Qui gavisus est,& electum Bremensem cum gaudio suscepit,simul etiam congratulans,quòd post multas importunitates ad hunc apicem eum Dominus promovere sit dignatus. Nec tamen ad præsens ejus promotionem executus est, donec verius ipsius cognosceret electionem. Ipso igitur in curia morante,venerunt legati Hammenburgen- 5
sium,electioni Waldemari reclamantes, & ipsam minus canonicam probantes. Venit etiam legatus Waldemari Regis, Petrus videlicet,Roschildensis Præpositus,sine instrumentis tamen,quia sibi in via violenter ablata affirmabat,electionem prædictam omnino evacuans,commonere faciens Dominum Apostolicum jurisiurandi à Waldemaro præstiti,quòd nunquam in tali loco obligaretur,ubi Waldemaro regi gravis esse putaretur. His ergo auditis, Dominus Apostolicus Waldemarum per aliquot dies detinuit, quousque deliberaret,quid de ipso Cardinalium consilio ordinaret. Waldemarus autem 6
videns se in arcto positum,non licentiatus abscedens,ad Philippum regem se transtulit, quem ille cum honore Bremam misit, qui exultantes & tripudiantes,eum honestissimè susceperunt. Apostolicus autem missis epistolis ad o- 7
mnes ecclesias Germaniæ & Galliæ, Waldemarum inobœdientem districtè excommunicavit. Bremenses tamen hoc ad tempus ignorabant: quia litte- 8
ras Apostolici nemo eis porrigere præsumebat, donec in quadam missa publica à quodam,quasi cum cæteris offerente,in altari positæ sunt.

CAPUT XIII.

1. *Rex exercitum in agrum Bremensem immittit.* - - - 1207.
2. *Comitum Suerinensium terras etiam per Albertum Orlamundanum vastat.*
3. *Burchardus à Rege ἀντιεπίσκοπος creatur.*
4. *Idem Hamburgum & Stadam occupat.*
5. *Waldemarus Episcopus Stadam iterum expugnat.*
5. *Burchardus denuò illam capit.*
7. *Waldemarus Rex Hornburgum pro Burchardo Episcopo munit.*

REx autem Waldemarus audito introitu cognati Waldemari Episcopi, 1
cum multitudine gravi terram intravit,exercitu videlicet equestri & navali,impedire eum volens,vel,si posset,alium ei substituere. Guerram quo- 2

que habens contra Guncelinum, Comitem de Suerin, & fratrem ejus Henricum, qui eum offenderant, ejecto de terra Ioanne, qui cognominatur Gans, cujus castrum Grabbow violenter abstulerant, misso exercitu per manus Alberti, Comitis Nordalbingiæ, quem terræ præfecerat, primò Boyceneburg, castrum ipsorum, dirui fecit, deinde omnem terram Suerinensem irrecuperabiliter vastavit. Waldemarus verò Episcopus impetere terminos Regis disposuit. Cumque bellum inter eos parturiret, ipsius propositum occasioni-
3 bus variis impeditum est. Burcardus sanè major Præpositus ad Archiepiscopatum aspirans, quosdam habens electores de Hammenburg vel etiam de
4 Brema ad regem venit, & ab eo investituram Pontificalem accepit. Cumque potitus fuisset Hamburg, per quosdam amicos Regis Stadium occupavit. Ad quod veniens Waldemarus Bremensis, adhuc latentibus insidijs, illud intra-
5 re volebat: sed pars adversa firmatis portis eum non recipiebat. Quod intelligens, convocatis amicis de Episcopatu Bremensi, civitatem obsedit, & ipsam violenter obtinens, omnia quæ intus erant, suis exercitibus consignavit:
6 qui præda maxima omnia vastantes, ipsam quasi vacuam reliquerunt. Rursus tamen pars Burcardi electi invaluit, & capto Stadio illic liberius habitare
7 cœpit. Porrò rex Waldemarus pontem ultra Albiam sterni fecit, ita ut plaustra & equites liberè transirent. Et infusus partibus Bremensium per suos, ad supplementum sui electi castrum Horneburg firmissimè ædificavit.

CAPUT XIV.

1. Philippus exercitum contrahit. 1208.
2. Otho & Waldemarus se ex adversa parte parant.
3. Philippus filiam Ottoni, Palatino Rheni de Wittelsbach, denegat, quam antè ei desponderat.
4. Otho Palatinus à Philippo petit, ut literis commendatitiis ad Ducem Poloniæ subscribat.
5. Philippus argumentum literarum mutat.
6. Otho eo cognito Regis cædem meditatur.
7. Philippum in lecto decumbentem occidit. - - - - - - 1208.
8. Philippo propter crudele Othonis ingenium sensum literarum immutaverat.
9. Verè regiis virtutibus ornatus fuit.
10. Philippi conjunx tristi cædis nuncio accepto partui vicina moritur.

1 INterea Philippus rex contra Othonem regem vel etiam Waldemarum regem venire disposuit. Et contracto innumero exercitu de omni Imperio, ubi aderant innumeri de Ungarorum finibus, contrahens secum auxilia pessimorum, qui dicuntur Value, cum innumera virtute balistarum, & omni genere

genere armorum, consistebat in Bauenberg, coadunationes exercituum expectans. Hoc intelligens Rex Otho, quem tantæ machinationes non latebant, cœpit innumeris victualibus & armis communire civitates & castra, & contra tantos insultus verè imperterritus se præparare. Nec defuit rex Waldemarus, in manu militari, vel etiam impensis thesaurorum ei subveniendo, sciens si contritum fuisset cornu dextrum, ipsum procul dubio expectare sinistrum. Sed Deus miserator & misericors ille motus de diutina concussione ecclesiæ, quam peccatis exigentibus exceperat, vel etiam tactus suspirijs & precibus suorum fidelium, tandem his cladibus finem facere dignatus est hoc modo. Cùm Philippus, ut præmissum est, quietus consisteret in Bauenberg, expectans coadunationem expeditorum, repente miserabilis & inopinata commotio inter ipsum & Palatinum Othonem de Widelingsbach exorta est. Quam minimè silentio prætereundam putamus. Sanè Philippus rex filiam (a) suam Othoni, utpote nobili viro, desponsare decreverat. Sed quia idem Otho nimis erat crudelis & inhumanus, mutata voluntate propositum desponsationis mutaverat. Quod intelligens Otho Palatinus, pro filia Henrici, Ducis Poloniæ, laborabat, dixitq; Philippo Regi: Domine, meminisse volumus clementiam vestram, quàm devotus vobis semper fuerim, & quanta in servitio vestro in præsenti guerra expenderim, & quanto apparatu nunc contra adversarios vestros vobiscum procedere decreverim. Ideo peto, ut nunc in modico pro me sitis, & litteras commendaticias Domino Duci Poloniæ dirigatis, ut cœptum bene inchoatum, pactum videlicet desponsationis, vestra mediante majestate melius consummetur. Cui Rex: Id quàm devotus faciam. Et ille gavisus, obtulit litteras de instanti negotio ordinatas. Et Rex: Vade, ait, & post modicum revertere, & invenies litteras bullatas. Illo abeunte, mutatæ sunt litteræ in contrarium, & signatæ bulla regia. Cumque Palatinus litteras accepisset, perspexit in schedula maculam quandam exteriorem, sicque concepit suspicionem, veniensque ad suum quendam familiarē: Aperi, inquit, mihi litteras, ut earum sciam tenorem. Qui perspectis litteris expavit, dicens: Rogo, ut Dei intuitu litteras me vobis exponere non arctetis: quia nihil aliud nisi mortem mihi imminere video, si eas exposuero. Sicque acceptis litteris Palatinus alteri nimis importunè insistebat, & ita tenorem ipsarum cognoscebat. Unde graviter efferatus, nihil nisi mortem Regis animo versabat. Dissimulata tamen ira, ad Philippum quasi jucundans & congratulans intrabat. Una (b) igitur dierum Philippo secretius in cubiculo consistente, quia medianam in utroq; brachio inciderat, Palatinus nudo gladio in atrio regali quasi ludens incedebat. Sicque accedens ad cubiculum Regis

2 (margin, line 2) · 3 (line "hoc modo") · 4 · 5 · 6 · 7

ostium clanculò pulsabat, & ingressus simili modo coram Rege se gerebat.
Cui Rex: Depone, ait, gladium: quia non est his locus modò. Et ille: Imò
est locus, ut tu perfidiam tuam luas. Et statim uno ictu cervicem ejus tetigit,
nec secundum vulnus apposuit. Cumq; qui aderant, eum impetere vellent,
8 ille aperto ostio violenter exiliens, fugam dedit. Philippus tamen non sine
ratione litteras mutaverat: quia puella, quam Otho desponsare cupiebat, con-
sanguinitate Philippum ex matre contingebat. Ideoque Regi displicebat,
ut vir tam crudelis & impius & imprudens tam nobili virgini jungeretur. I-
dem quoque Palatinus crudelitate nimia quendam de melioribus terræ,
Wolff nomine, occiderat: unde graviter Philippum offenderat. Ipsius ta-
men regnum cessavit tali facta consummatione, quam consummationem cui-
dam spirituali viro in Racesburg per visionem manifestare Deus dignatus
fuit his verbis: Anno M. C C. V I I I. erit consummatio. Quæ quidem con-
summatio ignota fuit, sed circa festum B. Ioannis Baptistæ ipso anno tali mo-
do impleta est. Fuere tamen quidam viri nominati, qui de tali facto nimis
suspecti sunt habiti, Episcopus videlicet ipsius civitatis, cum aliis multis, qui-
9 bus traditio Regis imposita est. Ceciditque vir nobilis & potens, multis ad-
ornatus virtutibus. Erat enim vir mansuetus & humilis & admodum affabilis.
Et quia litteratus erat, divina devotus valde frequentabat. Et cùm in ecclesia
inter alios lectiones vel responsoria recitaret, clericos sive scholares paupe-
res à se non removebat, sed quasi conscholasticos eos habebat. De cujus ta-
men morte turbata est terra: fit mœror omnium, una voce plangentium, heu,
heu cecidit princeps noster, cessavit gloria nostra, versus est in luctum chorus
noster, imperium à nobis translatum est, & regnum alterius gentis factum est.
Coadunatis tamen Principibus sive nobilibus funus regium solennibus exe-
10 quijs & fastu nimio in civitate Bavenberg tumulatum est. Regina autem au-
dito tam tristi nuncio, contabuit, & quia prægnans erat, gemino dolore ad
mortem usq; afflicta est:

Morte viri pressa, nimióq; gravamine torta
Prolis, sicq; duo vita privantur in uno.

Sed dum his intendo, repentè de incertitudine hujus vitæ ad memoriam ve-
nit illud Poetæ:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

Nam qui dispensat labentia secula, pensat
Virtutum mores, qui pravi, qui meliores:

Exal-

Exaltans humiles, ponit de sede potentes.
Vsu ne vili solio dominentur herili.
An non audisti? quod ait sapientia Christi:
Tu qui terrarum regis orbem, dilige rectum.
En vir tantarum possessor divitiarum,
Est subito raptus, tenui vix vulnere tactus,
Et mox majestas cessat, genus atq; potestas,
Et manus horrenda, virtus etiam metuenda.
Quam bene psalmista sensit, qui praecinit ista:
Vana salus hominis: non ergo sit tibi finis
Spes thesaurorum, quia nullus fructus eorum.
Pervigili cura coelestia praemia cura,
Quae Christus gratis tribuet dono pietatis.

filiam. a) Aliam parricidij causam alia Chronica inculcant. Nam *Augustense*, quod *Marq. Freherus* edidit, hanc ad ann. 1197. adfert: Hic (Philippus) cum adhuc in regio sublimatus non fuisset, promiserat ducere matrimonialiter filiam Ottonis Palatini Comitis de Witeleinspach, quam postmodum repudiavit. Unde idem Comes commotus, accessit in Bamberch ad cameram ipsius Regis, tanquam ei solus pacifice locuturus, & gladio, quem occulte gestabat, ipsum Regem subito interfecit. Eadem causa in *Annalibus Henrici Steronis anno* 1197. adducitur.

Filiam Philippi *Conradus de Fabaria cap.* 7. vocat Beatricem, eamq; Regi Hispaniae datam ait. Sed fallitur. Res ita se habet: Kunigundis, filiola Philippi, primum Othoni Wittelsbachio pacta erat. Quem cum ob caedem in Bavaria patratā infamem audivisset, indignum judicans homicidam filiae nuptijs, eam Wenceslao, Premislai, Boemiae Regis, filiolo despondit, *Joann. Dubrav. l. XV. Thomas Jordan. in Notis.*

Otto parricida eodem anno ab Henrico de Kalenthin, Mareschalco Imperij, prope Danubium in villa Monachorum de Evera occisus, & caput in Danubium abjectum est. *Godefrid. Monach. h. a. Chronicon Augustense anno* 1209. Scilicet, per quae quis peccat, per eadem punitur; quod exemplis confirmat *Mich. Piccartus Decad. IX. c. 4.*

Una. b) Caedes anno 1208. X. Kal. Jul. patrata. Otto socios in Philippum conspirationis, & adjutores caedis habebat Egbertum Episcopum Bambergensem, & hujus fratrem Henricum Marchionem de Andersches; quorum milites sub tempus homicidij circa fores regij cubiculi collocabat, *Johann. Nauclerus gener. XLI. anno 1208.* Addatur *Conrad. de Fabaria, Chronicon Elwangense, & Abbas Ursperg. de bellis Philippi.*

CAPUT XV.

1. *Casu Philippi cadit & auctoritas Waldemari Episcopi.*

2. Otho adversarios quosdam bello petiturus monitu quorundam Principum revocatur à proposito.
3. Halberstadij ab Imperij Principibus eligitur. - - - - 1208.
4. Otho, Episcopus Würtzburgensis, de damnis, ecclesiæ suæ à Philippo illatis, conqueritur.

1 IGitur mortuo rege Philippo, omnes qui per eum stare videbantur, infirmati ceciderunt. Unde contigit Waldemarum Bremensem electum minus à suis acceptum. Timebant sanè offensam futuri Principis, vel excommuni-
2 cationem Apostolici, quæ eis tunc innotuerat. Rex autem Otho videns datam opportunitatem, quosdam de suis æmulis bello impetere cogitabat. Ad quem accedens Archiepiscopus Magdeburgensis unà cum Duce Bernhardo sic ei locuti sunt: Non suademus, ut aliquem impetum præsumtuosè faciatis, ne aliqua (a) commotio contra vos fiat, sed magis ex dispensatione Principum curiale colloquium statuatis, ut ibi de electione Regis unanimiter tractetur. Si complacuerit Domino in nostra persona, gratum habebimus; sin aliud, &
3 hoc audiemus. Quod cùm complacuisset, indicta est curia satis famosa in Halberstad, ubi convenerat maxima pars Prælatorum & Principum Saxoniæ & Turingiæ, nec defuit Herbipolensis electus Otho. Omnes igitur Principes qui convenerant, ac si divinitus inspirati, pari voto & unanimi consensu Othonem in Romanum Principem & semper Augustum elegerunt, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Archiepiscopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente verò Bernhardo Duce cum Marchione Mysnensi & Landgrafio Turingiæ cum alijs, ad quos electio Regis pertinere
4 videbatur. Cùm autem perventum fuisset ad electum memoratum, conqueri cœpit in conspectu principum, ecclesiam suam damnificatam à Philippo rege, & ejus prædecessore Henrico Imperatore, quovis anno ad mille marcas, pro qua etiam injuria Conradus, ipsius prædecessor, dolosè occisus est, & nisi eadem injuria mutaretur, ut ecclesia indemnis maneret, ipse huic electioni se consensum non præbere affirmabat. Cumque hinc inde multa allegarentur, ipse de collegio exiens, discessit. Altero tamen die revocatus electioni principum acquievit, quorum unà cum Rege ordinatione ecclesiam suam recepit.

ne aliqua. a) Scilicet in omni re non modò quid agendum, sed etiam quod agitur, an præsentibus congruat temporibus respiciendum est, *Scipio Amiratus lib. XVI. discurs. 2. Ludovic. Septalius de rat. Stat. lib. II. cap. 19. & c. 21.* Inprimis Principi circa regni primordia dissimulandæ injuriæ, exemplo Saulis, *I. Sam.*

I. Sam. X. v. 27. & Ludovici XII. Galliarum Regis, qui cum ab aulicis suis incitaretur ad vindictam in Ludovicum Trimovillium, quem devicerat, & in pugna ad fanum sancti Albini ceperat, illos præclaro hoc dicto à se reijciebat: Parum decorum esse Regi Gallico, injurias Aureliorum Duci illatas ulcisci, *Arnoldus Ferronus l. III. in Ludovico XII. Johannes Serranus in historia Franciæ de Ludovico XII.*

CAPUT XVI.

EXinde alia curia magis famosa indicta est in Franckenvorde in festo B. Martini. Ubi cum magna solennitate & ingenti numerositate occurrerunt Domino Regi Principes Franconiæ, Bavariæ, Sueviæ. Aderat ibi Beatrix, filia Philippi regis, cum suis submittens se gratiæ Domini Regis, quam produxit Dominus Spirensis. Quæ elevata voce, cum gemitu & suspirijs & lachrymis multis conquesta est Domino Regi & Principibus præsentibus, & in commune toti orbi Romano de impia morte patris sui, & de impia conspiratione Othonis Palatini, qui eum insidiosè, nihil tale suspicantem, in propria domo occidit. Cùm hæc dicerentur, facta est pressura magna coram Rege condolentium querimoniis reginæ, qui omnes obortis lachrymis tantam miseriam deflebant, & justitiam reginæ fieri postulabant. Clamabant sanè, si scelus perpetratum inultum maneret, quòd neque Rex neque quilibet Principum securè vivere posset. Ad voluntatem igitur omnium Dominus Rex proscriptione (a) publica damnavit homicidam illum, quem tamen postea Henricus Caletinus cum filio Wolff, suprà memorati, quem idem occiderat, occidit, caputque resectum in Danubium projecit. Rex igitur reginam adolescentulam in sua procuratione suscepit, quam etiam ad petitionem Principum pro bono pacis, si tamen id pro linea consanguinitatis fieri posset, uxorem ducere spopondit. Suscepit igitur eam cum patrimonijs & divitijs multis & trecentis quinquaginta castris. Ibi etiam repræsentata sunt Domino Regi omnia Imperialia cum plenitudine potestatis & honoris & benevolentia favoris.

pro-

proscriptione, a) Ita quondam Vitellius omnes, qui præmia pro cæde Galbæ, quasi ob aliquam notabilem illa die operam, poscebant, conquiri & interfici jussit, non honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem, *Tacit. Histor. l.I.c.44.* Debet videlicet Princeps illius, in cujus locum successit, memoriam, si non propter ipsius merita, at saltem propter seipsum, honore prosequi, ne quisquam ejus exemplo principem contemnere discat. Videatur *Scipio Amiratus l. XVII. discurs. 7.*

CAPUT XVII.

1. *Conquiescunt jam Ottonis subsannatores, & inter hos Rex Galliæ.*
2. *Rex Galliæ Othoni dixerat, nunquam futurum esse, ut ipse imperet.*

1 ORta est autem nova lux (a) in orbe Romano, jucunditas pacis & securitas quietis, & cessavit subsannatio (b) & insultatio multorum, qui Othonem affirmabant nunquam regnaturum. Quid dixerim de nobili rege Fran-
2 ciæ? qui nec cum alijs à subsannatione temperavit. Cùm enim Otho à Principibus de Pictavio ad regalem electionem vocaretur, & conductu regis memorati Franciam transiret, ipse eum transeuntem vidit & salutavit, & inter collationes, quibus se mutuò salutabant, Rex Franciæ in hæc verba prorupit: Intelleximus, ait, quòd ad Imperium Romanum vocemini. Ad hæc ille: Verum est, ait, quod audistis: sed in Deo sit iter meum. Cui Rex: Non credatis, quòd tanta vobis proveniat dignitas. Quòd si vel sola Saxonia in personam vestram consenserit, detis mihi nunc dextrarium, quem peto, & cùm creatus fueritis, dabo vobis tres civitates meliores regni mei, Parisium, Stampes, Aurelianum. Habebat sanè Rex Otho munera multa regis Angliæ, avunculi sui, Richardi, & centum quinquaginta millia marcarum, quæ in somarijs ferebant quinquaginta dextrarij. Inter quos erat unus nominatior, quem Rex petebat. Dominus ergo Otho, dato dextrario, ibat via, qua cœperat. Nunc ergo non sit iniuria, Dominum Imperatorem repetere sua.

---

lux, a) Ita & *Auctor Fragmenti Historici apud Urstisium* anno cIↄ CCXI. Omni tempore Ottonis per totum regnum Alemanniæ summa pax & securitas fuit, ita ut omnes mirarentur, quòd etiam in absentia ejus, dum esset in Sicilia, tanta pax esse potuit in terra. Adde *Krantz. Sax. l. VII. c. 29.* Vapulat tamen optimus Imperator à *Conrado, Abbate Urspergensi*, atq; ab illo superbus & stultus appellatur, qui simulaverit zelum justitiæ, cum potius ageret superbè, & tandem regno propter superbiam pulsus sit. Ab *Urspergensi* decepti sunt alij, qui ex ipso

cum

idem exscripsere, ut *Joannes Cuspinianus*, qui multa inclementer in illum dicit. *Sebastianus Münsterus Cosmograph. lib. III. c. 19. & Horatius Tursellinus l. IIX. epitom. Histor.* Sed opposuit his criminationibus solidam *Apologiam CL. Henricus Meibomius*; quæ cùm extet, ad eam lectorem remittimus.

subsannatio. b) Non licere Principes maledictis insectari, fusè tractat *Petrus Andreas Canonherius Dissert. Polit. in Tacit. l. I.* Si tamen Principes vulgi obtrectationibus petantur, generoso animo illas eis negligendas esse, docet *Scipio Amiratus l III. disc. 7.*

rege. c) Inter caussas, quæ Philippo, Galliarum Regi, Guelphicam domum perquam invisam reddebant, & illa erat, quod ipsi unicam Conradi Comitis Palatini filiam, paternarum ditionum hæredem, expetenti, Henricus, Leonis primogenitus, eam præripuisset; de quibus nuptijs supra *l. IV. c. 20.* Inprimis verò Gallus odium suum adversus Othonem declaravit, cùm cognito, Imperatorem à Romano Pontifice diris innodatum, atq; à socijs, Rege Bohemiæ, Langravio Thuringiæ & cæteris desertum esse, suasit, ut Electores Fridericum II, Siciliæ Regem, Romanum Regem declararent. Philippus enim Franciæ Rex Othonem, Johannis Regis Angliæ ex sorore nepotem, debilitari, ac potentatu deijci exoptabat, inquit *Blondus Flavius hist. ab inclinat. Rom. Imper. Dec. II. l. 6.*

Non. d) Satis mordax quidem hæc Regis ad Othonem, jam à Principibus electum atq; è Gallia in Germaniam properantem, oratio est, ut etiam *Monachus S. Justinæ Paduanæ* ab Urstisio Tom. I. editus, putet, illam in caussa esse, quod postea Otho se bello illi, quod Johannes Angliæ Rex contra Gallum gerebat, se immiscuerit, cum inquit: Caussa verò hujus prælij dicitur fuisse, quòd Imperator dicebat, Regem Franciæ liberaliter promisisse civitatem sibi Parisios daturum, si Otto unquam Romanum Imperium obtineret. Sed longè graviores indignationis adversus Philippũ caussas referunt, qui bellum illud descripserunt, *Rogerus ab Hoveden, Matthæus Paris*, & alij, quæ apud illos legantur.

CAPUT XVIII.

1. *Otho Imp. Aldenburgi in Misnia Comitia agit.* - - - 1209.
2. *Brunsuici d. festum Pentecostes celebrat; cui Episcopi & Principes adsunt.*
3. *Marchio Misnensis sacris interesse prohibetur.*
4. *Bernhardi Ducis ad Leonem fusilem festivum dictum.*

Sequenti anno indicta est curia in Aldenburg, quæ alio nomine Plisne nuncupatur, ubi etiam ingens patrimonium Imperator possedit Comitis Rabbodonis cum castro Leisnick & Colditz, quod Fridericus Imperator quingentis marcis à Comite memorato comparavit. Illuc convenerunt Mysnenses & Cisnenses, Poloni quoq;, Bojemi & Ungari, ibiq; multis negocijs determinatis & pace jurata, quæ in omnibus curijs præcedentibus firmata est, do-

minus Rex faciem suam convertit Brunswich, ubi festum Pentecosten solenni-
2 ter celebravit. Ad quod rex amicos tantū familiares adesse voluit, Archiepiscopum videlicet Magdeburgensem, Halverstadensem electum, Hildensemensem Episcopum, Merseburgensem Episcopum, Havelbergensem Episcopum, Corbeiensem Abbatem, Wertinensem Abbatem. Aderat quoq; totus festinus Dux Bernhardus, Landgravius, Palatinus Comes Rheni, Misnensis Marchio, Conradus Marchio, Wilhelmus Dux Luneburgensis, qui erat frater Regis Ottonis, Marchio de Brandenborch. Comitum verò non erat numerus, militum plurima multitudo, quibus omnibus honestissimè & abundantissimè
3 de impensa regia administratum est. In sancta verò die missa inchoata dominus archiepiscopus Magdeburgensis Meisneansem Marchionem pro nota excommunicationis divinis interesse noluit. Quem cum Dominus Rex à suo proposito nullo modo revocare potuisset, Marchionis consulens verecundiæ, cum ipso ecclesiam exivit. Sequenti verò die consilio Principum satisfactione à Marchione promissa controversia illa sopita est. unde versus:

Nec peccasse puto, dum misceo seria ludo.
quia
Non satis est pulcra esse poemata, dulcia sunto.

4 Cum igitur omnium lætitia abundaret, Bernhardus Dux intuitus Leonem fusilem, qui à Duce Henrico ibi sublimatus est, ait: Quousq; hiatum vertis ad Orientem? Desine, jam habes quod voluisti, convertere nunc ad Aquilonem. His verbis omnes in risum convertit, non tamen sine admiratione multorum, qui hoc dictum altius intelligebant.

CAPUT XIX.

1. *Otho Würtzburgum procedit, 1209.*
2. *Hic in frequenti conventu res Imperij ordinat.*
3. *Episcopis, Principibus & Jureconsultis causam de ducenda Philippi filia deliberandam proponit.*
4. *Fratrem collegio consultantium interesse non vult.*
5. *Episcopi &c. respondent, licitum esse matrimonium.*
6. *Duo cœnobia illum ædificare jubent.*
7. *Ipse Philippi filiam dato annulo sibi despondet.*

1 Finita autem festivitate Rex abijt Goslariam, & ordinatis ibi quibusdam negocijs processit Walkenrede, ubi invenit Abbatem de Morimunde, cum alijs quinquaginta duobus abbatibus sui ordinis, qui eum omnes suæ fraternitatis socium & orationis fecerunt, & sic Regem secuti sunt, ab ipso largiter procurati; usq; Herbipolin, ubi cum maxima solennitate susceptus est Dominicâ, Domine in tua misericordia, cum hymnis & laudibus Dei. Cantus autem hic
2 erat: Advenisti desiderabilis. Aderant ibi legati Domini Apostolici, Hugo Hostiensis

ftienfisCardinalis&Epifcopus,LeoSabienfisCardinalis &Epifcopus cum maxima copia Prælatorum & Principum, facerdotum & clericorum. Inter quos (a) erat Archiepifcopus Moguntinus(b) Sigfridus, Colonienfis Thidericus, Treverenfis Iohannes,SalceburgenfisEberhardus,ArgentinusHenricus,Auguftienfis Sigfridus,Conftantienfis Wernerus,deFrifingeEpifcopusOtto,PatavienfisManagoldus,RatisbonenfisHenricus,BafilienfisLudolphꝰ,Hildenfemenfis Hartbertꝰ,Verdenfis Ifo,HalberftadenfisFridericꝰ,Havelbergenfis Sibotho,AbbasConoElewangenfis,Abbas Vuldenfis,Herfeveldenfis,Corbeienfis,Prumienfis,Wircenburgenfis.Hos fequuntur nomina regũ five principum:Odackerus(c)rexBœmiæ,Marchio deMereren,LuppoldusDux Auftrię, BernhardusDuxSaxoniæ,LodewicusDuxBavariæ,DuxBertoldꝰ de Zeringe, Dux de Lutringe, Dux Brabantiæ,Marchio Misnenfis,Conradus Marchio de Landesberge,MarchioAdelbertus deBrandenburg & alij quamplures.Ordinatis igitur ibi multis negocijs & firmata pace,ficut in omnibus curijs fupradictis,Dominus Rex pro fpeciali negocio affumptis tantùmCardinalibus,Prælatis&Principibus facerdotibus cum literatis&legis peritis de legitimanda ei filia PhilippiRegis fic omnibus generaliter exorfus eft:Rogamus omnes vos inDomino,primoCardinales,qui de auctoritate five confilioDominiApoftolici adeftis,fum̃os etiã Archiepifcopos,Epifcopos,Abbates&alios quos ecclefiafticus ordo diverfis gradibus diftinguit:excellentiam quoq; Regum,Ducum Principum,ut verba noftra attendatis:Deꝰ cœli poft multas adverfitates cum beneplacito omnium regnum nobis donavit,ita ut non immerito cum gratiarum actione ei dicere poffimus, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eft nobis in caput anguli. A Domino factum eft iftud,& eft mirabile in oculis noftris. Quod cum luce clarius conftet omnibus, & optio nobis non defit de illuftriffimis fœminis,quas habet orbis Romanus, è quibus fponfam five conjugem eligere poffimus, tamen quia tam celebris conventus pendet de articulo filiæ Philippi Ducis Sueviæ,quam noftram confanguineam nemo dubitat,veftro nos fubmittimus arbitrio,five confilio,ut juxta falutem animarum veftrarum fincerè deliberetis,omni fcrupulo poftpofito favoris five timoris,quid nobis fuper hoc fit faciendũ. Si enim fex millibus annorum victuri effemus,magis omni tempore cœlibem eligeremus ducere vitam,quàm cum animæ periculo fortiri uxorem. Nemo gloriam,generofitatem,divitias,caftra hujus virginis attendat:quæ omnia faluti animæ æquiparari non poffunt. Hæc enim omnia nobifcum funt.Si verò ipfa caftraCCCL.diftribuantur fororibus,quas hęc contingit hęreditas,parũ eft quod reftat.Nunc igitur,ut dictũ eft,fuper hoc deliberetis,ut cõgruũ nobis refponfum reddatis.Omnibꝰ igitur

ad colloquium locum dantibus, Rex ait fratri Henrico Palatino, qui à dextris
ejus erat. Volumus ut cedas, ne quem tua præsentia de ulla suspicione terre-
5 at. Facta igitur longa deliberatione tandem ad Dominum Regem reversi
sunt. Posuerant autem verba in ore Luppoldi, Ducis Austriæ, viri facundissi-
mi & literati, qui sic coram Rege locutus est: Domine Rex, placet ut audiatis
responsum Cardinalium, Prælatorum & Principum? Ad hæc Rex: Audio. Et
ille: Noverit sublimitas vestra, quòd iste tam celebris conventus Cardinali-
um, autoritatem Domini Papæ præferentium, summorum Prælatorum &
Principum & omnium literatorum omnino vobis decrevit expedire, pro bo-
no pacis & statu Romani orbis, ut virginem, de qua mentio habetur, uxorem
6 ducatis: hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio, duas congregationes
monachorum præclaras liberrimè construatis. Nos quoque vobis non deeri-
mus facultates & eleemosynas largè erogando: sacerdotes etiam, sive alii in-
7 ferioris ordinis in missis & orationibus subveniendo. Ad hæc Rex: Nos con-
silium sanum & bonum tantæ autoritatis non refragantes vestris acquiesci-
mus dictis. Igitur vocetur puella. Quæ cum à Pontificibus, sive Principibus
gloriosè adducta fuisset, Rex consurgens de throno suo eam cum inclinatio-
ne recepit. Qua reinclinante proferens annulum eam coram omnibus sub-
arrhavit & in osculo recepit, & ipsam inter Cardinales, quorum cathedra è
regione coram facie Regis erat, residere præcipiens sic omnibus ait: Ecce re-
ginā habetis; ipsam, ut decet, honorate. Ordinatis etiam legatis honoratis ho-
nestissimè eam unà cum sorore usque Brunswich deduci præcepit. Ipse verò in
terra permansit, & peragratis illis partibus de consecratione Imperiali tra-
ctare cœpit.

Inter quos. a) Malè hos distinguit *Lindenbrogius* hoc ordine: Sigfridus Co-
loniensis, Theodoricus Trevirensis &c. Rectius *Meibomius* ita; Moguntinus Sigfri-
dus, Coloniensis Thidericus, Trevirensis Johannes &c.

Archiepiscopi:

Moguntinus. b) Sigfridus II. Baro ab Eppenstein, *Gasp. Bruschius n. L.*

Coloniensis) Theodoricus, Comes de Monte, *Petr. Merssæus, n. XLIX.*

Trevirensis) Johannes, Imperatoris Cancellarius, *Merssæus, n. LXXXVII.*

Episcopi:

Salceburg) Salisburgensis, Eberhardus II. de Truchsen, *Brusch. n. XXXIII.*

Argentinus) Henricus II. Comes à Veringen; qui quòd Philippi partes se-
cutus esset, Pontificem Romanum tantopere offendit, ut, quanquam anno 1202. ele-
ctus esset, tamē anno quarto pòst vix ab Innocentio obtinuerit, ut à Senonensi Archi-
episcopo consecrationem acciperet, *Joann. Trithem. Chr. Hirsaug. anno 1202.*

Non

Non enim à Moguntino Antistite consecrari potuit, durante adhuc inter Sigfridum II. Archiepiscopum, & Leopoldum, Episcopum Wormatiensem, longo & infesto dissidio, quod anno 1200. cœpit; de quo suprà *Arnoldus l. VI. c. 3. & Franciscus Guillimannus de Episcopis Argentin. in Henrico II.*

Augustiensis) Sigfridus, Nobilis à Rechberg, *Brusch. n. XXXIIX.*

Constantiensis) Wernerus, Baro à Stauffen, *Brusch. n. LI.*

Frisingensis.) Otto II. Comes de Berg, *Brusch. n. XXII.*

Pataviens.) Passaviensis, Manegoldus, Comes de Berg, *Christian. Wurstisius Chron. Basil. l. II. c. 16.*

Basiliens.) Lutholdus, Dominus à Rotelen, aliis dictus. Hic anno 1191. Episcopus factus, usq; ad ann. 1213. præfuit; quo anno adhuc Fridericum II. Imperatorem cum aliis Basileâ Moguntiam comitatus est, *Wurstisius ibid.* Expeditionem sacram anno 1200. ingressus est, *Trithem. Chron. Sponheim.*

Hildensem.) Harbordus, sive Heribertus, *Brusch. n. XXVII.*

Verdensis) Iso, Comes de Welpa, *Brusch. n. XXXI.*

Halberstad.) Fridericus, Burggravius Kirchbergensis ex Thuringis, *Brusch. n. XYII.*

Abbates:

Elevvang.) Chuno, Abbas XXXII. *Bucelinus, n.* XXXII.

Vuldensis) Henricus III. de Cronberg, *Brusch. n. XLI. Christoph. Brouuerus Fuld. Antiquit. l. IV. n. 41.*

Corbeiens.) Hugoldus, Abbas XXXII. *Johann. Letzner. Chron. Corbeiens. cap. 24.*

Odackerus, c) De hoc suprà ad *l. VI. c. 2. b. & c. 5. a.*

CAPUT XX.

1. *In conventu Augustano iter Othonis in Italiam decernitur,* 1209. | 2. *Cum multis copijs in Italiam, Romam usq; progreditur.*

IGitur post festum beati Iohannis Baptistæ curiam indixit celebrem in civitate Augusta, ubi convenerunt omnes illius terræ principes, cum quibus habuit mysterium consilij sui, ut ipsis cooperantibus honorificè cum gloria & honore Teutonicorum Imperialem perciperet benedictionem. Ad quod negocium deputati sunt plurimi tam Prælati, quàm Principes, seu omnes, qui regalia tenebant, Archiepiscopus Trevirensis (a), Magdeburgensis, Herbipolensis, Argentinus, Spirensis, qui & Cancellarius, Wormatiensis, Basiliensis, Constantiensis, Pataviensis, Episcopus de Chuore, de Augusta, de Eisteth, de Praga, de Olmoth: Abbates de Augia, de Sancto Gallo, de Kempte, de Wur-

 zeburg,

zeburg, de Selse, de Prume, de Ebsterna. Quibus adjuncti sunt Principes, Dux Bavariæ, Dux de Lutringe, Dux de Ceringe, Dux de Carinthia, Dux de Mereren: Marchiones & Comites plurimi. Cæteri qui remanserunt, thesau-
2 ris innumeris in ipsa profectione Regi subservierunt. Sicq; circa assumtionem beatæ Virginis Alpium juga scandere cœpit, relictaq; civitate, quæ ex aquæ nomine naturaliter Insbrugge dicitur, prospere tenuit Brixiam, ubi Athasis fluvius occurrit, per cujus devexum descendens venit Tarentum(b). Quo relicto venit ad transitum arctum montibus præclusum, qui Veronensium Clusa dicitur; ubi castrum est firmissimum, quod ex longa antiquitate urbs Hildebrandi dicitur. Illuc robur erat fortium propter amplitudinem ipsius castri, qui contra Veronenses Werram diutinam habebant, & non parum infestabant eos. Adveniente igitur Rege ipsum castrum ei offerunt, per quod plurimum toti terræ fuerat dominatus. Veronenses tamen adhuc ipsos castellanos infestare non timebant, sicq; offensam Regis incurrerunt. Postea tamen datis multis millibus marcarum in gratiam Regis recepti sunt. Dominus igitur Rex procedens magnificè receptus est à Mantuanis & Cremonensibus, unde Poeta: *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Verùm post transitum Padi Parmonenses & Pontremulenses Regem cum gaudio susceperunt. Nec defuerunt Mediolanenses, Genuenses, Lucenses, cum alijs civitatibus, civitates suas tripudiando offerentes, & gazis innumeris & muneribus eum honorantes. Ubi cùm per tempus stetisset, & in civitatibus illis multa ordinasset, transita civitate magna, quæ lingua eorum Senis vocatur, ubi per dies aliquot steterat, venit ad civitatem, ubi passa est beata Christina, quæ de nomine ejus Stagnum sanctæ Christinæ vocatur. Unde procedens cum omni comitatu suo venit Byternis, ubi cum magna solennitate & multo comitatu tam cleri, quàm populi occurrit ei Dominus Apostolicus Innocentius. Quanto autem gaudio & cordis exultatione se mutuo receperint, ex multis complexibus & osculis vel etiam profusis eorum lachrymis, quas abundantia lætitiæ produxerat, præsentis scripti depromere nequit inopia.

Trevirensis. a) Johannes. *suprà cap. 19.*
Magdeburg.) Albertus, Comes de Kirberge, *Brusch. n. XIIX.*
Herbipolens.) Otho, Baro de Lodenburg. *Brusch. n. XXXIIX.*
Argentinus) Henricus, *suprà c. 19.*
Spirensis) Conradus III. Baro à Scharpfeneck, *Brusch. n. LXVI.*

Wer-

Wormatienf.) Leopoldus, *Brusch. n. XXXIX.*
Basiliensis) Leutoldus. *suprà c. 19.*
Constantiensis) Wernerus. *suprà.*
Pataviens.) Manegoldus. *suprà.*
Chuore) Reinherius, sive Reinharius, *Brusch. n. XLV.*
August.) Sigfridus *suprà.*
Eisteth) Herdovicus, Comes à Sultzbach, *Brusch. n. XXVII.*
Olmoth) Robertus, *Brusch. n. XV.*

Tarentum, b) Tridentum intelligit. Iter hoc Imperatoris describunt etiam *Otto de Blasio, Godefridus Monachus, H. Mutius lib. IX. Carol. Sigon. lib. XVI.*

CAPUT XXI.

1. *Otho à Bonifacio Romæ consecratur VI. Kal. Octob.* 1209.
2. *Bonifacium convivio excipit.*
3. *Waldemarus, Archiep. Brem. reconciliari Papæ cupit.*

IGitur in feria sexta, quæ fuit post festum beati Michaelis, quod tunc feria tertia celebratum est, venit Dominus Rex ad limina beati Petri cum magna devotione adorare sanctos Dei apostolos, simul etiam urbem regiam omnibus modis honorare. Habuit enim in comitatu suo sex millia loricatum, exceptis balistariis & innumera militia Prælatorum & Principum. Dominica igitur die, ut dictum est, post festum Michaelis cum processio fieret ad atrium beati Petri, facta est pressura nimia advenientium, & occursantium ad gradus Monasterij beati Petri, & omnis via negabatur processioni; sed larga manus Regis cum maxima copia spargebat argenteos, & tandem vix obtinetur ascensus. Nec defuerunt ministri cum lanceis & fustibus reprimere tumultus. Sicq; in Dominica Da pacem Domine, Dominus Imperator cum magna pace & tranquillitate & jucunditate consecratur & coronatur, omnibus magnificè lætantibus & cantantibus, Fiat pax in virtute tua. Et quia ipse summo studio semper paci studebat, speramus ipsum officium pacis & unitatis Ecclesiæ Dei, quæ diu concussa fuit, à Deo obtinere solatium. Finito 2
officio Domino Papa Imperatorem novum devotè vocat ad convivium: quem Dominus Imperator precibus instantissimis obtinet venire secum. Cum igitur ventum fuisset ad equos, Imperator non immemor Apostolicæ reverentiæ, quæ exhibenda est ipsorum vicario fideli & reverendo Papæ Innocentio, strepam ipsius devotè apprehendit. Sicq; ad locum convivij venitur, ubi de Imperatoris

peratoris magnificentia simul in unum dives & pauper largè procuratur. Nec prætereundum, quod Waldemarus, Bremensis electus, pauper & exsul per intercessores, quos obtinere potuit, vel per se ipsum limina Apostolicæ pietatis, quæ claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, & septuagies septies errata dimittere consuevit, omni sollicitudine & devotione pulsare non cessavit, omnem reatum inobedientiæ pœnitens cum omni satisfactione emendare promittens. Verum quia idem casus multipliciter erat perplexus, nihil super his fuit determinatum, nisi ut in Pontificalibus celebraret, non tamen in Bremensi ecclesia.

CAPUT XXII.

Auctor rationem sui in conscribendo hoc libro consilij exponit.

Satisfactio Scriptoris.

VEniam legentium peto, ne quis præsumptionis vel temeritatis arguere me velit, quia ista dictaverim, sciens quod multi gesta Regum, vel Pontificum scripserunt; sed, sicut ab initio dictum est, non temeritate, sed caritate ista prosequutus sum, volens continuare hoc dictamen operi Helmoldi sacerdotis, qui de statu terræ nostræ, & de regibus sive Principibus multa præmiserat: præcipuè verò de vocatione & subactione Slavorum, quæ per nobilem Ducem Henricum facta est, memoriæ fidelium intendo perennare. Neque enim ista oblivioni tradenda puto, cum omnes oculata fide perspiciant gloriam ecclesiarum, devotionem fidelium, & fidei & religionis incrementum in his borealibus regionibus, ubi sedes erat sathanæ, nunc verò flatus austri, videlicet Spiritus sancti gratia, quæ fugato Aquilone perflatis hortis fidelium, innumera virtutum fluere facit aromata. Nec offendat quenquam, si secundum ordinem historiæ modò læta sive prospera vel etiam ponam adversa: quia ista oportuit in notitiam venire, & illa non omittere. Deus enim quandoque ad salutem suorum fidelium, quibus omnia cooperantur in bonum, nunc promittit prospera, nunc flagella. Si verò aliquid occurrerit, non ex toto suo ordine prosequutum, ipsum deputet assertori, non dictatori. Hoc ipsum tamen emendationi fidelium devotus relinquo, multum gaudens, quod de bono principio lætum finem teneo, pro quo sit laus & gloria Christo. Amen.

VARIÆ LECTIONES,

in quibus L. Codicem MS. Lubecensem: B. Bœkelianum: S. Stetinensem: *R.* Ranzovianum: *Edd.* Editiones Schorckelij et Reineccij. *Ed.* Editionem solius Reineccij denotat. Numerus autem primus paginam: secundus caput: tertius lineam significat.

1. 1. 1. *introitu*, restitutum ex MS. Lubecensi Bœckeliano et Stetinensi, initio Edd.
7. *eo quòd*, rest. ex L. B. & S. quòd, Edd.
11. *obtinent*, continent, L. & B. continentes, S.
17. *nationes*, rest. ex L. B. & S. regiones, Edd.
20. *primo*, additum ex L. B. & S.
24. *Rucenum*, rest. ex L. & *S.* *Rutenum*, Ed.
2. 1. 20. *bellicâ manu*, add. ex L. B. & S.
21. *sive Suevia*, restit ex L. B. & *S.* & Suevia, Edd.
5. 2. 12. *Vinneta*, Niniveta, L.
6. 2. 10. *ejus*, addit. ex L. B. & *S.*
17. *eorum*, ex L. & B. illorum, Edd.
27. *& insulas*, additum, ex L. B. & *S.*
27. *enim*, add. ex L.
14. 3. 4. *Deo*, ex L. & *S.* Domino, Edd.
6 *& Thuringi*, L. vel Thuringi. Edd. & B.
15. 3. 4. *subjugales*, sublegales, L. B. & *S.*
6. *decimas*, abest à L. & *S.*
6. *adunati*, rest. ex L. *B.* & *S.* adjurati, Edd.
13. *Et tunc*, ex L. & S. Ex tunc, Edd. & *B.*
13. *Dei*, additum ex L.
24. *cæteri*, add. ex L. *B.* & *S.*
19. 5. 22. *verò*, add. ex L. *B.* & S.
20. 5. 3. *stabilitate*, rest. ex L. *B.* & *S.* stabilimento, Edd.
21. 6. 5. *præter*, propter, *S.*
8. *Thetmarsos*, Thetmarcos, L. & *B.*
16. *incredibilis*, invincibilis, B.
22. *provinciјs*, populis, S.
22. 7. 2. *impedimentum*, irritamentum, B.
7. *profectò*, rest. ex L. *B.* & S. Sanè, Edd.
23. 7. 2. *exhaustum etc.* exhausta, divisa, L. *B.* & *S.*
30. *est*, additum ex L. *B* & S.
24. 8. 12. *Rex*, additum, ex L.
12. *successor*, filius, L. *B.* & S.
13. *quidem*, additum ex L. B. & S.
25. 8. 4. *tunc*, nunc, L. *B.* & *S.* & *Ed.*

8. *pertinaciam*, Provinciam, S.
30. *feritatem*, ferociam, *S.*
27. 9. 2. *ingredienti*, regredienti, L.
10. *beatissimus*, sanctissimus, *S.*
28. 10. 26. *Protum*, proinde, S.
27. *Augustus*, & Augustus, L. B. & S.
30. 11. 10. *conditæ*, additum ex L. *B.* & *S.*
33. 12. 14. *opinatissimam*, rest. ex L. *B.* *S.* opimatissimam. Ed.
23. *Lucilinburg*, Lutilinburg, *B.* & *S.*
34. 12. 10. *erga etc.* erga Slavorum populos & vocationem eorum, *S.*
40. 13. 8. *sceptrum*, regnum, *S.*
9. *anno*, ex L. tempore, Edd. & *B.*
42. 14. 2. *postulati*, expostulati, *L. B.* & *S.*
23. *Nezenna*, Nezetina, *L.*
25. *Edberg*, Eilberg, *L. B.* & *S.*
32. *enim*, add. ex *L.* B & *S.*
43. 14. 31. *ordinē*, rest. ex L. & *S.* ordinationem, Edd.
37. *sermone*, rest. ex *L. B.* & *S.* stylo, Edd.
44. 14. 1. *duo de viginti*, duodecim, *S.*
47. 15. 13. *abdicant*, abdicarunt, *L.* & *S.*
32. *improvidos*, impavidos, *B.* & *S*
35. *Comites*, ex *L.* Comes, Edd.
48. 15. 10. *Lestmönam*, Lescinovam, *L.*
50. 16. 8. *defensor*, rest. ex *L.* & *S.* defensator, Edd. & B.
52. 16. 1. *Slaviam*, rest. ex *L.* & *S.* Slavaniam, Edd. & *B.*
33. *et*, additum ex *L.*
54. 18. 1. *Benno*, Hic sanè, *L.*
9. *legitimam*, debitam, *S.*
55. 18. 37. *in qua*, quò, *L.*
56. 18. 6. *Reinherus*, rest. ex L. Meinherus, Edd.
57. 19. 15. *Ezebo*, rest. ex L. et S Ethcho, Ed. et B.
29. *Deus*, rest. ex L. B. et S. Dominus, Edd.
58. 19. 4. *conditione*, conventione, L. et B.
60. 20. 15. Panim, Penim, B.

27.*urbi*[illegible]x L.B.&S.civitates,Edd.
61.21.3.*circa*,rest,ex L.citra,Edd.
65.24.12.*Deus*,rest.exL.B.& S.Domine,Edd.
13.*templum*,rest ex L. & S. tabernaculum, B. & Edd.
66,25.3.*paterna*,rest.exL.B.&S.patriæ, Edd.
5.*Cruco*,Cruto,L,B.& S. (Edd.
6.*attentasse*,rest. ex L. B. & S. acceptasse,
10.*nomine*,additum ex L.B. & S.
24.*quin*,rest.ex L B & S.quando,Edd.
30.*sint*,ex B.sunt,Edd.
34.*Cruconem*,Crittonem,L.& S.
67.25.30.*ecce*,additum ex L.B.& S.
32.*illa*,additum ex L. B. & S.
36.*Suale*,rest.ex L B.& S.Strale, Edd.
36.*disterminat*,rest. ex L.B.& S. determi-(nat,Edd.
68.25.7,*Cruco*,Critto,L & S.
17.*& tuorum*,& virorum,B.
69.26.7.*violentias*,molestias L.
8.*nostrum*,additum ex L B.& S.
70.27.5 *periculum*,periculi,B.& S.
72.28 25.*hoc versu &c*,hæc verba,& versus seq. absunt à L.Reperiuntur autẽ inB,S.&Edd.
76.29.13.*universi*,omnes, L.
78.31.4.*regno*,mundo,L
9. *egressi*, aggressi sunt iter, L.
14. *Deus*,rest. ex L.B.& S. Dominus, Edd.
81.32.5.*cultoribus*,custodibus,L.
9.*Hilgellisheim*,Hingelisheim,L.
12.*tuo*,rest.ex L. ejus, Edd.B.& S.
29.*si*,ex L.& S. scilicet, Edd.
82.32.5.*& dicentibus*,additum ex L.B.S.
12.*concesserit*,concessit,L B.S.
25.*per gratiam*,ad gratiam,L B,S.
27.*fidissimis*,fidelissimis,L. & S.
83.32.5.*Deus*,rest.ex L.B.& S. Dominus,Edd.
11.*peccato*,rest. ex L. B & S. peccatis, Edd.
85.33.10.*Episcopium*,exL. Episcopum,Edd.
18.*Cæsar*, additum ex lib. L. B. S.
87.34.6.*infensa*,invisa,L.B.& S.
88.34.7.*Smilowe*, rest. ex L. B. S. Zenilovv
17.*adfuerit*,rest.ex L.B & S. adfuit, Edd
27.*inclusi*,conclusi,L.B.& S.
89.35.2.*filium*,filios,L.& S.
3.*de Ballenstede*,additum ex L.
20.*autem*, additum ex L.B.& S.
90.36.6.*Runi*,rest.ex L. Rimi,Edd.
13.*ostenderit*,rest.ex L.& S. ostendit, Edd,
33.*Trabenæ*,Travene,L.
91.36.2.*iter*,viam,L.
92.37.14.*improvidos*,impavidos,B.
93.38 16.*gratia*,gratulatio,L.B.& S.
19.*ostensionem*,ostentationem, L.
94.38.16.*rigorem*,fervorem,L.B.& S.
95.38.23.*pecunia*, additum ex L.
23.*puta*,exL. puto,Edd.& S.
96.39.6.*perrexit*,rest.ex L.& S. perrexerunt, (& S.
18.*sanctis*,sacris L.& S.
25.*morticinis*,morticiniis,S.
97.39.12.*iracundia*,ex L. in iracundia, Edd.B.
98.40 5.*quas*,rest. ex L.B.& S.quos,Edd.
11.*accusantium*,incusantium L.B.& S.
19.*defectionem*,defensionem,S.
99.40.24,*Eggehardi*,Eggelhardi,S.
27. *Bavenbergensis*, Bamburgensis, L.
108.42.2.*Wisera*,Wesere,S.
3.*ornatis*,adornatis,L. B.& S.
18.*castello*,castro,L.B. & S.
109.42.4.*Harthmanno*,Hermanno,L.
10.*adolescentis*,rest ex L.adolentis,B.& S.
13.*multum*, satis,L.B.& S. (L.B.&S.
17. *Magistro adjutor*,Magistri coadjutor,
21.*Brigitta*,Brigide,L.B.& S.
21.*consciverit*,concitaverit, L.
109.43.2.*incrementum*,incitamentum, L.
3.*Fenle*, Feule,B.
110.44.5.*ingenuis*,ingenuos,B.& S.
111.45.11.*potestatem*,licentiam L.B.&S.
113.46.3.*ad Bremam*,apud Bremã, L. B.& S.
4.*lætificatus*,lætatus,L.

ordinaturi, rest. ex L. & S. ordinantes, Edd.
13. *paraturi*, ex L. & S. parantes, Edd.
4.47.9. *Episcopo*, Pontifice, L. B. & S.
5.47.1. *Slaviam*, additum ex L. & B.
12. *auxilio*, præsidio, L. B. & S.
7.48.4. *Pluneši*, rest. ex L. & B. Plumensi, Edd.
13. *obsidentium*, obsequentium, L. & B.
18.48.6. *Volcwardum*, ex L. B. & S. Volwardum, Edd.
16. *& filiorum filijs*, add. ex L. B. & S.
19.49.14. *Daniæ*, Daciæ, L. & S.
26. *hominium*, hominem, B. & S.
21.50.13. *regni*, regium, B. & S.
122.50.13. *commorandum*, commemorandum, L. B. & S. (Edd.
18 *Dinewerch*, rest. ex B. & S. Dinevverth,
123.51.10, *descenderet*, descenderent, L. B. & S
15. *abstineret*, abstinerent, L. et B.
21. *Thievela*, Theivela, S.
124.51.12, *Emun*, rest. ex L. B. & S. Enum, Edd.
125.52.7. *Proue*, Prone, S.
8. *Siwa*, Synna, S.
10. *sacerdos*, rest. ex L. B. et S. fortium, Ed.
33. *affigendos*, subfigendos, L. B. & S.
28.53.1. *reverēdissima*, reverentissima, L. B S.
2. *devotionis*, additum ex L. B. & S.
·0.54.7. *Factumq;*, Iactumq;, B.
·.54.8 *principatum*, Ducatum, L. & S.
15. *Badwide*, Bardewich, L.
·.55.9. *utiq;*, ubiq;, L.
23. *sanate*, curate, L. & S.
·55.17. *horam Primæ*, horam Primam, L.
·.56.21. *incursibus*, incursionibus, L.
·56.8. *Principi*, additum ex L. B. & S.
·57.28. *terram*, rest. ex L. & B. terræ Edd.
·.58.3. *Hagerestorp*, Hogerstorp, S.
·58.3. *radicem*, radices, L. B. & S.
8. *benignitatis*, bonitatis, L.
59.8. *Ecclesiis*, Ecclesia, L. B. & S.
·.60.1. *Alemanno*, Alemanniæ, L. B. & S.
5. *ejus*, suam, L. B. & S.

6. *pacifici*, pacifice, L. (B. & S.
144.60.6. *Appropinquante*, Appropiante, L.
16. *referrent*, perferrent, L. & B. proferrent, (S.
148.62.7. *tuum*, add. ex L. B. & S.
19. *conclusisse*, exclusisse, L.
63.11. *& ignoramus quid sit*, add. ex L. B. & (S.
149.63.1. *admoveri*, amoveri, S.
20. *Utinensis*, Eutinensis, L.
150.64.15. *objectusq;*, objectisq;. L. & S.
151.65.6. *Adalberti*, additum ex L. B. & S.
18. *coaluerunt*, convaluerunt, L. & S.
155.67.5. *venissent*, redissent. B. & S.
157.68.6. *incursationes*, incursiones, L.
158.69.29. *gladio*, gladio suo, L. B. & S.
160.69.7. *ostendit*, respondit, L. & B.
8. *illi debitus*, sibi debitus, L. & B.
163.70.1. *requireret*, acquireret, L.
164.70.5. *terræ nostræ*, terræ vestræ, L. & S.
8. *Dominus meus*, additum ex L. B. & S.
9. *occurrere*, concurrere, L. B & S.
166.72.14 *fidissimis*, fidelissimis, L.
16. *affecti*, confecti, L. & S.
23. *per singulos*, in singulos, L. B. & S.
167.73.28. *à Francia*, additum ex L.
168.73.4. *desiderio*, ob desiderium, B. L. & S.
5. *sua præsentia*, suæ præsentiæ, L. B. & S.
170.74.2. *Ecclesiæ nostræ*, Ecclesiæ vestræ, S.
75.12. *Buzo*, Buzovam, L. & S.
12. *ubi*, quò, L. B. & S. (li afflictione, L. B. S.
171.75.8. *irremedicabili dolore*, irremediabi-
173.78.21. *adimpleat*, suppleat, L. B. & S.
174.78.12. *præterea*, postea, L. & S.
14. *nostri*, add. ex L. B. & S.
14. *memoria*, notitia, L. B. & S.
26. *dextra*, add. ex L. & B. dextram, B.
175.79.11. *Radegeshusen*, Ridegeshuse, L. &
176.79.5. *Episcopum*, electum, L. & S. (B.
7. *Staden*, *Vorden*, rest. ex L. B. & S. Stadhattuorden, Edd.
179.80.5. *providentia*, prudentia, B. (Edd.
37. *ex quo*, rest. ex L. & S. Diu est quo,

37. *& desunt nobis stipendia*, add. ex L. B. S.
180. 80. 31. *publicam solenn.* publicam promissionum solennitatem, *L.*
181. 81. 9. *inter arctum*, in arctum, *B.*
182. 82. 10. *Bozoe*, ex L. *B. & S.* Buzoe, Ed.
23. *propulit*, propulit ire, S.
183. 83. 13. *Episcopum*, Archiepiscopum, L. & B.
15. *profectionem*, expeditionem, L. *B. & S.*
23. *nisi &c.* vel habitatorem, nisi sanctuarium parvulum, L *B. & S.*
25. *in cumulo*, inter cumulos, L. *B. & S.*
27. *in loco*, in opido, L. B. & S.
184. 82. 5. *partem*, panem, L. *B. & S.*
185. 83. 2. *hospitaturi*, rest. ex L. *B. & S.* hospitati, Edd.
10. *Illic enim*, Illic omni, L. *B. & S.*
15. *admittuntur*, admittunt, L. *B.* & S.
16. *invicem*, vindicem, *B*
20. *nulla*, mille, L. *B. &* S.
33. *magno*, grandi, L. B. *& S.*
187. 83. 2. *Dux noster*, additum, ex L. *& S.*
4. *Episcopus*, additum, ex *L. B.* S.
188. 83. 9. *obvenit*, evenit, L. B. S.
13. *illic*, additum, ex L. *B.* S.
16. *ordinata*, adornata, *L. B. & S.*
23. *in atrium*, in atrio, *L. B. & S.*
195. 84. 1. *Dani semper*, Dani enim semper, *L. B. S.*
7. *sorore*, sorore sua, *L.* B. *S.*
11. *sua*, additum, ex *L.*
196. 84. 2. *eventum*, additum, ex L. B. *S.*
16. *fuerat*, additum, ex *L. B. S.*
19. *Feoniam*, Sconiam, *L. & S.*
197. 84. 10. *confodiunt*, perfodiunt, *L. B. S.*
11. *levavit*, libravit, *L.* B. S.
198. 85. 10. *Et tunc*, Statim, *L. & S.*
14. *Ruziam*, rest. ex *L. B. S.* Rugiam, *Ed.*
199. 86. 8. *ijs qua*, cæteris quæ, *L. B. & S.*
15. *Crumne*, ex *L. B. & S* Crumnæ, *Ed.*

201. 87. 4. *Wurle*, Wrle, *S.*
202. 87. 32. *Cuscin*, Cussin, *L.*
13. *Melicou*, ex *L. B. S.* Melicon, Ed.
203. 88. 2. *fortunatus*, prosperatus, *L. B. & S.*
8. *magnum*, multum, *L. B. S.*
204. 89. 1. *id temporis*, id tempus, L.
5. *designavit*, resignavit, L. & S.
205. 90. 21. *Ecclesias*, excelsas, B. *& S.*
21. *solitudine*, solitudinem, *L.* B. *S.*
206. 90. 8. *Divionem*, Divionam, L. & B.
10. *se fidem*, se & fidem, *L.*
207. 91. 14. *permissum*, de promissu, L.
17. *terra Wagirensi proxima*, restitutum ex L. B. & S. terræ Wagirensis provincia, Edd.
208. *91. 5. negocij*, officij, B. *& S.*
209. *92. 2. acquirendã*, requirendam, L. & B.
210. 92. 1. *nobilium*, nobiles, L.
9. *unde non possitis jaculari sagittis hostium*, additum ex *L.* B. S.
212. 93. 1. *Lub. Episcopus*, Lubicensis ecclesiæ Episcopus, L. et S.
9. *confirmationem*, consummationem, L & S.
213. 94. 2. *petens*, quærens, L. *& S.*
31. *sed tamen*, sed tantum, L *B. & S.*
35. *honestè*, additum ex *L. &* B.
215. 2. *disparilia*, disparia, *L.*
20. *diligentius*, intentius, L. *& B.*
216. 1. 8. *denique*, præterea, L & B.
217. 2. 2. *magna*, maxima, L. & S.
18. *terram nobis debitam*, rest. ex L, *B &* *S.* terram debitam, Ed.
218. 2. 18. *cum mulieribus*, cum uxoribus, L.
219. 2. 2. *militum*, Slavorum, L. B. & *S.*
3. 10. *articulo*, periculo, *S.*
220. 4. 17. *præcedent te*, præcedent tecum cum, L. & S,
221. 4. 4. *urbe Dimin*, urbe, quæ dicitur Dimin, L.
5. *Kazemarus, &c.* Kazemar & Buggezlaf, L

28. *accur-*

28. *accurrerant*, occurrerant, L.
223.5.4. *expeditus*, vox abest à L.
4. *propter Com. &c.* propter recentem victoriam, & impetum faventis fortunæ, omne &c. L. & S.
6. *& fecisset terræ Pomeranorum, sicut fecit terræ Obotritorum*, rest. ex L. & S. fecisset terram Pomeranorum, socios Obotritorum, Edd.
225.6.11. *Jam dudum*, Iam pridem, L. & S.
12. *contriti &c.* percussi sumus attritione maxima, L. & S.
226.7.10. *Magd. Episcopus*, Magdeburg. Archiepiscopus, L. & S.
228.8.4. *depradationibus*, rapinis, S.
11. *indempti*, indepti, R.
17. *per literas*, per scripta, L.
230.10.2. *à formidine*, à fortitudine, L.
231.10.1. *& abusus est Longobardia supra Reges, qui fuerunt ante eum diebus multis*, add. ex L. B. S.
7. *Tusculum*, Tusculanum, L. B. S.
233.11.7. *providentia*, prudentia, L. & S.
15. *obstinatione*, abstinentia, L. obstinacia, B.
18. *humilitatis*, humanitatis, L. & B.
22. *Dasenburg*, Dasenberg, L. B. & S.
26. *dederat*, rest. ex L B. & S. dedit, Edd.
235.12.6. *Erat autem &c.* Totus hic locus, usq; ad §. De omni &c. deest in L.
7. *vera Dei*, veri Dei, B. & S.
21. *consignata*, insignita, L.
237.13.9. *exitium*, excidium, B. & S.
238.13.3. *insidijs*, incursibus, L. B. & S.
14.12. *Radenburg*, Rodenburg, L.
240.6. *& universis ibidem fratribus*, add. ex R.
240.1.16. *præcipiente*, principante, L. & S.
241.2.16 *Blanckenburg*, Brandenborch, S.
17. *quisquam majorum*, quisquam major, L.

22. *effectibus*, affectibus, B. affectionibus, S.
242.2.9. *cesserunt*, cesserunt de, L. B. & R.
3.15. *Manuelem*, Manoe, L. B. & S.
243.3.14. *facerent*, agerent, L. B S.
244.4.16. *in profunditate palustri, & destructi sunt equi eorum plurimùm*, additum, ex R.
20. *consisterent*, subsisterent, L. R. & S.
24. *carnium, piscium multitudinem ibi neglectam*, add. ex R.
245 4.7. *deservirent*, subservirent L. & S.
12. *profecissent*, profecisset, L.
36. *clibanus*, rogus, R.
247.5.20. *nostris*, illis, L.
22. *à patre, mittitur*, add. ex R.
26. *Nunc erratis*, Non erretis, R.
249.6.9. *Confide*, Confide, Confide, L.
15. *marinum*, maximnm, L.
7.1. *Accaron vel Accon*, ex L. Accaron, Edd.
2. *Accaronitis*, Accaronitis vel Acconitis, (L.
250.7.2. *argento*, auro, S.
3. *sanctum sepulcrum*, sepulcrum Domini, L. et S.
252.9 8 *voluisset*, vellet, L.
16. *hominem primum*, rest. ex L. et R. homines primum, Ed.
18. *primi hominis legerat*, rest. ex L. et R. primorum hominum legitur, Ed.
19. *Pentateuchum Moysi*, restit. ex L. et R. Moysen, Ed.
254.10.1. *Insciam*, Nisdam, B. Niselan, R.
7. *noluit*, noluerit, L. et B.
255.10.4. *videlicet*, vel, B et R.
9. *regum*, regis, L. et B. (B.
256.11.19. *quia jam gravis*, quasi gravis, L. et
30. *eum*, eos, L. et B.
258.12.20. *Dalmaticas*, Dalmaticas, subtilia, L. B. R.
23. *ad libitum*, add. ex L. B. et R.
259.13.2. *tritici*, rest. ex L. B, et R. tertio, Ed.

 15, *No-*

15.*Novit*, Noverit, L. &. B.
23.*nobiscum*, additum ex L. & B.
24.*ministerij*, rest. ex L. et B. monasterii, Ed.
260.13.2. *à Dn. Evermodo*, rest. ex *L.* et *B.*
29.*omni populo*, rest. ex L. *B*. &. R. cum populo, Ed.
20.*caritati vestræ*, rest. ex L. *B.* & R. cantatricem, Ed.
25.*Ida*, rest. ex *R*, ita, *B.* & Ed.
36.*Ipse*, rest. ex L. *B.* &. R. Opere, Ed.
37.*quod videat*, rest. ex L. *B.* & *R.* quod videatur, Ed.
262.14.8.*Apostolicę*, rest. ex L. B. & R. amplius (Ed.
263.14.11.*mihi*, additum ex *L. B.* & *R.*
14.*animam*, animas, L. &, B.
265.15.5. *ascendentes ecclesiā errore schismatico vexaverunt*, additum ex L. B. et R, ascenderunt *Ed.*
6.*fortunatę, bellorū*, fortunatis bellorū, *B.*
267.16.28.*tunc*, add. ex L. *B.* & R.
268.17.6.*pastores*, veri pastores, L. & B.
7.*Udalricus*, Olricus, B.
18.10.*insurgant*, consurgant, L. & B.
12.*offerant*, ex L. & R. offerantur, Ed.
13.*acceptis obsidibus*, add. ex L. *B.* &. R.
269.19.3.*Ægidij*, auctoris Ægidij, L. & *B.*
8.*Tangenelch*, Ranzivelt, *R.*
8.*Cleve*, rest. ex L. Clene, Ed.
9.*Gladeburg*, Gladebrugge, R.
271, 21.11.*alapâ*, additum ex L. *B.* & R.
11.*Beatus etiam Benedictus*, rest. ex L. B. & R. beatum etiam Benedictum, Ed.
20.*debet*, decet, L. et B.
24.*ad omnes*, rest. ex L. B. et *R.* ante omnes, (Ed.
37.*nolebat*, rest. ex R. volebat, L. *B.* et Ed.
272.21.11.*sua*, additum ex *B.* et R.
273.22.4.*Zelotes*, Zelator, *L.* et B.
273, 23.4. *misericordiam*, rest. ex *L. B.* et R. mitras, Ed.
274.23.7.*ordinatus*, consecratus, *L.* et *S.*
21.*curia*, rest. ex *L.* B. et R. Ecclesiæ, *Ed.*
31.*Hanchalt*, Anehalt, *B.*

276.24.9.*Haldesleben*, Haldesleff, *L.* et B.
30.*non convictū*, nisi convictum, L. *B.* et *R.*
283.25.1.*ab hyemis mollicie*, ob hyemis molliciem, *B.* [Ed.
26.3.*& tantum*, rest. ex L. *B* et *R.* et tamen,
284.27.10.*fusores*, additum ex L. B. et R.
10.*oculus eorū*, rest. ex L. B. et *R.* ulli eor. Ed.
11.*habebant*, rest. ex L. et B. habebat, Ed.
24.*pullulat*, pullulavit, *L.* et *B.*
285.28.3.*geminanda*, gemenda, *B.* et *R.*
17.*conflagravit*, conflagrata est, L. et *B.*
286.28.7.*impunitatē sibi promittunt*, add. ex *R.* & B. impunita sibi esse promittunt, L.
10.*levius pœnituit*, levius non pœnituit, L. B. et R. (Ed.
20.*sed utinam*, rest. ex L B et *R.* Si modò,
287.19.9.*suam*, additum, ex L. B et R.
13.*sacerdotibus*, sacerdotali, *B.* et R.
13.*& ita in omnibę necessariis devotissimè ministrabat*, add. ex L. B et *R.*
23. *Husenburg*, Hugesburg, *R.*
288.30.4.*Ludovicus*, Ludovicus provincialis, L. et B.
9.*Comes*, additum ex L. B. *R.*
289.30.9.*Quare Adolfus*, Cui Adolfo, *L.* et B.
11.*runcinosq;*, rest. ex L. B. et *R.* rivisinos, Ed.
290.31.3. *sive ex necessitate, sive ex voluntate*, rest. ex *L. B.* et *R.* sine necessitae, sed ex voluntate, Ed.
9. *Blanckenburg*, Blanckenburg, Heimburg, Regenstein, B.
10.*ad expugnandam*, rest. ex *L. B.* et *R.* ad expugnationem, Ed.
290.32.5.*Welfesholtz*, Welpesholt, L. et *B.*
9. *Et ibi*, rest. ex B R. Et in, Ed.
291.32.11 *desternerent*, rest. ex L, B, *R.* destituerent, Ed.
19. *sibi*, additum ex L. B. *R.*
292.32 3.*meruit*, ex B. metuit, Ed.
5.*Waldenburg*, Waldenberg, *B.*
293.34.6.*deposuit*, deputavit, B,

oscur-

294.35.1,*occurrit ei*, rest. ex L. B. R. accessit, Ed.
23.*percontatum*, percontaturi, R. percunctari, B.
295.35.8.*nec alicui*, rest. ex L. B. R. nec alii, Ed.
12.*quivis*, rest. ex L. B. R. quis, Ed.
17.*in redeundo*, rest. ex L. B. R. in reddendo, Ed.
19.*mira*, rest. ex L. B. R. nimia, Ed.
21.*circa se*, rest. ex L B. R. contra se, Ed.
27.*in finem*, in finem vitæ, B.
33.*titulos*, terminos, B & R.
297.36.7. *quia nimis contiguæ videbantur munitioni*, rest. ex L. B. R. quia minus contiguæ videbantur, nimis tum Ed.
298.36,20.*circa ipsum*, rest. ex L. B. & R. contra ipsum, Ed.
299.1.9.*positus*, rest. ex L B. & R. penitus, Ed.
12.*distinctus*, discinctus, B.
300.1.18.*transirent*, naves transirent, B.
302.3.10.*adhuc novellam*, add. ex L B. & R.
303.3.29.*Keuena*, rest. ex L.
304.3.3.*angelos*, angelus, B.
4.5.*Ratekowe*, ex L, et B. Racecovve, Ed.
305.4.21. *quæ Tribuses contigua erat*, additum ex L B. & R.
306.5.12.*simul*, rest. ex L. B. et R. sibi, Ed.
15.*simul*, additum ex L B. & R.
207.5.1.*ubi*, ubi etiam, L. & B.
307.5.22.*calumniam in se queruntur*, calumniari se queruntur, L. B. & R.
23.*proferunt*, proferuntur, L B. & R.
30.*ludis in spectaculis*, ludis aut spectaculis, L. & B.
309.6.3.*vestitura*, investitura, L. & B.
12.*paratum*, paratum esse, L. B. & R.
22.*ferre*, additum ex R.
312.7.26.*captivitate*, captivitatem. L. & B.
32.*expecta*, Expecta, expecta, L. B. et R.
313.8.1.*nobilissimus*, nobilis, L. & B.
14.*adversarios*, adversari, L. et B.
314.8.5.*de matre*, de matris absentia, B. & R.
9.*sicuti matrem*, simul cum matre, L. et B.
15. *Num bene sunt omnia?* rest. ex L. B. & R. Nunc bene sunt omnia, Ed.
18.*sacerdotis*, add. ex L. B. R.
315.8.11.*ideoq; aut ego tuam aufferam, aut tu meam*, add. ex L. B. R.
12.*meatum*, transitum, L. & B.
18. *in manu validâ. Porrò cum auditum fuisset quod rex fugeret insecutus est eum*, ad. ex L. & R.
318.9.5.*potentissimum*, fortissimum, L. & R.
10.*similiter*, sive, B.
11.*sine mensura*, rest. ex L. B. & R. cujus mensura, Ed.
13.*de minimis*, rest. ex L. B. & R. de nunnis, Ed.
319.9.13.*diu est*, diu est, ait, L. & B.
27. *Coloniensis*, Domini Coloniensis, L. & B.
320.9.2.*quietem nostram in*, add. ex L. B. R.
8.*felicitatem*, fidelitatem, B. & R,
13.*solito*, more solito, R.
27.*tibi*, rest. ex L. B. & R. terra, Ed.
321.9.10.*servientes*, ferventes, B.
17.*sancto*, seculo, B. & R.
22.*per speciem*, per spiritum, L. B. & R.
27.*viri*, mihi, B. & R.
37.*Chorus*, add. ex L. B. & R.
322.9.25.*ei dicenti*, cum dicentem, L. & B.
325.10.16.*turbas*, turbatio, L. B. & R.
20. *Imperio*, Imperium, L.
27.*infirmiori*, rest. ex L. & R. inferiore, Ed. & B.
326.10.3. *& ex utraq; parte plurimum fuisset*, add. ex L. B. R.
327.11.8.*perfecit*, profecit, L. B. & R.
8.*præcipiens*, add. ex L. B. & R.
329.12.9.*Canonicatum*, Canonicam, L. & B.
330.13.4.*Keuena*, rest. ex L. Keneva, Ed.

Gaudate

14. *Gaudete in Domino*, Memento nostri Domine, R.
21. *Episcopali*, Pontificali, L. & B.
333.16.13. *articulum*, capitulum, L. & B.
31. *Cui rex rursum: Die ait, à quo investituram pontificalē suscepisti ? Et ille: à Domino Papa*, add. ex L. B. & R.
335.17.28. *investituram pontificalem*, Investituras &c. L. & B.
336.18.1. *Imperator*, add. ex L & B.
6. *diminuerim*, demuerim, L. & B
337.18.11. *sua*, add. ex L. B. & R.
14. *ecclesiasticæ*, ecclesiarum, L. & B.
32. *assequendas*, exsequendas, L. B. R.
34. *scribatur*, scribantur, L. & B. scribantur literæ, R.
35. *commoneatur*, rest. ex L. & R. commoveatur, Ed.
338.18.8. *in præsenti*, additum ex L. B. & *R.*
339.19.7. *illicò*, illi ei, B.
20. *marcas*, marcas argenti, R.
20. *persolverent, & sic à mari*, rest. ex L. B. & *R.* prosoluerunt, ut à mari, Ed.
22. *Duce*, rest. ex B. Duci, Ed.
340.20.9. *omnem terram*, rest. ex L. B. & R. omnes in terra, Ed.
340.21.1. *sive*, rest. ex L. B. & *R.* suo, Ed.
341.22.10. *Numquid*, Numquid non, *R.*
11. *tepuerunt*, tremuerunt, L B. & *R.*
342.22.2. *scilicet*, sed, L. & B.
28. *Quàm rectè*, rest. ex L. B & *R.* Quoniam, Ed.
35. *sermones*, restitutum ex L. B. & *R.* servos, Ed.
343.22.2. *Et illud*, additum ex L & R.
10. *moribus*, rest. ex L. B. & R. manibus, Ed.
18. *et nos*, add. ex L. et B.
344.23.25. *veritatem*, rest. ex L. B. et *R.* virtutem, Ed.
34. *in æternum*, add. ex L. B. et *R.*

346.24.2. *et beneficia regalia de manibus ipsius susciperent*, add. ex L. B. et *R.*
11. *pueri Balduini*, add. ex L. B. et *R.*
347.24.2. *dicerent*, dicerent fratribus, *R.*
35. *sic*, add. ex L. B. et *R.*
38. *consurgentes et circund.* consurgerent et circundarent. L. B. (Ed.
349.25.19. *cum suis* rest. ex L. B. et *R.* ad suum,
250.25.24. *coram cruce*, rest. ex L. *B.* et *R.* in cruce, Ed.
351.25.3. *promptissimè*, add. ex L. B. et *R.*
352.26.2. *loca*, additum, ex L. B. *et* R.
6. *Quam cum capere non potuisset, abijt Sidon, et cepit eam*, add. *ex L, B.* et *R*
33. *mille Byzancios*, rest. ex L. et B. mille Byzantinos, R. his mille aureorum, Ed.
353.26.13. *apparitoribus*, rest. ex L. et *B.* apparatoribus, Ed. cultoribus, *R.*
356.28.12. *quia sicut*, rest. ex *L.* B. et R. qui sicut, Ed.
358.29.20. *Imperatorem*, Dominum Imper.
31. *Eiza*, Erza, *B.* (*L.* et *B.*
359.29.6. *toxicatis*, add. ex L. B. et *R.*
360.30.5. *ac si paradisum*, rest. ex L. B. & *R.* ac si per parad. Ed. (Ed.
12. *præcurrit*, rest. ex *L. B.* et *R.* percurrit,
14. *alicui civitati*, rest. ex L. B. et *R.* aliter civitati, Ed.
15. *sed subijciunt*, rest. ex *B.* et *R.* nisi subijciant, Ed. (L. *B.* et *R.*
362.31.10. *omnes etc.* omnem circa regionem,
365.33.12. *et magis bello nos inquietare voluerit*, add. ex L B. *R.*
17. *saniori*, rest. ex L. B. et *R.* saniorem, Ed.
18. *inveniretur*, rest. ex L. B. et *R.* inveniret, Ed.
19. *Bene*, rest. ex L. B et R. Bona, Ed.
21. *vivere*, rest. ex L. B. et *R.* vincere, Ed.
366.33.4. *quod testabatur maxima congeries cadaverum. Deniq; ipsum introitum civitatis præcludebat multitudo interfectorum*, add. *ex* R.

6. *occi-*

6.*occidebant*,rest.ex L.*B.&* R.occideban-tur,Ed.
15.*in lecto*,rest.ex L.*B*.R.in loco, Ed.
369.34.21.*divitiis*,deliciis, *B*.
370.34.3.*Dux verò locatis ibidem trecentis militibus ipse cum reliquis pervenit Accon,& invenit ibi manum validam Christianorum,qui eandem civitatem obsederant*,additum ex L.B.&R.
11.*lucis*,lumen,L,*B*.&R.
371.35.4.*ducentis millibus*,ducentis militibus (*B*.
6.*faciendo*,faciente,*B*.
374.36.11.*religiosissim*.tædiosissimas,*B*.&R.
17.*irruere*,rest.ex *L.B.&* .R.venire.Ed.
34.*novus*,rest.ex L.*B*.&R. nonus,Ed.
378.37.12.*qui jam*,rest.exL.*B*.& R.quia jam, (Ed.
397.37.28,*via*,additum ex *L.B*.R.
384.1.14.*Etziho*,rest.ex *B*.& R.et Ziho,Ed.
387.3.15.*ejus*,additum ex L.& B.
388 4.4.*in sede*,in sedem,L.& B.
9.*castellis*, castellanis, *B*.& R.
389.4.4. *His &c*. His precibus consensum præbuit Apostolicus,& cum,*L*.B.&*R*.
390.6.1.*Philippus*,additum ex L.*B*.R.
4.*de nobilitate*,de nobilibus,L.& *B*.
8.*Postea tamẽ Imperatrix cum honore ad eum revertitur*,add ex L.*B*.& R. (Ed.
391.7.9.*Boyceneburg*,rest.ex B.Boyceneberg
392.7.16.*cum terra*,rest,ex *L.B*.&R.in terra (Ed.
17.*Henricus*,Henricus adultus,R.
Dux autem adultus,B.
19.*Episcopi*,Archiepiscopi,*L.B*.& R.
26.*considerata*,confœderata,B.
393.7.7.*tradita est*,terminata est,*B*.& R.
394.8.7.*volente*,valente, B.
9.15.*ad Raceburg*, de Raceburg, R.
396.11.1.*et*,additum ex L.& B.
15.*furiosè*,rest.ex L.B.& R. finere se, Ed.
397.11.7.*Kevenam*,B. Kenevam, Ed.
33.*accuratè*,rest.ex L.*B*.&R.ac curatione, Ed. (B.& R.
398.11.3. *Qui pius &c*.Carmen hoc rest.ex L.
399.13.11.*cui*,rest.ex *L.B*. R. cùm,Ed.
400.13.23.*incitavit*,initiavit,*B*.
401.14.7.*et tota mutata fuisset*, tota mutata fuit,*B*.& R.
8.*acceperat*,rest.ex *L.B*.& R.accipiat,Ed.
402.14.7.*exaltationẽ*,exultationẽ,L.*B*.& R.
26.*te*,additum ex *L*.B.& R.
403.14.9.*dilectissimi*,additum ex L.B.& R.
404.15.1.*beneficium*, miraculum sive beneficium, B.
405.15.1.*hoc vidit & credidit*,rest.exL.B.&R. quæ vidit etiam credidit,Ed.
5.*Gaudemus*,Gaudeamus & nos Krmi, *B*.
27.*calicem Dominicæ*,rest.ex L.B.&.R.calicem annon Dominicæ,Ed.
408.16.15.*Borsich*,Barsich,B.etHerm.Korner.
409.17.10.*et*,additum ex *L*.
411.18.1.*curriculo*, circulo,*B*.
412.18.1.*tractus*, tactus,*B*.
13.*as candens*,rest.ex.L.B.& R.eis candela, Ed.
19.5.*suo*,additum ex *L*.& B.
414.19.2.*civitatem*, additum ex L.& B.
4.*interfecti*, interfecta, L.& B
24.*tantus Philosophus*, rest. ex L.& R. cantus Philosophorum,Ed.
415.19.19.*in quo*,in qua,*L*.
29.*quæ arbusta &c*.arbustaq; hodierna diem totam,*L*.&R. catu,Ed.
416.19.29.*radicatis*,rest. ex L. *B*.& R. radi-
36.*eum de cætero*,animal de cætero,B.
37.*generat aliquis filium*,rest.ex*L*.B.&*R*. generatur aliquis,filium, Ed.
417.18.3.*paternæ*,rest.ex L.B.&R. pravæ,Ed.
12.*fæteat & appareat*,rest.exL.B.&R.fœtet & apparet, Ed.
19.*Ischya*,Isla, L.& *B*. (Ed.
31.*ferventis*,rest.ex L.B.& R. fluentis,
418.20.11.*præter*,rest.ex L B.& R. propter, Ed. (speratꝰ est in via sua, B.
419.20.4.*pfectus e*.inApuliam profectus,pro-
10. *Imperatricis nuncius,quæ*, rest.exL.B. *et* R.Im-

*& R.*Imperatoris nuncius, qui, Ed.

420.21.7.*contentione*,commotione,L.*&* B.

421.22.3.*intraverit*,exL.*&*B.intravisset, Ed.

421.22.29.*Ille autem affirmabat, pro appellatione se tantum excommunicatum*, additum ex L.B. *&* R.

36.*stare*,rest.ex L.B.*&*R.fieri,Ed.

423.22,5.*officinis*,rest.ex L.B.R.officiis, Ed.

8.*in Apuliam ierat*,rest.ex L. *B*. R. in Apulia erat,Ed.

8.*quoad rursus*,quo reverso B.

23.7.*venerandus*,additum ex L.& *R.*

9.*sint*,rest.ex *L.& R*,sunt, *Ed.*

424.23.25.*senioribus*,sanioribus.L.& B.

425.23.11.*pluribus innotuit*,add. ex L.& B.

21.*obtinuit dominatum*,*Episcopo&c*.rest. ex L.B. *& R.* obtinuit, Domino tamen Episcopo,Ed.

22.*factū erat*,rest.ex L B.*&*R.faceret,Ed

35.*regnante*,additum ex L.*B.& R.*

36.*Hericopio*,exL.*&* B.Henrico verò,Ed.

427.24.3.*Genedracto*,Gudracco.B.

18.*decoris*,rest.ex L.*&* B.decorus,Ed.

429.1.36.*Ostereich*,Osterrike.L.*&*B.

430.1.12.*Imperatricis*,rest. ex L. *B*. &*R*. Imperatoris, Ed.

432.2.6.*Ars tentatoris minimè tamē abfuit illis*, exL. B.R. Non tantatoris numen

7.*suis*,rest.ex L.*B R*.servis,Ed. (&c. Ed.

10.*Imperatricis*,exL.B.*R*.Imperatoris, Ed.

15.*alios*,rest.exL.*B.& R*. filios,Ed.

20. *ut majestatis*, rest. ex L. B.R.et majestatis, Ed.

21.*nobis sufficere*,ex L.B.R.vobis suff. Ed.

433.2.29.*tantùm*,additum ex L *B*. *&* R.

438.3.15.*illic*,rest. ex L.*&* B. illuc,*B*.

439.3.7.*dextralium*,dextrarium,B.

22.*tantùm*,rest.ex L,B.*&* R. tamen,Ed.

25.*halitu*,rest.ex R. habitu,L.& Ed.

440.3.1.*quæ ad tres*, rest. ex L. B.& R. ut ad tres,Ed.

1.*Telorum autem &c.* Totus locus additus ex L.*B.R.&*Korneri *MS.*

17.*provenire*,ex L.B.*& R*.pervenire,Ed.

18.*quò major erat destructio*,rest.exL. B. & *R*. qui major erat destructo, Ed.

23.*sic*,additum ex L.*& B.*

30.*jam jam*,additum ex L. & *R*.

32.*quoniam*,rest.ex *L.B*.& *R*. quò,Ed.

441.7.8.*Gebal*,Gybel, B.

443.4.2.*mater*,rest ex *L.B*.& R.vir,Ed.

3.*& spirituali*,rest. ex *L. B*. & R. de spirituali,Ed.

20. *castrorum ingyrum*, per castrorum gyrum, L. *& B.*

444.4.5.*parvulis nostris*,rest.ex L.&.B.parvulis nostrorum,Ed.

445.4.3 *patrem attendite, fratribus parcite*,rest.ex L. *B*. *&* R. patres, attendite fratribus, Ed.

7.*pro*,additum ex L.B. *&* R.

21.*Et nec minus*,rest.ex L.B.& R.Nec unius, Ed.

22.*tamen*,rest.ex L. B.*& R*. enim, Ed.

446.5.12.*pollentes*,callentes,L.*&* B.

17.*caritate*,rest.exL.B.R.cæcitate,Ed.

447.5.26.*salutem*,rest.ex L.*B.R.&* Chr. *MS.* Korneri, lucem,Ed.

448.5.8.*tamen*,add.ex L.*B.&*R.

28.*diu*, additum ex L. B.

452.3.2. *Fautores siquidem*, Fautores siquidem Philippi,*B*.& R.

453.4 1.*Ludolphus*,rest. ex *L*.B.&*R*.Ludovicus, Ed.

4.*excedens*,accedens,*B.&* R.

16.*culinam*,coquinam,L.&*B*.

454.4.11.*ibi*,additum ex L. *B*. *&* R.

455.5.11.*Northen*,Northem,B.

456.5.12.*mobilibus*,monialibus,B.

22.*hoc volumus et*,additum ex *L.B. & R.*

458.6.8.*Borchtorp*,Bruchtorph,L.&B.

459.6.14.*& sic*,rest.ex L.*B*.& R. et te, *Ed.*

17.*sive deliberatione, sive necessitate*,rest. ex *L*,B.*R*. sine delib. sine necess. Ed.

ni-

461.8.7.*nimis*,rest.ex L.*B*.& R.mentis, Ed.
9.5.*Odem*,Wernovve, *R*.
462.9.9.*consciente*,consentiente,B.
464.12.9.*Gamme*,ex *L*. B.*&* *R*. Camine,Ed.
13.3.*cum suis*,add.ex*L*.B *&* R.
465.13.2.*armis insistunt*,acrius insistunt, *B*.
3.*exceptis captivis*, additum ex L. B. *&* *R*.
9.*spoliatam*,additum *ex* L.B.& R.
466.13.21.*Fratrem*,ex *L*.B.& R.fratres,Ed.
467.14.12. *certum fecerunt*, rest.ex L. & *B*. certum reddiderunt, R. circumvenerunt, Ed.
468.15.2. *Helenam*,Alheidam,*R*.
16.3.*alia*,animalia, R.
470.17.11. *vita excederet, obsides redderentur: si autem Comes*,add.ex L.B. *&* R.
473.19.7.*fecerit*,rest.ex L. *&* B. fecit,*Ed*.
16.*quidem*,additum ex*L*.& B.
20.*et in brevi*,additum ex *L*. &.B.
25.*Contra*,Præter,*L*.*&* *B*.
29.*incubator*,ex L.*B*.*&* R.maculator,Ed.
474.19.8.*ipsum*,additum ex L.& *B*.
24.*Græc. proceres*, nescientes Græcorum proceres,L.nescientibus nobis,Græcorum proceres,B.& *R*. (num,R.
37.*nobis in annum*,nobis prolongat in an-
482.20.10. *Prioribus*, rest. ex L.*B*. *&* *R*. Primoribus,Ed.
15.*quoniam*,rest.ex L.B.*&* R.qui,Ed.
483.20.5.*vestræ*,rest.ex L.B.*&* R.nostræ,Ed.
24. *Murzuflum*,Murzulfum,L.*&* B.
29.*nobis* ; nobilis,*B*.
35.*attollitur*, ex L. *&* B. acclamatur,Ed.
37. *quem inscium apud sanctam Sophiam populus in Imperatorem erexerat, proditione traditum simul dejecit*, rest. ex L B. *&* R.quem inscium,proditione Imperatorē traditum, vi populus apud *S*.Sophiam,simul dejecit Ed.
484.20.8.*plus*,additum,ex L.B.*&* R.
10.*Nihilo minus inter duas turres quaslibet* rest.ex L.B. R. Nec minus inter duas turres qualibet, Ed.
11.*petraria*,rest.ex*B*.*&* R.peterca,L.*&* Ed.
16.*duplexq; fossatum*, rest.ex B.*&* *R*. Duxitq; fossatum,Ed.
485.20.3.*pacis*,additum ex *L*.*B*.*&* R.
5.*inter quemlibet et inter fideles firmiter obtinentis*,add.ex L. B.& R.
17.*confingit exemt*.rest.ex *L*. & R.confringit,B.& *Ed*. (R.
17.*ac imperiali sepultura concessa*,add. ex
19.*scalis aptatis*,rest.ex L.*B*. *&* R. stabiliter aptatis,*Ed*.
31.*scalis turriū*,rest.ex L.B.& R.trium,Ed
486.20.18.*tota* Latinitas, rest. ex L.B.& R. tuto latitans, Ed.
487.20.4.*lachrymis,sublimarunt*, rest. exL. *B*.etR.lachrymis,nos sublimarunt, *Ed*.
9.*Hierosolymitanæ*.add.ex *L*.et*B*.
25.*reputabatur*, reputabant,L.et B.
26.*summotis*, superatis, L.
488.20.3.*præoptatæ*,add.ex *L*.B.et *R*.
12.*suis*,additum ex L et B.
15.*dolosè*,additum ex *L*. *B*.etR.
506.3.3.*monerent*,exL.et *B*. monuerunt, *Ed*.
507.3.1. *attendens in offensam Dei, ecclesiæ*, additum ex B. et *R*.
9.*deferremus*,rest.ex L.*B*.*&* R. deserviremus,Ed.
16.*iniqua*,additum ex L.*B* *&*. R
21.*adversarius*,rest.ex*L*.adversativus,*Ed*.
22.*superiori*,sibi ipsi,B.et R.
28. *idololatria comprobatur* , *dirumpens in etc.* idololatriæ comparatur, lora dirumpens,R.*&* B.
508.3.1.*G.Remensis*,rest.ex L.*&*R.Brundusinus,Ed Bremensis, B.
10.*et*, additum ex L. *B*.*&* *R*.
11.*discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus districtè præcipientes,quacipien*

cipien

tenus cùm apud vos sint ista luce clarius manifesta, additum & restitutum ex *L. B.* R.

21. *apud nos*, ex L. B. *&* R. apud vos, *Ed.*

21. *vestm*, nostra, *B.* & *R.*

31. *devotiores & firmiores sumus experti, ne unitatem ejus*, additum ex R.

509. 4. 15. *hunc*, rest. ex L. B. & R. hoc *Ed.*

510. 4. 17. *factum tuum*, rest. ex L. B. *&* R. sanctum tuum, *Ed.*

511. 5. 4. *Timēs*, rest. ex L. B. & R *S*entiens, Ed.

5. *adhibitum*, aditum, B. & *R.*

6. 3. *solverent*, rest. ex *L.* B, & *R.* solveret, *Ed*

512. 6. 2. *earum*, rest. ex L. *B.* & R eorum, *Ed.*

3. *à quibus*, rest. ex L. *B.* R. æquius, *Ed.*

7. 7. *velut*, rest. ex L. B. R. vere, *Ed.*

513. 8. 3. *verbi*, rest. ex L. B. & R. ibi, *Ed.*

515. 9. 18. *pauperum & divitum*, add. ex R.

36. *Pachelburgensis*, Pathelburnensis, B.

516. 9. 2. *viros*, additum ex L. B. & R.

15. *et hoc indiciis veritatis*, rest. ex *L.* B. & R. & his indiciis veritatem, Ed.

26. *intestina simultas et mirabilis quædam*, additum ex *R.* (R.

517. 10. 4. *ad salutandum*, ad *S*aladinum, *B. &*

20. *suavissima*, sanissima, B. & R.

27. *sub Domino Siciliæ*, sub dominio regis *S*iciliæ, B. & R.

31. *sua*, additum ex L. & B.

33. *terræ, quia granum non colit, nisi paucum*, additum ex L. *B.* & R.

518. 10. 3. *indebilis*, *&* inde debilis, *B.*

25. *quam*, rest. ex L. & *R.* quòd, Ed.

28. *septendecim*, rest. ex L B. & *R.* quatuordecim, Ed.

519. 10. 12. *tres*, rest. ex L. *B.* & *R.* trecentas, *Ed.*

14. *Thobar*, Chobar, *R.*

21. *spissim*, passim, *R.*

31. *et*, additum ex *L.* & B.

33. *habens in quantitate fere dimidium mansum, et est lignum balsami ut lignum vitis triennis*, add. & rest. ex *R.*

520. 10. 4. *effugerat*, confugerat, L. & B. fugiens confugerat, R.

8. *confugit*, confluit, *B. &* R.

29. *animalis*, additum ex L. B. & R.

30. *animal*, additum ex L. B. & *R.*

37. *tinctura fallonum, de quibusdam*, rest. ex L. *B. &* R. tinctatur, fullonum, deq; *Ed.*

521. 10. 27. *infunditur*, rest. ex L. *B. &* R. infundit, *Ed.*

27. *Odewinis*, Bodewinis, L.

33. *septuaginta*, septuaginta duas, *R.*

522. 10. 34. *Ad locum*, Ad hunc locum, *R.*

523. 10. 1. *in honorem* B. *Virginis, et inde à quodam patriarcha Jerosolymam perducta fuit*, additum ex *R.*

15. *miro modo*, rest. ex *L.* B. *&* R. uno momento, *Ed.*

31. *præceperit*, rest. ex L. *&* B. præcepit, *Ed.*

34. *quatuor*, quatuor ivi, R.

524. 10. 5. *habent*, habentur, L. *& B.*

28. *meos*, suos, *R.* (Ed.

551. 11. 2. *religionis*, rest. ex L. *B.* & R. religiosis

552. 11. 14. *gratiam*, gratiam ipsius, L.

12. 9. *Præpositus*, major Præposit9, L. B. & *R.*

12. *suspectos*, despectos, L. et B.

553. 12. 13. *in via*, rest. ex L. B & R. omnia, *Ed.*

556. 14. 8. *imprudens*, impudens, *B.*

558. 15. 11. *satis famosa*, additum ex L. B. et R.

13. *electus*, additum ex L. B. et *R.*

559. 16. 15. *tamen*, add. ex L et B. (B. et R.

562. 18. 7. *qui erat frater Regis Ottonis*, add.

563. 19. 35. *castra* CCCL. R. castra quatuor, Erpold. Lindenbrog.

564. 19. 2. *ut cedas*, R. ut sedeas, Lind.

9. *vobis*, *R.* nobis, B. et *Lind.* (B. & R.

565. 20. 9. *de* Wurzeburg, Lind. Wissenburg,

566. 20. 1. *Ebsterna*, Lind. Epterna, *R.*

6. *Insbrugge*, Cynsbrugge, Lind.

10. *urbs*, B. et R. urbis, Lind.

13 *Senis*, R. Synis, Lind.

568. 22. 2. *gesta Regum*, R. facta etc. Lind.

Syllabus Auctorum.

Clau-

Claudianus.
Cl. Salmasius.
Codex Theodosij.
Codex Iustiniani.
Compilatio Chronologica Anonymi.
Concilia quædam.
Continuator Bedæ.
Continuator Helmoldi Anonymus.
Conradus de Fabaria.
Conradi Episcopi Chronicon.
Constatinus Manasses.
Constitutiones Siculæ.
Corippus.
Cornelius Curtius.
Cornelius à Lapide.
Corpus Canonicum.
Cosmas Pragensis.
Cunradus Rittershusius,
Curtius.
Cyriacus Spangenbergius.

Damianus à Goes
Daniel Cramerus.
Daniel Heinsius.
Daniel Mallonius.
Dantes Aligherius.
David Chytræus.
David Hœschelius.
Decretum Tassilonis.
Deductio civitatis Lindau.
Diodorus Siculus.
Dion.
Dionysius Petavius.
Dioscorides.
Ditmarus Merseburgensis.
Dodechinus.
Domnizo Presbyter.
Duardus Nonius.

Eginhartus
Ekkehardus junior.
Elias Reusnerus.
Elias Schedius.
Emanuel à Meteren.
Ephemerides S. Galli.
Epitome Genealog. Muscov.
Erasmus Sarcerius.
Erici Regis Chronicon.
Ernestus Brottuff.
Erpoldus Lindenbrog.
Evagrius.
Euripides.
Eustathius.
Eutropius.

Famianus Strada.
Felix Faber.
Flavius Vegetius.
Flavius Vopiscus.
Florus.
Franciscus Aluarez.
Franciscus Collius.
Franciscus Duarenus.
Franciscus Guillimannus.
Franciscus Irenicus.
Franciscus Iuretus.
Franciscus Mennenius.
Franciscus Modius.
Freculphus Lexoviensis.
Fridericus Lindenbrog.
Frossardus.
Fulcherius Carnotensis.

Gabriel Bucelinus.
Gabriel Prateolus.
Galenus.
Gaspar Bruschius.
Gaufredus Malaterra.

Gauterius Cancellarius.
Gebhardus Archiepisc. Salisburg.
Gemma Gemmarum.
Gennadius.
Georgius Braun.
Georgius Buchananus.
Georgius Calixtus.
Georgius Cassander.
Georgius Cedrenus.
Georgius Fabricius.
Georgius Lilius.
Georgius Marcgravius.
Georgius Phranza.
Georgius Sabinus.
Gerhard. Johan. Vossius.
Gerhardus Stederburgensis.
Gerlacus Buxtorff.
Gervasius.
Gesta Francorum.
Gisbertus Voetius.
Glossarium Vetus.
Gobelinus Persona.
Godefridus Langus.
Godefridus Monachus.
Godeschalcus Stewechius.
Gotfridus Abbas Vindocinens.
Gotfridus Viterbiensis.
Gregorius VII.
Gregorius Turonensis.
Gualdo Monachus.
Guibertus Abbas.
Guido Pancirollus.
Guilielmus Budæus.
Guilielmus Neubrigens.
Guilielmus Philander.
Guilielmus Piso.
Guilielmus Lambardus.
Guntheri Ligurinus.

Hartmannus Schedel.
Haythonus Armenius.
Hegesippus.
Heliodorus.
Helmoldi Lubecensis codex, MS.
Stetinensis MS.
Boskelianus MS.
Ranzovius MS.
Helmoldi continuator Anonymus.
Henricus Aquilonipolensis.
Henricus Ernstius.
Henricus Hervordiensis.
Henricus Huntindoniensis.
Henricus de Knygthon.
Henricus Meibomius.
Henricus Petræus.
Henrici IV. Epistolæ.
Henrici IV. Apologia.
Henrici IV. Vita.
Henricus Rosla.
Henricus Salmuth.
Henricus Stephanus.
Henrici Steronis Annales.
Hepidannus.
Hermannus Bonnus.
Hermannus Conringius.
Hermannus Contractus.
Hermannus Hamelman.
Hermannus Kornerus.
Hermannus de Lerbeke.
Hermias Sozomenus.
Herodotus.
Herrandus Episcopus.
Hesiodus.
Hesso Scholasticus.
Hesychius.
Hieronymus.
Hieronymus Benzo.
Hieronymus Cardanus.

Martinus Polonus,
Matthæus de Bappenheim,
Matthæus Hostus,
Matthæus Paris,
Matthias Martinius,
Melchior Goldastus,
Michael Beutherus.
Michael Coccinius,
Michael Glycas,
Michael Majerus,
Michael Piccartus,
Michalon Lituanus,
Monachus Paduanus,
Monachus Pegaviensis.
Monachus Prufeningensis,

Nadabus Agmonius,
Narratio de Benedicto V,
Nicephorus Callistus,
Nicephorus Gregoras,
Nicetas Choniata.
Nicolaus Bellermontanus,
Nicolaus Gaussinus,
Nicolaus Cusanus,
Nicolaus Machiavellus.
Nicolaus Mareschalcus Thurius,
Nicolaus Nicolai,
Nicolaus Rigaltius,
Notitia Imperij.
Novellæ Institut.
Novellæ Imperatorum Græcorum,

Olaus Magnus,
Olaus VVorm,
Olympiodori Excerpta,
Onuphrius Panuinius.
Oppianus,
Otto Frisingensis,
Otto de S. Blasio,
Ottonis I. Diplomata,
Ovidius.

Paganinus Gaudentius,
Paulus Æmilius.
Paulus Friedeborn,
Paulus Jovius,
Paulus Langius,
Paulus Merula,
Paulus Orosius.
Paulus Venetus,
Paulus VVarnefridus,
Pausanias,
Petrus Albinus.
Petrus Bellonius,
Petrus Bizarus,
Petrus Andr. Canonherius,
Petrus Lambecius.
Petrus Lindenbergius.
Petrus Marcellus.
Petrus Martyr,
Petrus Mersæus,
Philippus Beroaldus,
Philippus Camerarius,
Philippus Cluverius.
Philippus Honorius,
Philippus Melanchthon,
Philippus Nicolai,
Philo,
Pierius Valerianus,
Platina,
Plautus,
Plinius,
Plutarchus,
Pöeta Anonymus de Carolo M.
Pöema antiquum de Vicelino,
Polyænus,
Polybius,
Polydorus Virgilius,
Pomponius Mela,
Ptolomæus Alexandrinus.
Ptolomæus Lucensis,
Privilegia MSS. L.
Privilegia Ecclesiæ Hamburgensis,
Procopius,
Prosper Alpinus.
Publ. Syrus.

R. Sal. Jarchi,
R. Levi Ben Gerson,
R. David Kimchi.
Radevicus,
Radulphus de Columna,
Radulphus de Diceto,
Raimondus de Agiles,

Index Rerum & Verborum.

In quo Zifra prior paginam, altera numerum marginalem: a. priorem, b. posteriorem in Notis columnam significat.

 obje-

Phi-

Ar-

Co-

Emme-

Ful-

God-

Hel-

 den-

reci-

Hen-

Hol-

Lube-

Mar-

Otho

Phi-

Regin

Say-

H. Leo-

Tem-

Val.

Ggggg 2

West-